1

D. JOACHIMI WEICKHMANNI,
PASTORIS AD D. MARIAE, ET R. MINISTERII,
QUOD GEDANI I. A. C. PROFITETUR, SENIORIS,

APOLOGIAE,

QUA

JUSTITIAM CAUSAE SUAE,

IN CONTROVERSIA

DE POLYGAMIA SIMULTANEA,

ADVERSUS SCRIPTUM MORDACISSIMO SALI INVOLUTUM,
QUOD NOMINE
VIRI CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,

DN. SAM. FRIDER. WILLENBERGII,

J. U. DOCTORIS, EJUSDEMQUE ET HISTORIARUM P. P.
ET ATHENAEI GEDANENSIS INSPECTORIS;
ET TITULO:

ITERATA PRAESIDIA JURIS DIVINI,

SESE EFFERT ET LUXURIATUR,
MODESTE, SED SOLIDE PROTEGIT AC TUETUR,

PARS PRIOR

IPSIUS DOCTRINAE VERITATEM ET PONDUS SISTENS.

APPENDIX
INCLUTORUM CIVITATIS GEDANENSIS ORDINUM DECLARATIONEM INNOCENTIAE AUTORIS INJUSTE LAESAE, JUXTA ET RESPONSUM JURIDICUM REGIOMONTANUM EXHIBET.

ACCESSIT INDEX TRIPARTITUS.

Ad Bibliothecam Monasterii Langheimensis comparabat Fr. Hieronymus Bauer, ibidem Profess. ac p.t. Praep. in Tambach. 1768.

LIPSIAE,
SUMTIBUS HAEREDUM LANCKISIANORUM,
ANNO MDCCXV.

JUDICIORUM PUBLICORUM
Civitatis Gedanensis Primariae
Collegio incluto,

VIRIS

Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis,

DN. REINHOLDO COELMERO, Sen.
DN. GEORG. FRIDER. SCHRADERO,
Con-Seniori;
DN. MICHAELI SCHWANTES;
DN. VALENTIN. ERNEST. TESSIEN;
DN. CAROLO ADOLPHO FERBERO;
DN. JOH. SIGISMUNDO FERBERO;
DN. SIM. CHRISTIAN. SCHROEDERO;
DN. PETRO BERGMANNO;
DN. ABRAHAMO GRODDECK;
DN. JOH. ERNESTO SCHMIDT;
DN. BENJAMINO DILGERO;

Summa cum integritatis laude
officiis suis fungentibus,

*Dominis suis, Fautoribus atque Evergetis
summopere observandis,*

hanc Veritatis coelestis Apologiam
sacram facit

Autor.

DOMINI MEI, FAUTORES SUSPICIENDI.

Quam ego, postulante conscientiae jure, quo obnoxium me esse legibus divinis sentio, adornavi Apologiam, manibus Vestris demisse et reverenter offero. Non habet, quo se gratiis Vestris commendet, nisi causae dignitatem divinis testimoniis suffultam, et offerentis innocentiam documentis haud obscuris lucentem. Non milito pro gloria, sed pro veritate, quae et causa victoriae et fructus est. Argumentum, in quo versor, non leve aut vanum est, sed grave admodum, quodque flectere probum quemque potest et delectare. Multum refert, leges scire, quibus supremum Numen et societatem illam, quae, si ordinem spectes, prima, si nexum, basis est reliquarum omnium, munivit atque firmavit, et in ea coëuntium mutuam adstringere fidem ipsosque devinctos invicem red-

dere voluit. Expedit, perſpectum habere, num ex divinae voluntatis ſanctione, an ex pacti conventi religione, quisque Conjugatorum non niſi uni fidem dare teneatur? Juvat, rationem inire, jurene Eccleſia, an erroribus circumducta, per tot Seculorum decurſum, homines Bono polygamias funditus everterit? Illud etiam res ipſa poſtulat, ut conſtet, qui factum, ut alterutro remediorum, quibus laqueis laſciviae nos eripere et a periculo peccandi ſervare integros voluit Deus, Orbis Chriſtianus fraudatus fuerit? Illa enim ſunt placita Antagoniſtae et dogmata. Quae ego, divino fretus auxilio, ex ſanctiſſimo ejus verbo in *vindiciis*, et, quae illas excepit, *juſtitia cauſae* diſſolutum et deſtructum ivi. Quanta vero ſaevitia Adverſarius meus conſultiſſimus me inſectatus fuerit, quam virulentis dicteriis, tanquam graphiis, me confoderit, commemorare nunc, et longum nimis, et auribus Veſtris indignum foret. Vel ſola *praeſidia iterata*, uti vocat, *juris divini* copioſius id lo-

qvun-

qvuntur. Omnis mihi periculi totque criminationum atrocissimarum causa est, quod antiquam veritatem et colo, et defendo; neque quicquam vitio mihi verti poterit, nisi, quod receptiorem Ecclesiae tuear sententiam. Modus, quem in disputando tenuit, multum habet ex iniquo. Disceptamus de existentia legis divinae polygamiam prohibentis. Quam ille negat; ego assero. Neutrius sententia κατὰ τὸ ῥητὸν in Codice sacro expressa legitur. Nec illius: *non datur lex prohibens polygamiam;* nec mea: *datur ejusmodi lex.* Idcirco rationibus ex Scriptura conquisitis utrinque opus est. Quia vero neuter Nostrum, rationes adversae partis sibi suaeque causae officere, concedere volebat, vis earum syllogistice experienda erat. Nec alia in tota rerum Natura existit via discernendi verum a falso, exortasque controversias ad liquidum deducendi. Aut ratio, qua distinguimur a Brutis, abneganda prorsus, aut methodo ista nemo exturbandus erit. Ille vero adeo delicatus est,

ut nec ipſe rationes ſuas, quantumvis ἀνακολȣ-
θίας a me accuſatas, ſyllogiſmis includat, nec
a me formatos admittat, a Pedantiſmi labe
fruſtra ſibi metuens. Qua perverſa dimican-
di ratione et inveſtigatio veritatis impeditior
redditur, et receptibus lubricisque effugiis
atque ſinuoſis diverticulis fores opertae re-
cluduntur. Quapropter ego a recta regione
non deflectens ſingulis rationibus formam
ſuam logicam reddidi, probe gnarus, hoc pa-
cto *veritati illuſtrandae* et confirmandae et
ad verum ſuum uſum transducendae optime
conſultum fore. Eodem etiam inſtituto, de-
nuo laceſſitus, et mea in apertum poſui, et
Willenbergiana ad examen ita revocavi, ut,
quantum ad doctrinam attinet, nullam perio-
dum indicatum mihi iri confidam, cui non
pleniſſime ſatisfactum a me fuerit. Odia, in-
vidiam, calumnias, perſecutiones patiendo
ulciſcar, optimum arbitratus victoriae genus:
a firmitudine animi nihil dimoveri.

Vos vero, Domini colendi, quo decet, cul-

tu

tu enixissime oro atque obsecro, ut Apologiam veritati scriptam benigno eo, quo Autorem semper respicitis, vultu et animo accipiatis, Vestroque, quod unum supplico, patrocinio dignemini. Extant cumulatissima Vestrae erga me benevolentiae publice privatimque pignora atque indicia, quorum multitudo ad calculos illa revocaturum opprimet. Digni estis, quibus, cum potis non sim, Deus pro me vicem rependat; et profecto rependet. Offero Vobis chartaceum munusculum, non ut debitum exsolvam, sed ut, animum testatus publice, fortius me obligem, Vosque pietatis meae, et, quo Vos colo, studii vadem habeatis perpetuum. Idem enim erit observantiae meae, qui et vitae finis. Non quidem est, cur favores Vestros saepius expertus dubitem, quin Vestri similes porro exstituri sitis; sedulo tamen connitar, ne iisdem culpa mea excidam. Deum immortalem supplex precor et veneror, ut omnia Vobis feliciter prospereque eveniant. Vos demandata

mu-

munia cervicibus Veſtris ea fide et prudentia ſuſtinetis, ut et curam ſervandae Patriae omnibus approbetis, et jura, inſtituta, leges, Majorum exemplo, defendatis et cuſtodiatis. Juſtitiae honorem ſuum et pretium redditis, innocentes tuemini, malos emendatis, et licentia corruptos coërcetis, nihil in Quaeſtu habentes, niſi, poſt ſalutem Patriae, rerum bene geſtarum laudem et memoriam. Aequabitis Majores Veſtros gloria! Quot vitae Annos repetetis, (repetere multos optimum Numen jubeat!) tot Bono publico impendetis, Vobisque tot merita, poſteris tot nomina addetis! Servet Vos DEUS! Gedani cIↃ IↃcc XV. III. Non. Octobr.

Nobiliſſimis Veſtris Nominibus

Deditus devinctusque

JOACHIMUS WEICKHMANNUS, D.

D. JOACHIMI WEICKHMANNI,

PASTORIS AD D. MARIAE, ET R. MINISTERII,
QUOD GEDANI I. A. C. PROFITETUR, SENIORIS,

APOLOGIAE,

QUA

JUSTITIAM CAUSAE SUAE,

IN CONTROVERSIA:

DE POLYGAMIA SIMULTANEA,

ADVERSUS SCRIPTUM MORDACISSIMO SALI INVOLUTUM,

QUOD *NOMINE*

VIRI, CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. SAM. FRIDER. WILLENBERGII,

J. U. DOCTORIS, EJUSDEMQUE ET HISTORIARUM
ET ATHENAEI GEDANENSIS INSPECTORIS,

ET TITULO:

ITERATA PRAESIDIA JURIS DIVINI,

SESE EFFERT ET LUXURIATUR,

MODESTE, SED SOLIDE

PROTEGIT AC TUETUR,

PARS PRIOR

IPSIUS DOCTRINAE VERITATEM

ET PONDUS SISTENS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS HAEREDUM LANCKISIANORUM,

ANNO MDCCXV.

Plinius Epistol. I. 22.

Nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refero, rectique facti mercedem, non ex populi ſermone, ſed ex facto peto.

I. N. J.

LECTORI PIO ET ERUDITO

Salutem, mentemque lumine divino illuſtratam, precatur

JOACHIMUS WEICKHMANNUS, D.

NOndum quietem ſibi dare potuit, quia noluit, *Vir Conſultiſſimus atque Excellentiſſimus*, *Dominus D. SAMUEL FRIDERICUS WILLENBERGIUS*, de propugnanda divinitus conceſſa polygamia, ſed iterato, quantumvis irrito, conatu militare pro illa denuo allaboravit. Quo in negotio, quia irae imperio paruit, non potuit non feciſſe, quod laborantis animi impetus ſvadere videretur. Verùm, quicquid hujus rei eſt, ſine dubio ideo ſibi impoſuit, ne quid quaeſitae hinc gloriae aut meritorum de ſeculo noſtro in pejus ruente, periret, ipſeque ſcopo ſuo, praeter omnem exſpectationem, excideret. Scilicet eâ fini Eccleſiae, quoad receptam hucusque doctrinam, litem, poſt alios jam dudum exterminatos, movit, ut Principibus plures ſimul ducendi Uxores, ſi voluerint, ſuisque ſubditis, ſi graves praeſto fuerint cauſae, idem concedendi facultatem aſſereret, quam, per errorem & fictionem juris divini non exiſtentis, ereptam illis eſſe arbitratur & conqueritur. Nihil hic tribuo affectui ſiniſtro, à quo immunem me ſentio. Nec calumniae, cujus notam paſſim mihi, invitâ veri-

ritate, impingit, reus postulari potero. Audiamus loquentem ipsum: eò omnis collimat scopus defensae polygamiae, ut constet, ex reservatis Principum esse, de ea dispensandi. Hinc ipsum posse, si velit, cum duabus Uxoribus conjungi, exemplo Landgrafii Hassiae, qui, ut dictum §. 28. assensu religiosissimorum Theologorum, polygamus factus est. Posse eum privato quoque ex gravibus caussis duabus simul nubendi gratiam facere. *Praesid. Juris Div.* §. *31. p. 38.* Palam hic edisserit ipse, polygamiam à se defendi, idque eum in finem, quem indicavi. Doleo vices non leviter aberrantis; laudo vero dexteritatem recessus suos ingenuè profitentis. Quae, emolliendis istis, in recentiori scripto, protulit, suo loco perlustrabo. Novum enim adornavit opusculum, speciosoque titulo: *Iterata praesidia juris divini*, ad sedulam ejus lectionem Eruditos invitavit, qui tamen candide fatebuntur, illud ipsum frontispicio suo, ut nigrum albo, respondere. Iterationem plus simplici vice reperio, non eam quidem praesidiorum juris divini, quae non existentia iterari nequeunt, sed falsiloquiorum, sophisticationum & calumniarum, quas adeo scurriliter & impudenter in me effutivit, ut, si non causâ me, quod nunquam fiet, criminandi tamen exercitio se ipso major evaderet. Quo armorum genere convinci aut flecti animus veritatis sibi conscius non potest. Me profecto acerbior haec, ne quid gravius dicam, agendi ratio commovere non potuit, ut incepto absisterem. Quam callidè adversus Ecclesiam pugnet, vel ex praefamine, Lectori ingenuo constabit. Liceat unum illud

lud repetere, quod de matrimonio cum defunctae uxoris sorore scribit: de quo casu Havemannus & Strauchius Theologi cum Bucholzio JCto supra octodecim annos contentionis serram reciprocarunt, à quo tamen illius legalitas adeo solidis argumentis evicta est, ut hodie tam Theologi, quam JCti, in ejus sententiam accedant. Quae alium sensum Lectori ingenerare nequeunt, quàm tempore Strauchii quidem, Theologos cum JCtis de jure hujus matrimonii contendisse, tandem vero Bucholtzium solidis suis argumentis effecisse, ut, dissensione fractâ ac extinctâ, omnes nostra aetate, matrimonium hoc in divinis tabulis prohibitum non esse, adeoque permitti posse, existiment. Quanquam enim indefinitè loquitur: tamen, quia, nuptias illas à plerisque Theologis constanter adhuc impugnari, astutè dissimulat; praeterea etiam de eo loquitur, quod solidis, ut ipse putat, argumentis, post certamen Strauchio-Bucholzianum, evictum demum atque insecutum est, cùm etiam tempore Strauchii & ante illud jam extiterint Theologi, qui diversum ab eo sentientes Bucholzii opinionem amplecterentur; tandem & hoc exemplum ad ea refert, quae longè aliter hodie ac olim deciduntur: Lector ista legens indefinitam ejus universali aequipollere, non poterit non judicare. Ast talia hominibus rerum, vel in hoc seculo, cujus vix sesquidecennium præterlapsum est, gestarum saltem leviter gnaris, persvasa nunquam faciet. Ne quidem omnes JCti, nedum Theologi, ita docent. Volverunt hoc saxum, atque revolverunt, *Dominus D. FRIDERICUS ERNESTUS KETTNERUS, & Dn. D. JOHANN MELCHIOR GOETZIUS*, uterque

 Theo-

Theologus. Quorum ille, prohibitionem divinam asserens, in der gründlichen Untersuchung / quae Quedlinburgi A. 1702. prodiit, magni nominis Theologos, idem secum sentientes, adducit. Reperies in appendice Responsa Facultatum Theologicarum, *Jenensis, Hallensis, Lipsiensis*, nec non primariorum Theologorum, *Saxonici, Rostochiensis & Hannoverani*, anno hujus Seculi sexto & septimo exarata. Qui omnes, svaviter inter se concinentes, legem Dei prohibitivam agnoscunt. Ex posterioribus duo adhuc, & utinam diu! in vivis existunt. Non possum, quin pientissimi Senis, Venerandi *Dn. D. FECHTII*, verba, notatu dignissima, huc transcribam: Ich meines Orts/ der ich meines Alters wegen eine ziemliche Zeit zurück dencken kan / betrübe mich nicht wenig/ wenn ich erwege/ wie man heut zu Tage nicht nur in den Lehren unserer Christlichen Religion die gröste Freyheit zu behaupten/ was man nur immer will/ nimmet / und in diesem indifferentistischen Libertinismo noch dazu die wahre Pietät und den rechten GOtt gefälligen Dienst setzet/ sondern auch in denen moral- und practischen Sachen / von denen Alten/ in unseren Kirchen durchgehends behaupteten Meynungen/ so frey und ungescheut abgehet / daß wir uns in unseren Kirchen fast nicht mehr kennen solten. Und mag solches vornehmlich in der Materie von Ehe-Sachen geschehen / da innerhalb einer kurtzen Zeit man bey nahe alle alte hypotheses, denen sich hiebevor fast kein Mensch widersetzet über einen Hauffen schmeisset/ welches zwar fürnehmlich von JCtis geschiehet / die aber nach und nach auch einige politische Theologos an sich gezogen / die noch dazumahlen/ als der Oettingsche Casus ventiliret worden/ sich geschämet ihre Nahmen zu nennen/ und noch in der Finsterniß verborgen seyn wollen / seit der Zeit aber beherttzter worden / und/ wie ich se-

ſehe/ der Politicorum von den Theologis abgehende Meynung gar mit ihrem Exempel autoriſiret haben. Ich dancke meinem GOtt/ daß Er mich an einem Ort geführet/ da ich dergleichen Abtrit von der alten Religion nicht mit Betrübniß anſehen/ ſondern mit Freuden vernehmen kan/ daß die beyden Collegia, das Theologiſche und Juriſtiſche/ in vollkomener Harmonie und Ubereinſtimmung mit einander ſtehen. Wie dann numehro für acht Jahren/ als dergleichen Caſus, da einer ſeiner verſtorbenen Frauen Schweſter geheyrathet/ an die beyde Facultäten zur Urtheils-Stellung gebracht ward/ folgende Sententz gefället worden: Erachten denen göttlichen und weltlichen/ auch dieſes Landes Hoch-Fürſtl. Conſiſtorial-Ordnung nach/ dafür/ daß dieſe Ehe/ als denen göttlichen und weltlichen Rechten zu wider/ gäntzlich zu annulliren/ und N. N. nach vorher abgelegter Kirchen-Buſſe/ bey Straffe der Relegation und Confiſcation aller ſeiner Güter/ ſeine Frau von Stund an von ſich zu laſſen/ und derſelben nicht ferner ehelich beyzuwohnen/ ſondern ihr/ an einem auſſerhalb Landes abgelegenem Orte/ Wohnung und Alimenta für ihr und ihrem Kinde/ da ſie/ weil ſie ſchwanger/ lebendig ſolches zur Welt bringen ſolte/ zu verſchaffen ſchuldig/ ꝛc. l. c. p. 100. Habes ſententiam Theologorum pariter ac JCtorum Roſtochienſium, quâ matrimonium cum defunctae Uxoris Sorore jam conſummatum, prolеque in eo conceptâ, diſſolvendum pronunciarunt, idque ex agnitâ lege divina prohibitiva. Numerum ſi ſpectes, major Theologorum pars hucusque pro negativa militat. Quorundam diſſenſus tanti non eſt, ut Adverſario ſcribere integrum fuerit, olim quidem Theologos cum JCtis ſerram contentionis reciprocaſſe, hodie verò tam

Theo-

Theologos, quam JCtos in ſententiam Bucholzii acceſſiſſe. Plura ejusmodi ſpecimina in binis tractatibus *D. Willenbergii* deprehenderis, qui quo loco ſint habendi, ſuis ipſorum indiciis ſe produnt. Ego interea moleſtias, nudâ contradictione mihi attractas, patienter ferens, ab inſtituto curſu non recedam aut divagabor, majores intrepidè expectando. Novi ego probe, Seculum noſtrum fallax cauſas inſectationum clam & palam quaerere, ubi non adſunt, ac illis, quibus multum officii debebat, acerbitatem & odia rependere. Ego tamen rationes meas, per Dei gratiam, ita diſpoſui, ut nullis calumniis, nec ipſi furori & tyrannidi, ſim ceſſurus. Neque ſollicitè inquiram, utrum lignum ejus alienis nervis mobile fuerit factum, an ſuo arbitratu omnia egerit? Malo ego moleſto hoc calumniarum imbre perplui, utor verbis *Dom. D. FECHTII*, quam veritati, vel in minimo, ſilentio meo praejudicare. Cauſa eſt Dei, quam fortiter agam, & quoad vixero, ſum acturus. Calumniatores meos non tam verbis, quam factis vitaeque integritate refellam. Ne verò crudelis in me ipſum evadam, non quidem eâdem ipſum ripâ ſequar: innocentiam tamen meam modeſtè tuebor, operam daturus, ut omnibus liquidò conſtet, me omni, in hoc negotio, culpâ vacare, neque à crimine tantum, ſed juſta etiam ejusdem ſuſpicione, remotiſſimum eſſe. Nolim vero, quae ad innocentiam perſonae & facti ſpectant, cum doctrina confundi, quod ipſum in fraudem veritatis vergere, ſaltem ab Antagoniſtâ, qui criminationibus ſuis, quibus utrumque ejus ſcriptum circumſonat, veritatem ſuſpectam reddere annititur, trahi poſſet. Quapropter conſilium mihi eſt, Apologiam hanc in duas diſtinctas ſeorſimque edendas Partes digerere. PRIOR ipſam doctrinam, de qua controverſamur, ſiſtet.

Cu-

Cujus tres erunt Sectiones. In *primâ* generaliter exponam, tum quaenam Scripturae loca, tum quâ methodo, vindicanda veniant. In *ſecundâ* liberabo illa ab exceptionibus & reſponſionibus Willenbergianis. In *tertia* de momento Controverſiae agam. Obſurdeſcam hic ad omnes calumnias, quas ne tangam quidem, niſi forte, quod quandoque facere Adverſarium meum memini, omnem probandi aut reſpondendi vim illis tribuerit. Reliquas, & omnia πάρεργα, PARTI POSTERIORI ſervabo, in qua tum caetera, quae doctrinam circumſtant, evolvam, tum, quae officium meum meque ipſum laedunt, ita elidam, ut, etiamſi poſthac vel millies iſta iteraverit *D. Willenbergius*, ne verbum quidem reponere, neceſſum fuerit. Tu, Lector benevole, obliviſcere nunc & *Willenbergii*, & *Weickhmanni*, ne animi affectus impedimento ſint, veritati & cognoſcendae & judicandae. Attende, non quis loquatur, ſed quid dicatur. Sim ego novitius diſputator, homo extremi ingenii & nullius numeri, aut ignotus prorſus aut inviſus, ipsâque umbrâ *Willenbergii* indignus; ſim tale monſtrum, quale me paſſim deſcripſit. Sit ille Vir adeo illuſtris, tantoque lumine fulgens, ut ego, quemadmodum in praefamine arbitratur, vel ſola contradictione ipſi facta, inclareſcere, multumque lucis ex hoc Sole derivare in me poſſim. Nihil haec ad rem. Veritas, uti non indiget celſitudine tantorum Virorum, ita nec obſcuritate mea pretium ſuum amittet. Certent argumenta cum argumentis. Moveamur non autoritate Opponentium, ſed rationibus, iisdemque gravibus ac robuſtis. Tandem *Te, Pater luminum, flexis adoro genibus, pro auxilio coelitus mihi impertiendo. Transire fac ignominiam meam:*

quia judicia tua bona. Veniant mihi misericordiae tuae, Jehovah; salus tua juxta verbum tuum. Et respondebo convicianti mihi verbum, quod confido verbo tuo. Et ne eripe ex ore meo verbum veritatis usque adeo: quia judicia tua expecto. Consuerunt contra me mendacium Superbi: ego vero in toto corde servo mandata tua. Impingvatum est, sicut adeps, cor eorum: ego vero lege tua delector. DEus mi, libera me è manu impii, è manu perversè agentis & opprimentis. Quia Tu es Spes mea, Adonai Jehovah, fiducia mea à pueritia mea. Laudabunt labia mea, quia canam Tibi, & anima mea, quam redemisti. Etiam lingva mea toto die meditabitur justitiam Tuam: eò, quod pudefacti sint, & erubuerint quaerentes malum meum. Amen.

PARS

PARS PRIOR.

SECTIO PRIMA,

CAP. I.

De locis Scripturae in Controversiam adductis.

§. 1. D. Willenbergius ad nova confugit Scripturae loca.
§. 2. Quo ipso de effectu argumentorum, quibus usus hactenus est, desperare videtur.
§. 3. Praetextus ejus evolvitur, &,
§. 4. notatâ fallaciâ, exploditur.
§. 5. Autor respondere ad illa non tenetur: quia
§. 6. PRIMO ipse D. Willenbergius loca hactenus ventilata, tanquam omnium ponderosissima, selegit & dissentientibus opposuit.
§. 7. DEINDE Autor testatus est, se ad alia non descensurum.
§. 8. POSTREMO, hoc pacto, disputatio in infinitum protrahi potest.
§. 9. Lector admonetur, ne ideo de justitia causae ambigat. D. Willenbergius Sophisticationis convincitur.
§. 10. Autor, sub conditione, Vindicias novorum locorum promittit.

§. 1.

PRimum patrocinium *Dn. D. Willenbergius* in novis Scripturae sacrae locis quaerit, ad quae, recentioribus pigmentis errores suos adumbraturus, se confert cap. 2. p. 11. seqq. Petiit illa ex *Deut. XXI. 10. seqq. p. 11. Deut. XXV. 5. p. 12. Levit. XVIII. 18. p. 13. 2. Sam. XII. 7. p. 14. 2. Paral. XXIV. 2. 3. p. 16.* Haec sunt, quibus sibi in thesi suâ confirmari videtur.

§. 2. Non difficile est, conjectura assequi, quare de novis foliis, sub quorum umbra latere posset, sollicitus fuerit. Scilicet non fugit animum ejus, ex dictis Scripturae, quae in

Schediasmate produxit in medium, opinioni ſuae fruſtra praeſidium peti. Quapropter novis armis indutus alias vias perſequitur, quibus ad id, quod animo volvit, perveniat, aut ſaltem veritati fucum obtundat, quo minus ab incautis pervideatur.

§. 3. Fucoſus eſt praetextus ejus, quo conſilia ſua circumveſtire ſtudet, quaſi id in gratiam mei fecerit: ne gratis D. Weickhmannus monuiſſe videatur, plura loca, quam ſunt in Schediasmate à me citata, & in Praeſidiis propugnata, ſupereſſe, quae in ſubſidium cauſae meae citari ſolent, proferam illorum adhuc alia, antequam in textus, qui in controverſia noſtra ſunt, me convertam. *p.11. §.1.* Ita enim perſvadere lectoribus conatur, ſe à me provocatum, aut ſaltem monitis meis excitatum fuiſſe, ut pluribus, pro incruſtanda theſi ſuâ, argumentis contra me pugnaret, novumque bellum mihi indiceret.

§. 4. Aſt non ſine aſtutiis & fallacia haec agit. Scripſi ego *in Juſtitia Cauſae P. Speciali Sect. I. c. 1.* §. *1. p. 20.* ſequentia: *Plura quidem argumenta* πολυγαμόφιλοι *congerere ſolent, quae in cauſae ſuae ſubſidium afferant. Duo vero praeſertim apta viſa ſunt Dn. D. Willenbergio conciliando ſuae opinioni auctoritatem.* Arripit haec ille, atque plura argumenta, vel ex Brucknero, vel ex Lyſero, vel utroque repetit, idque ideo à ſe fieri dicit, ne ego fruſtra monuiſſe videar, plura loca ſupereſſe. Aſt, quod eâdem paginâ & paragrapho publicè denunciaverim, me non niſi ex illis Scripturae locis, quibus inſtructus ſemel in ſcenam prodierat, acturum, nec alia argumenta admiſſurum eſſe, callido praetermittit ſilentio; adhaec

haec etiam, ne Lector fraudem animadvertat, locum & paginam, ubi ista, quibus se tuetur, monuerim, tacet. Qui detectâ nudâque mente gaudent, abominantur talia.

§. 5. Quamvis verò argumentis istis noviter allatis tantùm ponderis non insit, ut à veriori sententia me dimoveant, tamen causae plures dantur, quare ista, hac quidem vice, ad meam curam haudquaquam pertinere, existimem. Non mihi respondendi facultatem despondeo. Illud tamen multum ex iniquo habet, nondum compositâ de locis controversis lite, alia transcribere & cumulare, atque sic ex bello nondum confecto novum aliquod instruere.

§. 6. A quâ confusione dum abesse me & mecum omnes veritatis amantes sentio, feram interim, à *D. Willenbergio* me contemni. Ne tamen gratis haec dixisse videar, candidum Lectorem rationes instituti mei praeterire nolim. *Primum* ipse *D. Willenbergius* ea sacri codicis oracula, quibus litem hanc ingressus est, ex *Deut. XXI. 15. seqq. 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6.* pro exquisitissimis maximaque documenta habentibus venditavit. *Schediasm.* §. 3. & *in Praesidiis Juris Divini* §. 5. *p.* 8. locum *Deut. XXI. 15.* evidentissimum appellat, in quo pro Polygamia simultanea Dei legem invenerit. Tandem, §. 9. *p.* 13. praemissis his dictis, jactat, se sub praesidio divini juris tutum esse, quod ibi Polygamia simultanea permissa sit. Eccur igitur, inchoatam controversiam persecuturus, horum immemor, locis, quibus, tanquam evidentissimis, causam suam ipse subjecerat, plura alia jungit, iisdemque in ipsa fronte pugnat? Ego praeeuntem sum secutus in Vindiciis meis, nec alia loca, vel pro, vel contra polygamiam, proferri solita, examinavi, quam quae ipse

in Schediasmate subministraverat, nisi, quod vindicando *Genes. I. 27.* incidenter exprobrationis Propheticae *Mal. II. 14.* mentionem injecerim. Quodsi observasset Scriptor quidam anonymus, historiam litis nostrae Relationibus suis inserens, non habuisset, quod praeteritionem hujus loci admiraretur. Non enim hanc causam exorsus sum ipse, sed Adversarius meus, à se dissentientes lacessendo, ac ad pugnam provocando. *Schediasm.* §. *6.* Hinc non erat res mei arbitrii, quaenam Scripturae loca vindicanda seligerem, sed oportebat me vestigiis inhaerere Architecti, qui litis hujus primus, hoc quidem tempore apud nos, Sator fuerat. Interim vel ex Indice *Justitiae Causae meae* intelligi poterat, locum Malachianum à me, opportunam occasionem nacto, neglectum non fuisse. Conf. *P. Special. Sect. II. c. I.* §. *23. p. 86.*

§. 7. *Deinde* ipse publicè testatus sum, me, ad alia argumenta prius vocari, non passurum esse, quam de his ipsis transactum inter nos fuisset. *His tenendus est Adversarius locis,* (ita mentem declaravi p. 20.) *ut veritatem theseos suae ex illis commonstret. Nulla etiam alia argumenta admittam, nisi ex his negotium prius confecerit.* Quà in Sententià constanter perseverabo.

§. 8. *Postremo,* si ad nova argumenta descenderem, vix finem contentionis sperare liceret. Extant in Lysero, aliisque, adhuc plura. Quodsi igitur Adversarius, in recens quoque productis, aquam sibi haerere senserit, habebit denuo in promtu alia, pro divertendo & occupando Lectoris animo, praemittenda, qualiacunque etiam futura sint, atque sic litem protrahet in infinitum. Quod ipsum in re, toties ad liquidum deducta, horreo.

§. 9. Ne-

§. 9. Neque tamen ideo veritati metuendum. Nihil illa ex declinato certamine damni faciet. Si forte Lectori, verioris ſententiae cupido, dubium aliquod ſubnatum inde fuerit, evolvat Commentatores, & alios hanc militiam, jam ante me, ingreſſos. Caveat etiam ſibi à ſophiſticationibus Antagoniſtae, ne iisdem per imprudentiam circumducatur & decipiatur. Placuit enim ipſi denuo ludificare. Quod vel unico, ſed ſatis manifeſto, exemplo probatum dabo. Argumentatur ille *cap. 2. §. 6. p. 15.* pro polygamia, ex exemplo Davidis & Abimelechi, quorum neuter hoc nomine à Deo reprehenſus fuerit. Excepturis ad iſta: neque legi, Deum Noacho ebrietatem, aut Lotho inceſtum exprobraſſe, quorum tamen uterque gravius peccaverit; reſpondet ex ipſa theſi controversâ, quâ, ad incitas redactus, tanquam ariete, utitur. Nimirum ebrietatem & inceſtum peccata eſſe, jam aliunde conſtare, ſecus vero polygamiam, de quâ quaerit: *ubi vero eſt iſta lex & ubi turpis facti hujus annotatio? p. 16.* Verùm, nullam dari legem prohibitivam, exemplo Abrahami & Abimelechi probare volebat, & tamen non veretur huic argumento robur probandi conciliare ex ipſa theſi probandâ: *non datur lex.* Abſurdior & injuſtior diſputandi ratio ne quidem fingi poteſt, quàm ſi vel Opponens argumenta ſua ipſa theſi, pro quâ militat, fulciat & confirmet, vel Reſpondens argumenta ſibi oppoſita, theſi ſua, quam defendit, propulſet. Quod idem eſt, ac ſi dixerit: reſponſionem tuam, vel argumenta tua, non admitto, quia opinioni meae refragantur. Utrumque *Dn. D. Willenbergius* frequenter committit, eſtque haec ſophiſticatio unicum ejus palladium. Obſervavi hoc compluries *in Juſtitia Cauſae meae*, enixè ab eo petens, ut in re ſeria candidè rem ſuam ageret, & ab ejusmodi fallaciis abſti-

abſtineret. Sed ille, nihil melior factus, eâdem chordâ porro oberrat. Quod in ſequentibus tam evidenter diſpaleſcet, ut vel ipſis cerni oculis queat.

§. 10. Quodſi Adverſarius meus faſſus fuerit, quemadmodum, convictum in conſcientia eſſe, prorſus perſvaſum habeo, ex locis Quaeſtionis rem ſuam expediri non poſſe: porro etiam, methodo ſyllogiſticâ acturum ſe mecum eſſe, promiſerit, ego, hunc quoque laborem non ſubterfugiens, Vindicias novellorum locorum, non obſtante, quae me indies urget, mole negotiorum, promtus in me ſuſcipiam. Dicto exiſtet fides. Deus fortunabit operam. Tantiſper ille, ſi fortè Theologorum Commentarii ipſi ſordent, interquieſcet in obſervationibus ſummorum ſui ordinis Virorum, ex quibus vel duos nominaſſe ſufficiat. Nullam *Deuter. XXV. 5.* cauſae ſuae inveniri medicinam, docebit celeberrimus Hallenſium JCtus, *Dn. D. HENRICUS BODINUS, in Diſput. de conjugio illicito th. 10.* Ex *Levitici* verò *XVIII. 18.* Sententiam Adverſarii fortiter impugnarunt *D. PETRUS MöLLERUS, JCtus Jenenſis, in* additionibus *ad* D. Georgii Adami Struvii *Syntagma Juris Civil. P. 2. Exercit. 29. th. 52. lit. I. p. 390. ſeq. & D. BERNHARDUS SCHULZIUS, in Diſſert. ad Praeceptum Decalogi: non moechaberis, Rintbelii An. 1670. th. 7. p. 36.*

CAPUT II.

De methodo obſervanda.

§. 1. Autor in utroque Scripto ſyllogiſticè egit,
§. 2. Pedantiſmi hoc nomine à D. VVillenbergio incuſatus.
§. 3. Quod exaggerat, ſuumque
§. 4. modum procedendi defendit, &
§. 5. teſtimoniis JCtorum tuetur.
§. 6. D. VVillenbergii anomaliae logicae ſiſtuntur in compendio.

§. 7.

§. 7. *Respondetur ad rationes ejus, cur methodum syllogisticam aversetur. Falsum est, illam pedanticam esse.*
§. 8. *Falsum est, illam rationum momenta negligere.*
§. 9. *Falsum est, extra cathedram licitam non esse; quin potius quandoque necessaria fieri potest, quam*
§. 10. *doctissimi etiam viri sectati fuerunt.*
§. 11. *Grotius, magnus Dialecticae aestimator, Legato Regis Galliae, consilium formandorum studiorum desideranti, Logicam figurasque syllogisticas commendavit.*
§. 12. *Ad quem etiam celeberrimi JCti syllogisticè sunt commentati.*
§. 13. *Falsum est, Lutherum illam improbasse. De qvo notandum:*
§. 14. *1. Ipsum etiam in utrumque Jus quandoque durius dixisse.*
§. 15. *2. Philosophiae solum abusum accusasse;*
§. 16. *3. Dialecticam commendasse; ejusdemque*
§. 17. *4. Professorem publicum egisse; & in praxi integros syllogismos, modis suis logicis notatos, disputationi publicae subjecisse;*
§. 18. *5. etiam extra cathedram syllogisticè egisse.*
§. 19. *6. Locus, à D. VVillenbergio in vituperium methodi syllogisticae adductus, ex ipso Luthero explicatur.*
§. 20. *Methodus, à D. VVillenbergio observata, & commendata, non sufficere semper potest.*
§. 21. *Autor rationem reddit, cur prolixior hac in re fuerit, &*
§. 22. *justè conqueritur de D. VVillenbergio, quod nec rationes suas logicè, nec phrases grammaticè examinari patiatur, eundem*
§. 23. *per Deum obtestatus, ut, aut syllogisticè agat, aut obstrepere desinat.*

§. 1.

QVia non ex pruritu captandae gloriolae, neque ex odio Adversarii, sed ex puro veritatis amore, ac serio scandala removendi studio, in hanc arenam descendi; & in *Vindiciis* meis, & in *justitia causae*, syllogisticè rem egi, omnibusque quae vel à me, vel ab Adversario dicta sunt, logicam suam formam reddidi. Cujus consilii, oppido innocentissimi, ratio-

nem dedi in ipſa Dedicatione: *Filum dialecticum adhibui, ſive veritatem evolverem, ſive errores deſtruerem. Ea enim ſcribendi ratio, utut ſimplicior videatur, expeditior tamen, &, ut omnis doli expers, ita Adverſario in ordinem redigendo apprime apta eſt.* Conf. *juſt. cauſae P. general.* §. *10. p. 17.*

§. 2. Eam vero methodum Adverſarius meus ferre noluit, quin potius impatibilem ſibi fecit. Quod merito dolui in *juſt. cauſae p. 17.* §. *11.* Nunc autem ita mihi hoc nomine denuo inſultat, in *iteratis praeſidiis. p. 8.* §. *12.* Ad methodum vero Syllogiſticam, cui nimium defert *D. Weickhmann in dedicat. &* §. *10. & 11. p. 17. & 18. juſtit. cauſ.* ut & gloriam de ſe canere non dubitet, quod ob bonos ſyllogismos judicari non dedignetur ab omnibus Logicis, quotquot in Orbe ſunt. §. *15. inf. p. 31.* ſervandam me inducere (induci) non patiar. Ejusmodi enim digladiationes per ſyllogismos, non procul à miſeria Pedantarum ſunt, qui neglectis rationum momentis, aciem vertunt adverſus figuras ſyllogiſticas, &, ut grande ſonent Darapti, Felapton, Pugilis in morem, hoſtiliter arma vibrant. In cathedra quidem, cum diſputatur, formantur Syllogiſmi, modo eorum abuſus caveatur, & non ad quamlibet Opponentis inſtantiam regeratur: fiat ſyllogiſmus. In Controverſiis vero, in ſcriptis tractandis, ea diſputandi ratio parum ad palatum viſa, peperitque illi Commen-

men-

mentatori ad Grotium exiguam laudem, qui per argumenta ſyllogiſtica omnia tractavit. Audiat, quid magnus Lutherus de hac ratione diſputandi judicet. Is contra Ariſtotelem diſputans ſequentia monet: *Error eſt dicere, ſine Ariſtotele non fit Theologus, imo Theologus non fit, niſi ſine Ariſtotele: Nulla forma ſyllogiſtica tenet in terminis divinis, non tamen inde ſequitur, veritatem Articuli Trinitatis repugnare formis ſyllogiſticis.* SECKENDORF *in Hiſt. Lutheran. lib. 1. Sect. 13. §. 13. p. 28.* A me ergo non expectat ſyllogiſticam pugnam. Utar rationibus pro medio termino, quibus veritatem eviciſſe, etiam ſine ſyllogiſmis, ſatis erit.

§. 3. Qvanta inſolentia hominis! quantum faſtidium! Habes hic ſententiam decretoriam, qua humaniſſimus *Dn. D. Willenbergius* adeo gratiosè mecum agit, ut locum quidem inter homines, aſt, non niſi Pedantas, mihi aſſignet. Infimum, an altiorem? in pectore adhuc reſervavit. Haec ſorbenda mihi non ſolum, ſed etiam concoquenda ſunt, quia res eſt cum *D. Willenbergio*. Nihil habet, cur licenter admodum mihi exprobret, quod Scripta mea omnibus Logicis, quotquot in orbe ſunt, judicanda obtulerim. Quid ea res habet vitii? Extra partium ſtudia qui poſiti ſunt, mihi hoc ipſum laudi dabunt. Politico in foro litigantes ad leges politicas provocant, quae norma ſunt, ſecundum quam pronunciari oporteat. In foro Eruditorum qui contendunt, & nexum conſequentiarum invicem negant, non poſſunt, quin ad Logicorum leges con-

fugiant, quae communi omnium confenfu norma funt, ad quam confequentias exigere non modo licet, fed omnino etiam oportet.

§. 4. Dicam, quod res eft. Non putaffem *Dn. Willenbergio*, Doctori Scholaftico, methodum fyllogifticam adeo defpicatui fore, ut vix abjectius quisquam fentire de illa poffet. Digladiationes per fyllogifmos quisquis miferiam Pedantarum interpretatur, nae is Διαλεκτικόμιστον fe ipfum profitetur. Habet illa, aeque ac jura Naturae, Autorem ipfum Deum, qui regulis dialecticis praemunivit intellectum noftrum, ne in periculofas errorum vias, quas vel ignorantia, vel arrogans pruritus pandit, magno fuo damno abripiatur. Norma opus eft, indagatrice veritatis. Cautione opus eft, ne nobis imponatur. Meretur veritas non plebeja trutina, fed aurificis ftaterâ expendi. Fieri utique poteft, ut homines vel cum recta ratione infaniant, vel corruptae rationis deliria veritati praeponant. Peffimè in rebus humanis ageretur, nifi verum à falfo difcernere liceret. Id vero aeternum non fiet, fi aut nullam aut incertam argumentandi normam fequaris. Neglectus enim regularum logicarum vias veritatis intercludit, & judicium ejus disturbat.

§. 5. Qua in re JCti, maximi nominis, calculo fuo mihi haudquaquam defunt. Qui cum ipfi in fcriptis fuis artis dialecticae obfervantiffimi, tum Alumnis Jurisprudentiae, ut omni ftudio illam colerent, autores femper fuerunt. Ecquis eft, quem lateat, *Hermannum Vultejum*, ideam Juris logicam, Francof. A. 1586. *Joachimum Stephanum*, & *Danielem Ottonem*, Dialecticam Juris, Roftochii A. 1610. & Jenae An. 1620. *Johannem Brunnemannum* Enchiridion logicum, Francof. A. 1639. & *Cyprianum Regnerum*, Logicam juridicam Lugduni Batavorum A. 1638. fcripfiffe? Tantum abeft, ut Viri illi, de Orbe litera-

ra-

rario praeclare meriti, juventutem ſtudioſam in Pedantiſmum induxerint, ut potius viam ad ſolidam eruditionem aperuerint. *Nicolaus Vigelius*, in Dialectica juris civilis, Venetiis An. 1597 impreſsâ, jurisprudentiam ſine dialectica impoſturam appellat, Rebuspublicis pernicioſam. Recitabo ipſa Autoris verba: *Sine hac arte omnis eruditio manca eſt, ipſaque jurisprudentia inanis loquentia eſt, vel impoſtura potius, Rebuspublicis pernitioſa magis, quam utilis.* Liber tertius de argumentationum formis agit, exhibens p. 433. regulas in Syllogiſmis obſervandas, quas Logici vulgo per terminos technicos, *Darapti* &c. exprimere ſolent. Expedit, in vindicationem artis innocentiſſimae, huic teſtimonio aliud jungere. HENRICUS RHALA, JCtus Franequeranus, reliquit Topicam, exemplis ex jure depromtis illuſtratam, quae, poſt fata ejus, Franequerae An. 1641. prodiit, praemiſſa *R. Meyeri* ad Lectorem Epiſtola, in qua monet: *Rhalam praevidiſſe, ſtudioſos juris ſine Logica naufragio proximos eſſe, adeoque ut, ſine Nauclero logico, ſalutem ſperare vix liceret.* Pergit: *Nam Labyrinthus tam non videtur filo Ariadneo eguiſſe, quam juſtinianeum juris corpus logica regula. Noveratque ſine Logica uti neminem, ita nec JCtum quicquam poſſe, laude dignum: non textum reſolvere, non ſyllogiſtice & axiomatice verum ſenſum indagare, non dijudicare, non verum à falſo diſcernere, non leges interpretari, τὸ κρινόμενον eruere, eaque ſagacitate Cujacios, Weſenbecios, Pacios, Vultejos, majores hac minus inſtructos, longe ſuperaſſe: ideoque è re ſtudioſorum juris judicavit, ſi eos non ſolum jus, ſed & Logicam doceret, ne jura ſine Logica verius ignorarent, quam ſcirent.*

§. 6. Veniam dabit mihi conſultiſſimus meus Antagoniſta, ſi, quid ſentiam, ingenuè indicavero. Rationem dum reddere argumentorum ſuorum ipſe ſubterfugit, nec non mihi jus ſyllogiſtice placita ſua examinandi eripere audet, ſe

 ipſum

ipſum αὐτοκατακρίσεως ſuſpectum facit. Laborant vitio merces, quae ſe ad lucem poni & probari non ſuſtinent. Et qui victos ſe ſentientes elabi non poſſunt, ſyllogiſmos non patiuntur, parumque abeſt, quin lectis illis irâ ac indignatione rumpantur. Omnes ἀσυλλογισίαι, quibus ille ſcripta ſua deformavit, ſorices ſunt, ſe prodentes. Notavi plurimas in *juſtitia cauſae meae*. Non quidem memini, me uſu modorum ſyllogiſticorum: *Darapti*, *Felapton*, in quos vano conatu invehitur, ipſi gravem eſſe; ſicubi tamen in regulas generales impegit, medium terminum inſerendo concluſioni, vel officia diſputantium inter ſe convertendo, vel probationes & exceptiones cum reſponſionibus commiſcendo, non potui non paroramata illa, ſatis craſſa, indicare. Decet hoc ingenuum Diſputatorem. In *iteratis*, ut vocat, *praeſidiis*, placuit hos quoque ſoloeciſmos iterare. Sophiſtam agit ubique, aut arte, aut ductu genii ſui. Non dimittam ſine animadverſione, quando ordo me eo deduxerit. Nunc juvabit quasdam anomalias digito indice notaſſe. Ad concluſionem reſpondet, neglectis rationibus, a me productis, *c. 1. §. 7. p. 5. c. 2. §. 42. p. 47.* Quando ad reſponſiones excipere debet, exigit vel à me probationes, *c. 2. §. 6. p. 16. §. 16. p. 25.* vel ad theſin recurrit. *c. 2. §. 12. p. 20.* In Propoſitionibus univerſalibus univerſalitatem ſubjecti reſtringit per appoſitionem praedicati, atque ſic propoſitionem format identicam. Scripſerat in *praeſidiis juris divini*: Omnes Patriarchas & Sanctos in polygamia vixiſſe. p. 11. Mihi vero, univerſalem hanc, inductione Joſephi, Moſis, Aaronis, monogamorum, infringenti, nunc reſpondet, c. 2. §. 15. p. 24. aſſertum ſuum *non ſimpliciter, ſed ſecundum quid intelligendum eſſe, & illos Patriarchas includere, qui Polygami fuerunt.* Ergo Propoſitio ejus univerſalis: *Omnes Patriarchae in Polygamia vixerunt*, ipſo interprete,

hunc ſenſum habebit: *Omnes Patriarchae, qui polygami fuerunt, fuerunt polygami*, vel: *Polygami fuerunt Polygami.* Arbitror, Lector honoratiſſime, moderandum mihi eſſe jam repetitioni ulteriori anomaliarum logicarum, ne faſtidio quodam & ſatietate prorſus abalieneris.

§. 7. Quia tamen Adverſarius, non ſine ratione, ſententiam Pedantiſmi in me pronunciaſſe, videri voluit, audiendus nunc erit. Urget varia, cur ſe ad methodum ſyllogiſticam non velit induci. *Primum* dicit, ejusmodi digladiationes non procul a miſeria Pedantarum eſſe. p. 8. Reſpondeo: quia haec meram inſultationem continent, indigna ſunt reſponſione. Creſconium aliquem audire mihi videor, qui, in altercando, ictus ſuos ab Auguſtino feliciter exceptos & pulſos ſentiens, tandem dicebat, cum hoc viro contendendum non eſſe; cur? quia Dialecticus eſſet. Cui vero Auguſtinus ſcitè reſpondebat: *te adverſùs nos etiam ſcribendo diſputare non piguit, tu tamen in me Dialecticam criminatus es, quod falleres imperitos, illosque laudares, qui diſputando mecum congredi noluerant. L. I. cap. 13. contra Creſconium fol. 209. Tom. 7. Oper. Edition. Baſil.* 1569. & *cap. 14. Si Paulus Dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non ſolum acutè diſputabat, ſicut & illi, ſed etiam veraciter, quod non illi, jam cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris.* Si, logicam in ſcriptis polemicis tenere methodum, & Adverſarium diſſimilia conjungentem ſyllogiſmis coërcere, Paedantismus eſt: ego Excellentiſſimo *Dn. D. Willenbergio* Galantiſmum non invidebo, modo mihi Paedantiſmum illum ſine ignominia integrum reliquerit. Fortè non operae poenitebit, quibus conferre placuerit Programma, quo Hamburgenſis Scholae Johanneae Rector, *Dn. M. JOH. HÜBNERUS* ad audiendam

dam *de Scholis bene constitutis* inauguralem, Auditores convocavit. In eo enim utrumque hoc Eruditorum plurimis familiare vitium, *Paedantismum* & *Galantismum* evolvit, suisque κριτηρίοις designavit. *Paedantismi* accusavit, in quibus deprehenderis 1. fastum internum; 2. amorem studiorum inutilissimorum; 3. invanum antiquitatis studium; 4. amorem rerum obscurarum; 5. mores a vitâ communi abhorrentes. *Galantismi*, 1. qui immoderatum prae se ferunt novitatis studium; 2. curiosam & inusitatam hactenus methodum; 3. qui latius, quam par est, excurrunt ad studia politica; 4. in excolenda Eruditorum vernacula minorem, quam fas est, diligentiam adhibent; 5. nimiam disciplinae scholasticae remissionem amant. Refert ista Clarissimus *Dn. M. MICHAEL LILIENTHALIUS*, Fautor & Amicus noster, in dissertatione *de Machiavellismo literario* p. 124.

§. 8. Deinde putat, hoc pacto, neglectis rationum momentis, aciem verti adversus figuras syllogisticas, & ut grande sonant, Darapti, Felapton, Pugilis in morem hostiliter arma vibrari. p. 8. Respondeo: Haec ne speciem quidem veri habent, merumque odium artis innocuae sapiunt. Methodus haec, rationum momenta ponderare nos maxime jubet, tantum abest, ut illa negligat. Instrumentum est Logica, à Deo ordinatum, pro investiganda veritate. Relinquit scientiis superioribus principia sua domestica, ipsa vero consequentias tantum dirigit, docendo, quomodo, quando ignotius ex notiori eliciendum est, procedi in omnibus disciplinis oporteat, ne alii, vel ignorantia, vel dolo, nos fallant. Eum in finem figuras syllogisticas commendat, quae si observentur in omni materia theologica, juridica, medica & philosophica, ex vero non nisi verum concludetur; si

laedan-

laedantur, falsum etiam ex vero fluet, non per se, sed per accidens, ex vitio formae. Exemplo hoc illustraturus pono syllogismum: *Qui polygamiam a Deo prohiberi asserit, est homo. Qui polygamiam a Deo prohiberi negat, est homo. Ergo, qui polygamiam a Deo prohiberi negat, is eandem a Deo prohiberi asserit.* Conclusio est falsa, & tamen utraque praemissarum vera. Forma vero non pensi habita, ex veris falsum colligitur.

§. 9. Porro dicit: in cathedra quidem cum disputatur, formantur syllogismi, modo eorum abusus caveatur, & non ad quamlibet Opponentis instantiam regeratur: fiat syllogismus. In Controversiis vero in scriptis tractandis ea disputandi ratio parum ad palatum visa, peperitque illi Commentatori ad Grotium exiguam laudem, qui per argumenta syllogistica omnia tractavit. p. 8. 9. Respondeo: 1. Perinde, ac si dixeris, aurifabro non concessum esse ad lapidem lydium, extra officinam, argentum atque aurum exigere. Quod enim huic lapis ille est, id Eruditis syllogistica forma. 2. Si veritas semper & ubique digna est investigatione, & ab errore discerni meretur, etiam extra cathedram nemo hac methodo fraudandus erit. 3. Quanquam non semper rationes, quibus utimur, forma syllogistica induantur, quod nec simpliciter opus est; debent tamen syllogistica esse virtualiter, hoc est, in leges logicas nunquam impingere. 4. Quodsi alteruter litigantium syllogistice procedat, idemque ab Adversario suo exigat, nec vitio hoc ipsi dari, nec recusari potest, aut debet. Debemus haec jura ipsi Deo, mortalibus donum largienti, cujus beneficio veritatem pari certitudine assequi possunt, ac Arithmeticus ex

collatione duarum rationum proportionem demonſtrare poteſt. 5. Quando nobis cum Antagoniſta res eſt, qui, omni neglecto ordine, quidlibet ex quolibet concludit, tunc methodus ſyllogiſtica indeclinabiliter neceſſaria evadit. Quo in caſu ſyllogiſmos prohibere, idem eſt, ac Mathematico circulos, Militi arma excutere.

§. 10. Eapropter ſummos Viros nec puduit, nec dedecuit τεχνολογικῶς loqui, atque tum a ſe dicta ſyllogiſtice proponere, tum ab aliis producta, logica analyſi, ad formam ſuam redigere. Scripſit *B. D. HENRICUS HOEPFNERUS* egregium tractatum de juſtificatione contra *CHRISTOPHORUM MAJERUM*, Jeſuitam Viennenſem, in quo ingens ſyllogiſmorum copia, thetice ac antithetice formatorum, apparet. Nec a quoquam hoc nomine ipſum vapulare memini.

§. 11. Ægre quidem fert *Dn. D. Willenbergius*, Commentatorem Grotianum hac via inceſſiſſe, arbitratus, exiguam ipſi peperiſſe laudem, quod per argumenta ſyllogiſtica omnia tractaverit. Eſt ille Theologus Jenenſis, *B.D. VALENTINUS VELTHEM*, quem etiam nomine appellatum, ob ſyllogiſmos ſuos, in Praelectionibus publicis coram juventute coarguit. Sed nullus dubito, quin ipſe *GROTIUS* reviviſcens cenſuram *D. Willenbergii* improbaturus ſit. Magnifaciebat Ariſtotelem, *principem ei inter Philoſophos locum tribuendo, ſive tractandi ordinem, ſive diſtingvendi acumen, ſive rationum pondera conſideres. Prolegom. de j. b. & p. §. 42. p. m. 15.* De Logica figurisque ſyllogiſticis adeo honorifice ſtatuebat, ut ipſi etiam Legato Regis Galliae, *BENJAMINO MAURERIO*, de ratione ſtudiorum

rum in consilium ab eo vocatus, studium earum & usum maxime commendaret, in literis A. 1615. d. 12. Maji ad ipsum datis. *Commune*, inquit, *utrique Philosophiae, contemplativae & activae, instrumentum est Logica, a qua proinde initium fieri, ratio imperat. -- In Logica praecipui usus sunt figurae syllogismorum & regulae topicae.* Conf. *Volumen Epistolarum Grotianarum, Epist. 54. fol. 17.*

§. 12. Quod in Theologo reprehendit, idem illud in Grotianis maximorum JCtorum commentariis observare ipsi licuit. *B. D. ZIEGLERUS* non erubuit in notis suis ad *l. 3. c. 19.* §. *1. p. 586.* ex Hottomanno formale argumentum repetere: *inter quos juris alicujus communio est, inter eos contrahitur obligatio. Atqui inter hostes juris est communio, scilicet ejus, quod gentium dicitur & naturalis. Ergo inter eos contrahitur obligatio.* Illustrem *ULRICUM OBRECHTUM*, JCtum Argentoratensem, non depuduit logico ore ad Grotium loqui, idque in causa polygamica. Sententia ejus est, polygamiam ipsi juri naturae repugnare. Quam in rem adversus Grotium, in *observationibus ad l. 2. c. 5. §. 8.* binis utitur argumentis, quae repetere non gravabor. *Veriorem puto sententiam, quae statuit polygamiam utique repugnare juri naturae; rationes forte hae sunt. 1. Quicquid repugnat primae institutioni matrimonii, repugnat etiam naturae, essentiae & substantiae matrimonii: Atqui polygamia &c. Ergo. Major approbatur etiam ab ipso Salvatore Matth. XIX, 8. Quicquid repugnat ordinationi divinae, illud repugnat legi divinae, si non directe, tamen per consequentiam: Atqui polygamia: Ergo.* Perlustranti mihi vel obiter *HENRICI HENNIGII observationes politico-morales in Grotium*, septendecim notare in illis licuit syllogismos, qui pag. 83. 97. 124. 176. 235. 248. 290. 672. 804. 844. 873. 899. 906.

 922.

922. 976. 1029. leguntur, ipſamque Grotii ſententiam vel confirmant, vel impugnant, qualis & ille eſt, qui pag. 873. apparet. Non praetereundus mihi eſt JCtus ſui nominis, D. *JOHANNES a FELDEN*, qui, in annotatis ad Grotium, quinquagies ſemel ſyllogiſmis in forma logica poſitis uſus eſt, quorum quinque in prolegomenis, reliquos in ipſo opere pag. 2. 36. 45. 46. 53. 55. 59. 65. 68. 69. 108. 121. 122. 123. 124. 125. 141. 143. 145. 146. 151. 156. 168. 170. 171. 173. 177. 181. 191. 194. 200. 205. 209. 223. 251. 272. 311. 312. 326. 344. 395. 457. invenies. Quae ex editione Jenenſi Anni 1663. annotavi, reſponſiones ſimul ad ſtricturas *GRASWINCKELII* exhibente, quem, ut dolens conqueritur Feldenius, Antagoniſtam nactus fuerat, *omnis philoſophiae rudem, quique nihil aliud egit ſcripto ſuo, quam, ut omnibus Philoſophis oſtenderet, ſe nulla vel ſcientia vel intelligentia pollere.* p. 22. 32. Aveo ſcire, cur conſultiſſimus *Dn. Doctor Willenbergius*, data, in pari cauſa, Dn. Obrechto, Feldenio & Hennigio venia, ſeveriori cenſura in *D. VELTHEMIUM* & me animadverterit? Cauſam conjecturare poſſum nullam, niſi, quod Theologi ſimus, & ego quidem ſuſtinuerim ſyllogiſmis adverſus theſes Willenbergianas inſurgere, atque *polygamiam jure divino non minus ſcortationis vitandae medium poni, ac monogamiam,* fortiter negare. Proh! quantum crimen, famoſo pedantiſmi nomine expiandum!

§. 13. *Praeterea*, ne incivilius me perſtrinxiſſe videatur, nomine Lutheri abutitur. De quo pergit: audiat, quid magnus Lutherus de hac ratione diſputandi judicet. Is contra Ariſtotelem diſputans ſequentia monet: *Error eſt, dicere, ſine Ariſtotele non fit*

Theo-

Theologus, imo Theologus non fit, nisi sine Aristotele. Nulla forma syllogistica tenet in terminis divinis, non tamen inde sequitur, veritatem articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis. SECKEND. *in Histor. Lutheran. l. 1. Sect. 13. §. 13. p. 28.* Audiam Lutherum, sed & ipse audiat, sibique dicta putet, quae ex Scriptis ejus sum producturus.

§. 14. Respondeo. 1. Si, quia Lutherus initio reformationis durius quandoque in Aristotelem ejusque philosophiam dixit, abstinendum est a methodo syllogistica, tanquam pedantica; utrumque Jus, Canonicum & Civile, abrogandum erit. Illud publice combussit & prorsus removeri voluit: Ich sag zum ersten / daß es gut wäre / das geistlich Recht von dem ersten Buchstaben / biß an den Letzten / würd zu Grund ausgetilget &c. *Tom. I. Jen. Germ. fol. m. 343. b.* De civili ibidem statuit: Das weltlich Recht / hilff GOtt / wie ist auch das eine Wildniß worden / wiewohl es viel besser / künstlicher / redlicher ist / denn das geistliche / an welchem über dem Nahmen nichts gutes ist / so ist seine doch auch zu viel worden. Fürwar / vernünfftige Regenten neben der heiligen Schrifft wären übrig gnug / wie S. Paulus 2. Cor. 6. sagt: ist Niemand unter Euch / der da mög seines Nechsten Sache richten / daß ihr für heydnischen Gerichten müsset hadern. : : Wolt GOtt / daß / wie ein jeglich Land seine eigene Art und Gaben hat / also auch mit eigen kurtzen Rechten regieret würden / wie sie regieret sind gewesen / ehe solche Rechte sind erfunden / und noch ohn sie viel Land regieret werden. Die weitläufftigen und fern gesuchte Recht sind nur Beschwerung der Leute / und mehr Hinderniß / denn Förderung der Sachen. Quicquid mihi hic di-

dixerit Adverſarius, idem ſibi dictum habeat de loco, mihi nunc oppoſito.

§. 15. 2. Quaecunque duriora apud Lutherum de Philoſophia Ariſtotelica occurrunt, de ſolo abuſu, qui tunc Eccleſiam inundaverat, intelligi debent. Quod, ut plura alia loca taceam, ipſe innuit, quando *in Genes. cap. 8. fol. m. 108. b. aſſerunt*, inquit, *in homine eſſe etiam poſt lapſum bonam voluntatem & rectam rationem. Nam naturalia manſiſſe integra non in hominibus ſolum, ſed etiam in Diabolo. Atque ad hanc ſententiam* detorquent *tandem Ariſtotelis dictum: rationem deprecari ad optima.* Errorem, quem arguit, non tribuit doctrinae Ariſtotelicae, ſed abuſui ejus, dolens, quod dictum ejus Adverſarii detorqueant. Laetor ſuffragio Theologi & Philoſophi acutiſſimi, *B. D. JACOBI MARTINI*, qui Wittenbergae, imminente primo Jubilaeo Lutherano, An. 1617. die 23. Septembris, in publica Panegyri, Orationem *de Philoſophia pro D. Martino Luthero* habuit, eamque typis Gormannianis, eodem Anno, ſub titulo: *Prodromus jubilaei eccleſiaſtici Lutherani*, evulgandam curavit. Leguntur hic in rem noſtram ſequentia; *ſatis liquet, quid Lutherus reprehendendo Philoſophiam & rejiciendo Ariſtotelem reprehendat & rejiciat; ſane non ipſam illam genuinam, in natura & ratione fundatam, neque Ariſtotelis ſcripta ipſa, ſed indoctorum illorum monachorum ſomnia & divinationes, quas Philoſophiam & ſententiam Ariſtotelis dicebant, interim ne Prooemium quidem ullius libri Ariſtotelis recte intelligentes.*

§. 16. 3. Ipſam Philoſophiam, inprimis Dialecticam, in pretio habuit Lutherus, tanquam certiſſimum, atque a

Deo

Deo ordinatum medium, a fraudibus & technis Sophistarum nobis cavendi. *Dialecticus*, inquit, *facile deprehendit fucum. In Genes. c. 8. fol.* 109. b. & alibi: *Rhetorica, quae ad exhortationem facit, ludit saepe, saepe praetendit lignum, quod tu putes gladium esse. Dialectica autem belligerat & agit res serias, igitur non ligna, sed ferrum ostendit Adversario. - - Antecedens igitur non negamus, quin sit verum, sed consequentiam tamen probamus falsam esse. In Genes. c. 18. fol.* 215. b. Ergo, ex consilio ipsius Lutheri, Dialectica utendum erit, nisi aliorum dictis & factis, ad fallendum instructis, circumscribi & decipi velimus. Cujus consilii Theologi nostri probe memores, studia philosophica majorem in modum semper commendarunt. Refert *B. D. AEGIDIUS STRAUCHIUS*, Dresdensis ille, in praefatione, qua Disputationes suas physicas speciales ornavit, se a D. Rungio, ut studiis philosophicis operam strenue navaret, his verbis excitatum fuisse: *philosophare, quamdiu potes, nimium non potes. Excellens Philosophus, excellens Theologus: olim videbis.*

§. 17. 4. Constat etiam, Theandrum in Logicis adeo non fuisse rudem, ut potius maxime in illis excelluerit. Enarravit publice Dialecticam & Physicam Aristotelis, officio ita postulante, quo primum in Academia Wittenbergensi, ex consilio Staupitii, fungi coepit. Vid. *MELANCHTONIS Oratio de vita & Actis Lutheri p. m. 7.* Magno hoc deinde fructui & gloriae ipsi fuit in conflictu, qui cum Eccio, homine versutissimo, Lipsiae, A. 1519. secundo post impugnatas indulgentias, ipsi intercessit. Tanti aestimabat methodum syllogisticam, ut etiam in Disputatione, contra Missam privatam A. 1535. habita, meros, si problema finale exceperis, syllogismos ventilandos exhibuerit, modis suis logicis signatos. *Tom. I. Jenens. latin. fol.* 455. a.

§. 18.

§. 18. Quid? quod 5. etiam extra congressum, a viva voce ad Calamum descendens, in scriptis ultro citroque publicatis, sententias logicis ponderibus libraverit. Quo nomine Emserum monet: mach mir nicht aus einer Proposition de inesse, modalem de necesse, du scharffer Logicus, nicht jus ex facto, du hochgelahrter Licentiat des heiligen verbremten Rechts. *Tom. I. Jen. Germ. fol.* 441. a. Commentarius ejus in Genesin specimina hujus rei nobis exhibet egregia. Ipse enim, sicubi opus est, thesin suam formato syllogismo confirmat, ejusdemque praemissas probat: *Haec fides ante omnia necessaria est, quae firmiter hunc syllogismum apprehendat: Omnis populus Dei benedictus, sanctus, Deo gratus & acceptus est, ita, ut non possit rapi ex manibus Dei. Ergo Deus nostri curam agit. Major est verissima, quia etiam mors & sangvis Sanctorum sunt pretiosa in conspectu Domini. Sed de Minore est Quaestio. Videndum igitur est, ut de Minore simus certi, quod nos simus Filii Dei &c. in cap. 31. fol. 427. a.* Neque tam delicatus erat, ut, paria cum *D. Willenbergio* faciens, adversae partis syllogismos admittere dedignatus fuisset. Vin' exemplum? *In cap. 8. fol. 109. a.* ad Scoti argumentum pro asserendis puris naturalibus: *Si tantus creaturarum amor est, quae longe infra Deum sunt positae, quanto magis amabit homo Deum, qui summum bonum est? Ergo ex puris naturalibus diligi potest Deus;* respondet, negando nexum Propositionis: *Bella consequentia & digna Franciscano Monacho.* O! si in vivis esset divus noster Lutherus, quam aspere *in Willenbergium* inveheretur, quod nihil veritus fuerit, sententiam temerariam: digladiationes per syllogismos non procul a miseria Pedantarum esse, autoritate sua communire.

§. 19. Ipse 6., quem produxit, locus ausus ejus reprimit. Pe-

Petitus eſt ex theſibus, quas praeſidente, ut inſcriptio habet, D. Martino Luthero, A. 1517. M. Franciſcus Güntherus defendit. *Tom. I. Jenens. latin. fol. 8. ſeq. Error eſt dicere, ſine Ariſtotele non fit Theologus. Contra dictum commune. Imo Theologus non fit, niſi id fiat ſine Ariſtotele. Nulla forma ſyllogiſtica tenet in terminis divinis. Contra Card. Non tamen ideo ſequitur, veritatem articuli Trinitatis repugnare formis ſyllogiſticis. Contra eosdem Card. Ca.* Nota 1. Lutherum ipſum mentem ſuam explicare, dum dicit: *Veritatem articuli Trinitatis non repugnare formis ſyllogiſticis*, h. e. non eſſe infra dignitatem ſublimis hujus myſterii, ſyllogismis pro illo militare. Cur igitur Antagoniſta meus doctrinae ſuae, de polygamia divinitus permiſſa, damnum vel dedecus ex ſyllogiſmis metuit? Numquid haec Articulum de Deo trinuno dignitate vel autoritate ſuperat? 2. Ex additamento illo apparet, quo ſenſu Lutherus dixerit: *nulla forma ſyllogiſtica tenet in terminis divinis.* Nimirum, per formam ſyllogiſticam non nudam formam logicam, ſub qua terminos diverſimodè jungi, unumque ex alio concludi oportet, ſed principia ſimul rationis materialia vel realia, formâ iſtâ veſtita, intelligit. Talis forma ſyllogiſtica non tenet in terminis divinis: quia ratio non eſt principium fidei. Impingit igitur Socinianus axioma rationis: *Omnis Pater prior eſt tempore Filio*, applicando ad divinam generationem, de quâ perperam ſubſumit: *Atqui prima perſona in divinis, ſecundum noſtram confeſſionem, eſt Pater Filii; Ergo prima perſona in divinis, ſecundum noſtram confeſſionem, prior eſt tempore Filio.* Recte hic reſpondetur ex Luthero: nulla forma ſyllogiſtica, praegnans ſcilicet aut gravida principiis rationis realibus, tenet in terminis divinis. Eam eſſe mentem Lutheri, pateſcit ex illis, quae immediate ſubſeqvuntur, ab Adverſario vero addita non ſunt, forte, quia in Seckendorfio, ex quo iſta petiit, non leguntur:

tur: *si forma syllogistica tenet in divinis, articulus Trinitatis erit scitus & non creditus*, h. e., si veritas & certitudo hujus doctrinae: Deum esse Trin-unum, ex principiis rationis demonstrari potest, dabitur illius scientia in oppositione ad fidem divinam. Quod falsum. Credimus, non scimus, in sensu philosophico, Patrem, Filium & Spiritum S. unum illum verum Deum esse. Quae fides principiis assumtis supernaturalibus nititur, secus ac scientia. Cum igitur Lutherus talem figuram syllogisticam excludat a terminis divinis, quae scientiam parit fidei contradistinctam, oportet illum, non nudam figuram logicam, sed prout principia rationis realia continet, intellexisse. Ipsa figura logica in se spectata communis est & scientiae & fidei. Hinc omnino tenet forma logica in terminis divinis, quando pro confirmando SS. Trinitatis mysterio ex Matth. XXVIII, 19. concludimus: *In quoscunque baptizamur, illi sunt unus ille & verus Deus; Atqui in Patrem, Filium & Spiritum S. baptizamur; Ergo Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus ille & verus Deus.* Par ratio est aliorum religionis Christianae capitum. Sic iterum forma logica tenet in terminis divinis, quando pro asserendo Paedobaptismo contra Anabaptistas argumentamur: *Quodcunque Sacramentum successit in locum circumcisionis V. T. ab illo ne quidem tenelli infantes excludi debent. Atqui Baptismus successit in locum circumcisionis V. T. Ergo ab illo ne quidem tenelli infantes excludi debent.* 3. Ex dictis etiam liquet, quo sensu Theologus Luthero dicatur non fieri, nisi fiat sine Aristotele, nempe, nisi principia ejus materialia Scripturae judicio subjiciat. Mysteria enim sphaeram rationis transcendunt. *1. Cor. II, 7. 14. Luc. V, 26.* Quemadmodum vero haec non prohibent, quo minus in hâc Propositione: Deus est Trin-unus, τὸ *Deus*, Subjectum, τὸ *Trin-unum esse*, Praedicatum appellari possint; ita nec mens Lutheri fuit, in controversiis theologicis methodum

dum syllogisticam Paedantismi criminatione infamandam ac proscribendam esse. Proinde etiam in syrraxi polygamica *D. Willenbergius* hanc vocem: a me ergo non expectet syllogisticam pugnam, autoritate Lutheri, non sine injuria ejus, tueri audet.

§. 20. Tandem methodum, qua ipse uti & secum agi vult, ita describit: utar rationibus pro medio termino, quibus veritatem evicisse, etiam sine syllogismis, satis erit. Respondeo: 1. Quid verò? si alter neget ex ratione ista evinci posse, quod ille veritatem esse jactitat? Quid? si alter idem quoque de suis rationibus dixerit. Sic nullus litigandi erit finis, & utrinque confusum chaos obtrudetur Lectori, certe dicturo: *fecistis probè, incertior sum multo, quam dudum.* 2. Non satis est, quod satis esse perperam putat. Usus est ratione hac: Deus legem tulit de haereditate Filiorum, ex societate polygamica descendentium, pro medio termino, quo evincere conatur: Deum polygamiam non prohibuisse. Ego vero negavi, ex medio illo termino fluere, quod ille fluere vult atque fingit. Vicissim si ego dicerem: utor ratione: Deus in primo matrimonio, non nisi duos junxit, pro medio termino, quo veritatem, Deum prohibuisse polygamiam, evicisse, etiam sine syllogismis, satis erit; ille vero itidem hoc negaret: quid tandem fieret? Neuter nostrum alterutrius intellectui imperabit. Non igitur aliud medium restat, quam, ut vires medii termini per syllogismos experiamur.

§. 21. Longius, quam putavi, demoratus te sum, benevole Lector, tu vero ideo non indignaberis. Res ipsa prolixiorem operam postulare visa mihi est. Permagni omnino referebat, me Paedantismi scommate liberari, quo mea reddere exosa tibi Adversarius meus satagit, ut ea ne quidem aspectu,

nedum lectu digna judices. Adſunt ſyllogiſmi; abſtine! refuge! cave! En, faſtidium delicatiſſimum! deinde, quantum in me eſt, cavere volui, ne palladiorum Juvenum mentes, tumidiore hoc Doctoris ſui judicio, a Studiis philoſophicis, ſine qvorum ope parum ſolidi in altioribus praeſtabunt, averterentur. Multo ſatius fuiſſet, ſtudioſam Cohortem, ſuo exemplo, ad culturam harum artium animaſſe, quam tragicis Paedantiſmi vocibus deterruiſſe.

§. 22. Ego verò quomodo cum hoc viro agam? Rationes ſuas non patitur logicè, nec vocabula & phraſeologias grammaticè examinari. Reſponderat ad locum Pauli ex *1. Cor. VII, 2. quaeque mulier habeat proprium maritum*, vocabulum *proprius* non peculiare, ſed *multiplex* denotare, in *Schediaſm.* §. *8.* Exceperam ego; hoc ipſum ſententiae ejus maximè adverſari. Si enim Maritus proprius idem ſit, ac multiplex, ſenſum fore, quamcunque mulierem debere non uni, ſed multis maritis ſimul nubere. *Vindic. p. 31.* Ad quae ille iracundiâ exardens regerebat, *me acumen oſtendere, meque ſublimiorem praebere voluiſſe, qua vocabulum multiplex, eo a ſe adbibitum ſenſu, quo quid ad pluralitatem auctum eſt, quo ſenſu maritus pluribus uxoribus gaudens, omnino multiplex appellari poſſit. Praeſid. j. d. p. 35. 36.* Sentiebam hic neceſſitatem mihi impoſitam, Adverſarium ex propriis principiis ad abſurdum deducendi, quod ſequenti ſyllogiſmo praeſtabam: Quaecunque uxor multiplicem jubetur habere maritum, illam oportet maritum ad pluralitatem urgere. Atqui quaelibet uxor jubetur multiplicem habere maritum; Ergo quamlibet uxorem oportet maritum ad pluralitatem urgere. *Juſt. cauſae P. Spec. Sect. 2. c. 4.* §. *22. p. 168.* Utraque praemiſſarum continet ipſius *D. Willenbergii* aſſertum. Alium vero ſenſum vocabuli *multiplex*, quo idem ac *commune* ſit, Grammaticis ignotum eſſe, docui, quorum teſtimo-

monio multiplex dicitur, quod ipſum augetur, non vero cujus Bona augentur. His ad incitas redactus Adverſarius concedit quidem, vocabulum multiplex non ſufficere ad exprimendam rem, ideoque in novum abſurdum ruens, pro eo in locum τȣ *proprius* vult ſubſtitui vocabulum *communis*, de quo ſuo loco; me vero non ſine probro dimittit, ſcribendo: video denique D. Weickhmannum ad puerorum gymnaſia deſcendere, ac de nominis multiplex terminatione multis clamoribus litigare. *Iterat. praeſid. c. 2. §. 50. p. 54.* Judicent, quotquot haec legent, etſi minus propenſi mihi fuerint, num talia meruerim? Nervus argumentandi conſiſtit in vocabulo: *proprius*, pro quo ille mihi τὸ *multiplex* obtruſerat. Qui poteram hic aliter, quam in ſignificationem ejus inquirere, & tandem ex conceſſis argumentari? Jura illa inter eruditos ubique Gentium ſemper viguerunt, ut, exorta de vocabulis, quibus diſceptantes utuntur, lite, Grammatici & Lexicographi conſulerentur.

§. 23. Quapropter conſilium mihi eſt, receptum morem neutiquam migrare. Pergam in certamine ſyllogiſtico, etſi probè intelligam, vix mihi hoc citra novas moleſtias conceſſum iri. Repetit Excellentiſſimus meus Adverſarius in prioribus Scriptis a ſe dicta & a me ſolide jam refutata. Quae vero, neglectis ſaepius & diſſimulatis reſponſionibus meis, recolit, adſperſisque novis coloribus veritatis ſimulacra praebet. Variis me artibus involvit, contraria permiſcendo contrariis, omniaque perturbando & implicando, inſtar ſepiae, ne victum ſe fateri neceſſe habeat. Quod ipſum ne fraudi ſit veritati, logicè ipſum ſtringam. Perſvaſum enim mihi eſt, hoc modo veritatem, quam amplector & profiteor, evidenter & perſpicue Lectoribus ante oculos poſitum iri. Non vendam fumum. Non

utar circumſcriptionibus, dolis & fallaciis. Veritas his artibus nec indiget, nec delectatur; mente igitur ſimpliciſſima, ſed & pura ſinceraque fide, illam tutabor. Cum *iterata praeſidia Willenbergiana* primùm mihi exhiberentur, volvebam manibus meis pientiſſimi Senis, *D. JOH. FECHTII* Epiſtolas Anti-praedeſtinatianas, in quibus Antagoniſtam ſuum, ad certamen ſyllogiſticum, ita ſibi devincit: *Adjuro ipſum per Deum, orbis judicem, ut niſi prodere veritatem & fucum ei obducere, quo minus ab incautis pervideatur, velit, ad ſingulos ſyllogiſmos & ſyllogiſmorum propoſitiones reſpondeat, ſed reſpondeat clare, dilucide, perſpicue, ut intelligi poſſit. Non ut verborum infuſcatis myſteriorum ſublimitate tenebris Lectorem, Doctoris ſui veneratione effaſcinatum, ut verba admiretur, rem ne intelligat quidem, in ſtulta adoratione erroris detineat. &c.* p. 4. Cauſae nihil video, quin Theologi, meritis & autoritate gravis, veſtigia premens, idem ab Adverſario meo depoſcam. Obteſtor igitur Te, *D. Willenbergi*, coram facie Eccleſiae, per Deum Trin-unum, qui veritatis & Autor & Vindex eſt, ut, aut ad ſingulos meos ſyllogiſmos, & ſyllogiſmorum propoſitiones, earumque probationes reſpondeas, ſed reſpondeas clare, dilucide, perſpicue, ut intelligi poſſit; aut deſinas frontem veritati obvertere, eamque turpiſſimi Paedantiſmi nomine infeſtare. *Ne errato. Deus non irridetur. Beatus vir, qui non ambulat in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtat; & in ſede irriſorum non ſedet. Quia cognoſcit Jehovah viam juſtorum: at via impiorum peribit. Gal. VI, 7. Pſalm I, 1. 6.*

SECTIO SECUNDA.

CAP. I.

De primo argumento Dn. D. Willenbergii, ex Deut. XXI, 15. 16. 17.

§. I.

§. 1. *Locus controversus ex Deut. XXI, 15. 16. 17. ponitur.*

§. 2. *Argumentum inde formatum repetitur, cujus Majorem & Minorem Autor negavit.*

§. 3. *D. Willenbergius Minorem, vel: textum de polygamia simultanea agere, probavit 1. quia odium & amor Viro tribuuntur. Autor negavit consequentiam, quam*

§. 4. *D. Willenbergius denuo probare conatur.*

§. 5. *Respondet Autor ad singula, & deinde*

§. 6. *negat, textum non nisi de odio & amore praesentis temporis explicandum esse.*

§. 7 *Exceptiones D. Willenbergii, ad quas Autor respondet:*

§. 8. *Frustra ab eo l. 7. C. de LL. adduci;*

§. 9. *textui vim inferri;*

§. 10. *versionem vulgatam, & Junii ac Tremellii, sententiae suae non adversari.*

§. 11. *2. probavit Minorem D VVillenbergius, quia alias polygamo successivo semper primam Uxorem oportuit exosam fuisse. Quae Consequentia ab Autore negata fuit.*

§. 12. *Exceptiones D. VVillenbergii repetuntur, quas*

§. 13. *Autor examinat & refellit.*

§. 14. *3. probavit D. VVillenbergius Minorem autoritate Lutheri, quam Autor modeste est deprecatus.*

§. 15. *Exceptiones D. VVillenbergii, ad quas*

§. 16. *Autor respondet tum in genere, tum in specie:*

§. 17. *1. Ecclesiam nostram Lutheranam, & cumprimis*

§. 18. *2. R. Ministerium Gedanense, in scripto publico, reservasse sibi facultatem discedendi ab opinione Lutheri; qua etiam*

§. 19. *3. multi Theologi sunt usi,*

§. 20. *4. ipseque Lutherus in scriptis Patrum, qui & a se scripta quandoque retractavit, aliisque*

§. 21. *dissensum indulsit.*

§. 22. *Quibus Autor se tuetur &*

§. 23. *concludit disputationem de Minore, conquestus de confusa D. VVillenbergii, dissimilia permiscentis, scriptione.*

§. 24. *Repetitur Major propositio argumenti pro Polygamia, cum responsione Autoris.*

§. 25. *D. VVillenbergius probare illam tentat ex Deut. XX, 10. cui*

§. 26. *respondetur ab Autore.*

§. 27. *Repetitur PRIMA D. VVillenbergii exceptio: nutare Autorem, cum responsione; ad quam ille siluit.*

§. 28.

§. 28. *SECUNDA ejus exceptio, instantias rejiciens, cum responsione Autoris; ad quam*

§. 29. *ille siluit, exceptionem tamen recrudescere fecit.*

§. 30. *Respondet Autor.*

§. 31. *TERTIA ejus exceptio: limitandam esse Majorem, cum responsione Autoris.*

§. 32. *D. VVillenbergius hic quoque siluit, & priora iteravit.*

§. 33. *QUARTA ejus exceptio: filios polygamorum legitimos haeredes declarari, cum responsione Autoris.*

§. 34. *D. VVillenbergius, praeterita ratione Autoris, vetera incrustat.*

§. 35. *Respondet Autor.*

§. 36. *QUINTA ejus exceptio: Deum formam polygamiae in lege posuisse, cum responsione Autoris.*

§. 37. *D VVillenbergius responsionem ultimam ne tangere quidem est ausus; urget tamen priora.*

§. 38. *Autor statum controversiae in hac exceptione format, &*

§. 39. *ad rationes Adversarii respondet.*

§. 40. *SEXTA exceptio, polygamiam Patriarcharum aliorumque V. T. concernens, qua D. VVillenbergius I. Autorem injuriarum in Patriarchas accusat, qui de illis se purgavit.*

§. 41. *D. VVillenbergius injuriarum actionem, quoad Patriarchas, Autori intendere pergit; quem*

§. 42. *JCti Regiomontani ac Rostochienses planè atque omnino eâdem solverunt.*

§. 43. *Autor ipse ad acrem accusationem respondet.*

§. 44. *De Lamecho, polygamo.*

§. 45. *II. impugnat dispensationem V. Testamenti, circa quam Autor quatuor notavit:*

§. 46. *1. facta hominum leges divinas non evertere. D. VVillenbergius tacet.*

§. 47. *2. nunquam in Republ. judaica universaliter receptam fuisse. Contradicit D. VVillenbergius, crassissimè in Logicam impingens: cui respondetur.*

§. 48. *3. per quam vero simile videri, quod dispensatio intercesserit. Negat D. VVillenbergius, cujus argumenta solvuntur.*

§. 49. *4. nec dispensationem omnibus contigisse, nec omnes polygamos ex dispensatione tales fuisse.*

§. 50. *Consilium & sponsio Autoris, de suspendendo judicio quoad polygamiam Patriarcharum, usque ad finem controversiae*

§. 51. *de Exod. XXII, 16. 17.*

§. 1.

§. 1.

PRimum illum, qui praestare praesidium sententiae suae Adversario meo videtur, locum in lege Mosaica contineri, ex hucusque disputatis constat. Deus etenim de portione haereditaria filiorum, ex duabus unius Mariti uxoribus oriundorum, ita sanxisse, ex versione Schmidiana, legitur: *Cum fuerint Viro duae Uxores; una dilecta, altera exosa; peperintque illi filios, tam dilecta, quam exosa; fuerit autem filius primogenitus exosae: tum fiet: in die, quo haereditatem dabit filiis suis, quicquid fuerit ipsi: non poterit primogenitum facere filium dilectae, pro filio exosae primogenito: sed primogenitum filium exosae agnoscet, ut det illi partes duas de omni, quod invenietur illi: eo, quod ille sit principium roboris ejus:* (unde) *ipsi jus primogeniturae. Deut. XXI. 15. 16. 17.*

§. 2. Quo ex loco, ego aperto pugnans marte, ad mentem Antagonistae mei, sequens formavi argumentum: *Quaecunque res objectum est legis divinae, illa in verbo divino revelato non est probibita, sed permissa; Atqui polygamia simultanea objectum est legis divinae; Ergo polygamia simultanea in verbo divino revelato non est probibita, sed permissa.* Responsum à me fuit negatione utriusque praemissarum. Qua occasione duae inprimis Quaestiones evolvendae nobis sistebantur. *Prior:* num textus ille mosaicus de polygamia simultanea agat? *Posterior:* num ex dispositione ista legali, filios duarum Matrum, in negotio capescendae haereditatis, concernente, recte ad approbationem polygamiae concludatur. Utraque materia est litis. Haec ad Majorem; illa ad Minorem pertinet. Utramque *D. Willenbergius* contra me affirmavit, qui rationibus apodicticis probare illam omnino tenetur.

§. 3. Neuter nostrum causae suae defuit. Ille pro asserenda priore Quaestione, vel Minore propositione, tria com-

memoravit. *Primum* eſt, quod lex agat de duabus uxoribus, quarum una dilecta, altera exoſa ſit viro; in mortuos vero non continuetur odium. *Praeſid. J. D. §. 5. p. 8.* Ego, redactis his in numerum ſyllogiſticum: *Quaecunque lex de Viro agit duarum Uxorum, quarum una dilecta, altera exoſa eſt viro, illa virum intelligit ſimul, non ſucceſſive duas uxores habentem. Atqui haec lex agit de viro duarum uxorum, quarum una dilecta, altera exoſa eſt viro; Ergo haec lex virum intelligit, ſimul, non ſucceſſive duas Uxores habentem*, negavi iterum & Majorem & Minorem, quatenus haec actuale exercitium & amoris & odii viro tribuit. vid. *Juſtit. Cauſae P. Special. Sect. I. c. 1. §. 6. p. 23.*

§. 4. Nunc ex *iteratis praeſidiis*, quae Adverſarius, methodum ſyllogiſticam faſtidiens, repetivit, hinc inde excerpam, juſto ſuo loco inſerenda. Pertinent huc, quae *cap. 2. §. 8. p. 17.* leguntur: Si cauſam conſulamus hujus legis, quae duo animi affectus ſunt, amor & odium, indicat illa, legem omnino de duabus viventibus uxoribus diſponere, quia illi affectus non cadunt, niſi in viventem, qui eorum objectum eſt. Indeque ut dicitur de una, quod maritus eam amet, ita & de altera dicitur, quod eam odio habeat. Conſequenter ut amor probat amatam adhuc vivere, ita & exoſam adhuc vivere, neceſſe eſt odium probare. Et §. 9. p. 18. Iſta vero ratio ab odio petita utique probat, quod id viventem uxorem ſupponat. *Mors jurgiorum finis eſt mortalibus. Nam majus aliud quid poteſt letho dari?* Euripides ait. Ferinum eſt odium, quod ultra aetatem inimicorum

rum extenditur & de raro contingentibus, quod ad regulam non trahendum, quale odium fuit Judaeorum contra Christum Matth. XXVII. 63.

§. 5. Duo excipit, quibus sibi ipsi est contrarius. Quod enim initio simpliciter negare pergit, idem illud deinde, sub certa restrictione, concedit. Negat simpliciter, sicut in priore scripto fecerat, odium & amorem in mortuos continuari posse; quia affectus illi non cadunt nisi in viventem, qui eorum objectum est. Dicuntur haec, non probantur. Ego odium certo modo etiam post mortem continuari, aut minimum operari posse, probatum dedi ex *Matth. XXVII. 63.* Idem de amore dictum sibi habeat. Non patiebatur David amorem Jonathanis, morte ejus, in animo suo extingvi, quin potius audito, viventium numero exturbatum illum esse, lamentatione lugubri satis copiose testabatur, *2. Sam. I.* Apprime in rem meam facit porisma *B. D. SCHMIDII* ex v. 26. erutum: *amor fidelium amicorum in ipsa morte, & per eam non extinguitur, quo minus perpetuum desiderium & dolorem tristem post se relinquat demortuus. Testatur hoc amor Davidis & Jonathanis, fidelissimorum amicorum. Cum namque David audivisset de morte Jonathanis, non abjecit statim amorem, quo vivum amplexus fuerat; nec ipse amor tam facile extingvi se passus est, sed ad amarissimam lamentationem permovit.* Idem ille, ex amore in defunctum, filio ejus benigne faciebat. *cap. IX.* conf. *Ruth. I. 8. Marc. XV. 46. XVI. 1. Memoria justi in benedictione. Prov. X. 7.* Quodsi amor erga vivos, post fata eorum exstimulare amicos potest, ut tum honori defunctorum velificentur, tum aliis, propter illos, faciles se & benignos exhibeant, quidni viduus odio conjugis mortuae imflammari potuisset, ut contra jus fasque cum filio superstite ageret? Concludit Adversarius ex male praesuppositis:

ut amor probat amatam adhuc vivere, ita etiam odium probare, exoſam adhuc vivere. Laborat argumentum, quod ex amore & odio, vel potius effectibus amoris & odii, pro vita perſonae amatae aut exoſae petitur. Tandem, utut hoc ipſi conceſſerim, quod tamen minime fit, ne ſic quidem pro polygamia ſimultanea apodictice concludet. Vixerit exoſa, vixerit adamata; nonne illa potuit repudiata fuiſſe, atque deinde maritus hanc ſibi junxiſſe? Porro argumentum ejus omni probandi virtute deſtituitur: quia mors jurgiorum finis eſt mortalibus; Ergo odium mariti, exoſam vivere, arguit. Confundit male jurgia cum odiis. Jurgia ad actiones, easque mutuas, odia ad affectus pertinent. Lex noſtra non de jurgiis, ſed odio agit. Non dixi, maritum cum defuncta uxore contendere jurgio poſſe; ſed, odia in illam ita proſequi, ut, ad inique agendum cum prole ejus, commoveatur. Quae infirmandae majori propoſitioni ſufficiunt. Dictum Euripidis: Nam majus aliud quid poteſt letho dari? evolvere mihi non licuit, quia locum non citavit. Quantum ex verbis intelligere datur, loquitur de damno, quod odio flagrans meditatur. Aſſentior lubens, odia viventium defunctis nihil, quod ſentiant, damni inferre poſſe: quia morte nihil majus eſt. Numquid vero ideo odium omne cum morte exſpirat? Male a damno ad continuationem odii negative concluditur. Oportuit Adverſarium hoc obſervaſſe, quia tandem, vela contrahens, dicit, concedere ſe hoc, ſed ferinum tunc odium eſſe & de raro contingentibus, quod ad regulam non trahendum. Reſpondeo: 1. ita vero ratio ejus nihil concludit. Major Pro-ſyllogiſmi evadit particularis in prima figura, ſub qua omnis ſubſumtio fal-

lit.

lit. Non sequitur: Quoddam odium mariti de defuncta uxore dici non potest; Ergo etiam in lege tale odium intelligitur. 2. Exemplum allatum ex *Matth.* XXVII. 63. non ad regulam trahitur, sed in confirmationem adducitur, odiis quandoque post mortem in animis hominum locum concedi. 3. textuale odium etiam ferinum est, quia tendit in damnum innocentis filii, a Patre matris osore, nisi lex obstaret, portione legitima defraudandi. Vix ardentius odium mihi dederis!

§. 6. Negavi etiam Minorem Pro-syllogismi: hanc legem de viro agere duarum uxorum, quarum alterutra dilecta, altera exosa simul sit. Rationes negationis ex superfluo dedi. 1. quia cum phrasis mosaica כי־תהיין לאיש שתי נשים *si contigerint, vel futurae sint viro duae uxores*, sine ulla textus tortura, successivae polygamiae applicabilis est, tum casus ejusmodi existere semper potuit, hodienumque saepius existit, quod maritus, priore conjuge orbatus, de alia socia sibi prospiciat. 2. in fonte non legitur activum: *amat, odit;* sed passivum: *una dilecta, & altera exosa.* Cui phrasi verbum, ut Logici appellant, substantivum tum praesentis, tum futuri temporis subjungi potest: quae dilecta *est*, vel, olim *fuit.* Utrumque admittit. Subnata mihi hinc fuit suspicio, *Dn. D. Willenbergium* nimis stricte inhaesisse phrasi activae nostrae versionis: eine die er lieb hat; eine die er hasset. Lingva enim originalis etiam praeteritum tolerat: eine / die er lieb gehabt hat; eine die er gehasset hat; vel etiam, pressius si fontes sequi volueris: eine geliebte; eine gehaßte. *Justitia causae. P. spec. S. 1. c. I. §. 4. p. 22. §. 6. p. 23.*

§. 7. Non passus est *Dn. D. Willenbergius*, quoad haec infringenda, conatum suum desiderari. Nam, iracundia accensus, *in iteratis praesidiis c. 2. §. 9. p. 18.* Apinae, inquit,

 sunt

ſunt ſentientium: Textum citatum de ſucceſſiva polygamia ideo intelligendum eſſe, quia ejus verba futuri temporis, *ſi contigerint*, *vel futurae ſint viro duae uxores*, utrique caſui polygamico communia, & quia caſus ſucceſſivae polygamiae contingere poteſt. Ita enim verba naturam legis referunt, quae eſt ut caſus futuros reſpiciat l. 7. C. de LL. Quod autem caſus ille futurus non de ſucceſſiva, ſed ſimultanea polygamia ſupponatur, inde patet, quia τὸ duas uxores alicui eſſe, deſiderat actum ejusdem temporis. Si una uxor jam eſſet mortua, & poſt eam altera duceretur, non contingeret aliquem duas habere uxores, ſed tantum unam haberet, alteram habuiſſet. Et hunc ſenſum non ſuppeditant germanica Biblia, quae tantum me conſuluiſſe Adverſarius mihi objicit §. 6. p. 23. ſed tam vulgata, quam Junius & Tremellius ex textu hebraico eundem depromunt.

§. 8. Quodnam vero hic operae ſuae conſultiſſimus Vir faciet pretium? Judicent alii, num citata ex Codice lex quicquam ad rem noſtram faciat. Reſpondeo: 1. verba legis, ex Codice citatae, ita habent: *leges & conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari: niſi nominatim, & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum ſit.* Si ego dixiſſem, ex conſtitutione moſaica ejusmodi caſus anteriorum temporum, nondum

dum exiſtente lege, decidendos fuiſſe, recte mihi ſanctionem iſtam Codicis opponeret: *leges futuris negotiis formam dare, non ad facta praeterita revocari.* Ecquis vero unquam iſta ſomniavit? Quapropter non habuit, quod ad legem iſtam provocaret. 2. Mens mea eſt, phraſin iſtam: *ſi contigerint viro duae uxores*, formali ſua ſignificatione non inferre coëxiſtentiam binarum uxorum, ratione ejusdem temporis, ſed denotare etiam poſſe unius viri duas uxores, quarum poſterior in locum prioris ſuffecta fuit. Quid quaeſo impedit, quo minus de marito, repudiata vel mortua uxore, novam ducente, dici poſſit: *ipſi contigiſſe duas uxores?* Quod ſi negaverit Adverſarius, docere tenetur, quid applicationi phraſeos ad hunc caſum repugnet? Sin; fateatur, ex phraſeologia male ad polygamiam ſimultaneam concludi.

§. 9. Textui cogitata ſua infert, quando pergit: τὸ duas uxores alicui eſſe, deſiderat actum ejusdem temporis. Si una uxor jam eſſet mortua & poſt eam altera duceretur, non contingeret aliquem duas habere uxores, ſed tantum unam haberet, alteram habuiſſet. Reſpondeo. Non dicit Moſes: ſi *habeat* vir duas uxores, ſed verbum היה in tempore futuro poſuit: כי־תהיין. Ex quo ad praeſens tempus, & in illo coëxiſtentes mulieres, concludi non poteſt, ſicut antea oſtenſum. Quid? quod de viro intelligi poſſit, neutram duarum uxorum amplius habente, ſed, erepta ſibi per mortem utraque, ſecundum viduo facto. Nam & de hoc recte dicitur, ipſi contigiſſe duas uxores. Quidni idem de Viro, unam poſt aliam ducente, diceretur?

§. 10. Fruſtra urget pro ſua interpretatione verſiones: Et hunc ſenſum non ſuppeditant germanica Biblia,

blia,

blia, quae tantum me consuluisse Adversarius mihi objicit §. 6. p. 23. sed tam vulgata, quam Junius & Tremellius ex textu hebraico eundem depromunt. Respondeo: 1. Suspicio mea, *Dn. D. Willenbergium* versione nostri idiomatis niti, me non fefellit. Non dissimulavit ipse. Quod enim nunc urget: virum nobis offerri, qui *habeat*, non habuerit, duas uxores, hoc ipsum ex versione teutonica fluere videtur: Wenn jemand zwey Weiber hat/ eine die er lieb hat/ und eine/ die er hasset. 2. ad fontes provocavi, quibus male alias versiones opponit. 3. Utraque versio, & vulgata, & Junii ac Tremellii, sensui, quem ego amplector, apta est. Illa: *si habuerit,* (non habeat) *homo uxores duas, unam dilectam & alteram odiosam* (non active, quarum unam diligit & alteram odit) *genuerintque ex eo liberos* &c. Haec: *si fuerint alicui duae uxores, una dilecta & altera exosa.* Quae versiones satis causae meae praesidii dabunt. Ille vero, si vel speciem suae sententiae adfingere ex illis voluerit, probare tenetur, verba versionis, (de quibus tantùm loquor,) meam non admittere. Quod aeternum non praestabit.

§. 11. *Deinde* Minorem argumenti probaverat Adversarius, quia, si textum de polygamo successivo acciperet, exinde secuturum esset, semper primam uxorem exosam fuisse, cum tamen haec dilecta, altera vero exosa fuisse potuerit. Quo in casu non opus fuisset lege, cum, sine illa, primogenitus jura sua integra ex affectu Patris retinuisset. *Praesid. j. d. §. 5. p. 9.* Negata haec a me fuit consequentia. 1. quia in textu non legitur, in omni matrimonio successivo casum hunc evenire. 2. quia ipsa lex conditionaliter loquitur: *si primogenitus exosae fuerit.* Quam restrictionem Deus, Legislator, omisisset, si promiscue

de

de omnibus ſucceſſivis matrimoniis legem tuliſſet. Quod ſi prior dilecta Filium enixa eſſet, hunc juribus ſuis, dixi, uſum fuiſſe, non verò per hanc legem. Res eſt manifeſtiſſima; pertinacia autem Adverſarii faces ſoli accendere me jubet. Argumentor: *quaecunque lex conditionaliter loquitur: ſi primogenitus fuerit exoſae, illa de matrimonio ſucceſſivo explicari poteſt, licet non ſemper prior uxor exoſa fuerit. Atqui haec lex conditionaliter loquitur &c. Ergo.* Connexio ſibi conſtat: quia conditio adhibita docet, exiſtere potuiſſe matrimonia ſucceſſiva, quorum prior uxor non exoſa fuerit, de quibus lex non loquitur: alias conditionali non opus fuiſſet. 3. quia, ſicut ex hac lege non ſequitur, in nullo matrimonio ſucceſſivo utramque, ſed alterutram ſemper dilectam, alterutram exoſam fuiſſe; ita nec concludi poteſt, ſemper priorem exoſam, poſteriorem dilectam fuiſſe. *Juſtitia cauſae P. ſpec. Sect. 1. c. 1. §. 8. p. 24. 25.*

§. 12. Haec ego repoſui, interpoſita reſponſionis fide, precatus conſultiſſimum Virum, ut argumentum pro ſua ſententia formaret. Aſt ille, ad formaliter diſputandum inexorabilis, nihil quidem ad rationes praemiſſas excepit, opinioni tamen ſuae inhaerens, in gratiam ejus ita nunc commentatur: ſi ordinem hujus legis inſpiciamus, ex eo apparet, primogenitum eſſe ex ſecunda uxore exoſa, haec enim ſemper poſtponitur dilectae, apparet quoque, exoſam non poni ſimpliciter, ſed comparative cum dilecta. Servato hoc ordine, ut eſt neceſſe, quia Moſes ex inſpiratione S. S. eum propoſuit, deprehendimus, dilectam ſemper in primo matrimonio viro fuiſſe, in ſecundo exoſam, unde fluit, eum vixiſſe in polygamia ſimulta-

tanea, nam dici alias non posset, primogenitum natum esse ex matrimonio secundo. *Iterat. praesid. c. 2. §. 8. p. 17.* & iterum: in successiva polygamia, ut nostrae legi locus sit, necesse est, exosam matrem primogeniti semper esse primam uxorem viro, nam si dilecta prima, quoad ejus primogenitum ista lege non opus est. In simultanea potest esse primogenitus uxoris secundae, quae ducta fuit post primam adhuc viventem. Lex nostra cum generalis sit, cumque data in Rep., in qua obtinebat polygamia simultanea, restringi non potest ad unicum illum casum, quando prima uxor marito fuit exosa, & post mortem ejus dilecta. §. 9. p. 18. 19.

§. 13. Miscentur hic plurima, quae omnia, servato, qui illis debetur, ordine, discutiam. 1. Urget ordinem textus, in quo exosa semper postponatur dilectae; ex quo colligit, tale matrimonium intelligi, in quo semper dilecta fuerit prima, exosa vero secunda Uxor. Hinc porro fluere autumat, non polygamiam successivam intelligi, utpote in qua non, nisi ordine inverso, casus recensitus obtingere potuerit. Fateor hanc rationem, qua *Arcuarius* jam usus est, speciosam, dignamque esse, qua distineri me patiar. Compingam ista in syllogismum: *Quaecunque lex de tali duarum uxorum matrimonio agit, in qua semper prima dilecta, altera exosa fuit, illa non potest explicari de matrimonio duarum Uxorum successivo. Atqui haec lex Deut. XXI. 15. seqq. agit de tali duarum uxorum matrimonio, in qua semper prima dilecta, altera exosa fuit; Er-*

Ergo haec lex, Deut. XXI. 15. seqq. non potest explicari de matrimonio duarum Uxorum successivo. *Majorem* probat: quia in matrimonio successivo, priore uxore dilecta, posteriore exosa existente, non opus fuisset lege, sed sine illa Pater primogenito dilectae portionem suam assignasset. *Minorem:* quia in textu hoc ordine duae Mulieres locantur, ut dilecta primum, deinde exosa appelletur, quem servare par est, quia Moses ex inspiratione Spiritus S. scripsit. Respondeo: Minorem argumenti falsam esse, neque ex ordine textus probari. 1. Ordinem textus ab ordine rerum distinguendum esse, prudenter monent Hermeneutici. Habuitque hoc insignem usum in explicatione Prophetarum & Apocalypseos. Conf. PRIDEAUX, *Lect. 13. de mille Annis Apocal. p. 179. seq.* B. D. CARPZOVIUS, *in disput. Academ.* p. 371. Quod ipsum Lutherus etiam in praefatione ad Jeremiam observavit: **im ersten Stück stehet offt im folgenden Capitel etwas / das doch ehe geschehen ist / weder das im vorigen Capitel. Darum muß man sich an die Ordnung nicht kehren / und die Unordnung nicht hindern lassen.** 2. Ne quidem in ipso Apostolorum catalogo ordinem eundem tenuit Spiritus S. sed diversimode illos locavit. *Matth.* X. 2. *seqq. Marc.* III. 18. *seqq. Luc.* VI, 14. *seqq. Act.* I. 13. Ex ordine igitur firmum argumentum peti non poterit. Cujusmodi loca afferri plura possent, si opus esset. Illud vero silentio involvere vix licet, quod 3. etiam in recensendis Polygamorum Uxoribus ordo quandoque negligatur. Antecessit matrimonio Lea sororem suam, Rahelem, cui etiam in genealogia praeponitur; *Gen.* XXXV. 23. 24. XLVI. 15. 19. & tamen aliis in locis Raheli postponitur *Gen.* XXXI. 4. 14. Quae locandi ratio nihil derogat inspirationi Spiritus S. cui, pro singulari sua liberrimaque sapientia, non semper visum fuit, ordini rerum se adstringere. Certum igitur atque expeditum me reddidisse arbitror, nihil habere ponderis argumentum, quo utitur ad-

verſus me *D. Willenbergius:* in textu anteponitur dilecta conjux exoſae; Ergo neceſſario tale matrimonium polygamicum intelligitur, cujus prior conjux ſemper dilecta, poſterior exoſa fuit. Quae minor erat a me negata, cujus probatio adhuc deſideratur. Vapulat hoc nomine Philo à *SELDENO*, quod ex ordine, quo dilecta prius nominatur, concludere quicquam in hoc negotio auſus fuerit, & *argutulus* appellatur. *de ſucc. in Bon. def. cap. 5. p. 23.* Si vero rationem a nobis poſtulet, (quam tamen, tacente Scriptura, reddere nemo nos coget,) cur dilecta primum in textu locum occupet, dixerim, id ideo factum, quia utraque conjux ab affectu mariti diverſo deſcribitur, amore & odio, inter quos amor odio praeferri meretur. Dicit 2. exoſam non poni ſimpliciter, ſed comparative cum dilecta. Reſpondeo 1. quando Deus ſe Patriarcharum Deum appellat, non Jacobum aut Iſaacum ſimpliciter ponit, ſed comparate cum ſtipite: *ſum Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi.* Numquid inde concludes, tres illos, Filium, Patrem & Avum, ſimul natos eſſe, aut ſaltem ſemper ſimul vixiſſe, quia ſimul ponuntur Saul & David, David & Meſſias ſaepe comparative ponuntur in Scriptura; Ergone illi ſimul rerum ſunt potiti, aut hi conjunctim in terris vixerunt? 2. a coordinatione textuali ad coordinationem Conjugalem N. V. C. 3. comparatur exoſa cum dilecta, non ratione ejuſdem temporis, ſed tum ratione diverſi affectus maritalis, tum ratione prolis primo- & poſt-genitae. Quid inde? Pergit: 3. Si polygamia ſucceſſiva intelligitur, primogenitus non poteſt dici ex ſecundo matrimonio natus. Reſpondeo: Hoc vero fingitur a diſſentiente in gratiam hypotheſeos; in textu non legitur. Poſtulat hic ejuſmodi matrimonium, in quo primogenitus exoſae, poſt genitus dilectae eſt filius. Quale

le in polygamia ſucceſſiva locum habere poteſt. Proba repugnantiam. 4. Si de ſucceſſiva polygamia intelligatur, exoſam matrem primogeniti ſemper eſſe primam Uxorem viro, nam ſi dilecta prima, quoad primogenitum iſta lege non opus eſſe. Legem noſtram cum generalis ſit, cumque data in Republ. in qua obtinebat Polygamia ſimultanea, reſtringi non poſſe ad unicum illum caſum, quando prima uxor marito fuit exoſa, & poſt mortem ejus dilecta. Concurrunt duo argumenta, quorum ſingula ad examen revocabo. Primum ita habet: *Quaecunque lex generalis eſt, illa male reſtringitur ad ſpecialem illum polygamiae ſucceſſivae caſum, ubi prior uxor fuit exoſa, poſterior dilecta. Atqui haec lex Deut. XXI. 15. ſeqq. eſt generalis; Ergo male reſtringitur &c.* Reſpondeo. Huic argumento facile incidam nervos, ſi obſervavero 1. neque omni polygamiae ſimultaneae applicari poſſe hanc legem. Exulavit illa, quoties prima uxor dilecta primogenitum, ſecunda, primae ſuper inducta ac exoſa, ſecundo genitum peperit. Quodſi generalitas legis obſtat, quo minus de polygamia ſucceſſiva explicetur, quia non omni applicari poteſt; ſequitur, nec de ſimultanea explicari poſſe: quia nec hic omni eſt applicabilis. Pari ratione dico: ſi de ſimultanea polygamia intelligitur, ſemper oportuiſſe exoſam mulierem primogenitum produxiſſe, nam, ſi prima dilecta produxiſſet, non opus fuiſſet lege. Eadem profecto eſt conſequendi vis. En! quomodo ille propria ſua vineta caedat. 2. Generalitas illa legis fingitur, quia triplex reſtrictio adeſt in textu, cum vel una ſufficeret. *Primo* reſtringitur ad illud matrimonium, ubi alterutra uxor dilecta, alterutra exoſa, non

vero utraque dilecta fuerit. *Deinde* etiam ubi utraque filium peperit, & *tandem* ubi primogenitus fuerit filius exosae. Effectus restrictionis est, ut lex non omni matrimonio polygamico, sed illi tantum, quod in illa describitur, applicetur. Pone nunc matrimonium successivum, cujus prima uxor dilecta, simulque mater primogeniti, secunda vero exosa materque post-geniti fuerit; dico, legem ad hoc non spectare, non per vitium meae interpretationis, sed propriam ejus indolem, ex verbis cognitam. Secundum argumentum: *Quaecunque lex data est in Republ. in qua obtinuit polygamia simultanea, illa non restringi potest ad certum aliquem casum polygamiae successivae. Atqui haec lex data est in Republ. in qua obtinuit polygamia simultanea; Ergo haec lex non potest restringi &c.* Respondeo 1. Si huic argumento inest concludendi vis, sua sponte corruit sententia Adversarii. Inverti enim potest: quia in eadem Republica etiam obtinuit polygamia successiva. Cur igitur Adversarius restringit, ad certum casum polygamiae simultaneae? Arguo: quaecunque lex data est in Republ. in qua obtinuit polygamia successiva, illa non restringi potest ad casum polygamiae simultaneae. Atqui haec lex &c. Ergo. Sic dicam ipse scribit suae opinioni. 2. Ego satis obtinui, si vel per principia Contradicentis probatum dedero, posse legem de successivo polygamo intelligi. Ille vero nihil lucrabitur, nisi contradictoriam solidis consecutus fuerit rationibus, ut omnes evidenter intelligant, meam sententiam ipsi textui repugnare.

§. 14. Tandem laboranti Minori propositioni succurrerat autoritate *LUTHERI Tom. V. Altenb. f. 1103.* legem de simultanea polygamia interpretantis. *Praesid. j. d. §. 5. p. 9.* Ad quae ego modeste monui, nihil de laude & meritis Lutheri dissensu meo detractum iri, quem suffragio *GERHARDI, SCHERZERI, SIRICII, OSIANDRI* (quanta nomina!) confirmabam. *Justitia causae S. 1. c. 1. §. 10. p. 26.* §. 15

§. 15. Vehementior his factus *D. Willenbergius*, neglecto Theologorum consensu, cui, quando piacula in Lutherum commisso solvendus sum, omnino suae partes debentur, in me ita detonat: elumbe tandem effugium est, Lutherum sacrarum literarum callentissimum hunc locum non recte explicasse. Si valor interpretationis ab autoritate interpretis pendere debet, longe minor erit autoritas D. Weickhmanni, quam B. Lutheri nostri. *Iter. praesid. j. d. c. 2. §. 9. p. 29.* Quae quanquam talia sint, ut neminem, nisi mente captum, a sententia mea revocare possint, patiar tamen, illa me, praeter culpam accusatum, aliquantisper morari.

§. 16. Nullam mihi autoritatem arrogo, sed omnia mea judicio Ecclesiae summitto. Unde, quod dicit, longe minorem esse meam autoritatem, quam B. Lutheri, nec displicet, nec aegre mihi facit, qui, me vix umbram Lutheri, etiam in minimis, referre, & sentio, & lubens profiteor. Locum tamen aliquem mihi concedet inter hos, qui a studio sacrarum literarum non plane sunt alieni, animumque suum his deliciis pascunt. Ipse vero, quanti sibi etiam fuerit, hoc loco ex erroneo praesupposito agit, valorem interpretationis ab interpretis autoritate derivando. Metiendus est ille ex analogia cum textu, beneficio regularum hermeneuticarum cognoscenda. Atat non animadvertit, suam exegesin, autoritate si standum, multum sui valoris amissuram esse. Aut majorem se illustri *D. ZIEGLERO*, JCto per universam Saxoniam, & ultra, celeberrimo, faciet, quod vix crediderim, aut quam ego hic sector, interpretandi rationem anteponet suae. Ille enim, paria mecum faciens, *locus*, inquit, *Deut. XXI. 15. ad quem provocat Grotius, aut accipi potest de polygamia successiva, aut ibi tantum casus*

sus formatur, qui decidi debet, nec tamen propterea probatur, aut laudatur. In notis ad Grotium L. 2. c. 5. §. 9. p. m. 273.

§. 17. Mihi vero, rationibus non destituto, cum Luthero dissentiendi facultatem jam dudum indulsit Ecclesia nostra. Ita enim Formula Concordiae, *in solida Declaratione, de compendiaria doctrinae forma num. 6. p. 635. Et ad D. Lutheri explicationes, praeclaras tam in polemicis, quam didacticis ipsius scriptis comprehensas provocamus: eo, videlicet, modo, quem D. Lutherus in latina sua praefatione, Tomis operum ejus praefixa, de scriptis suis, pia & necessaria admonitione nobis ipse monstravit. Ibi enim hoc discrimen (inter divina & humana scripta) perspicue posuit: Solas videlicet sacras literas pro unica regula & norma omnium dogmatum agnoscendas: iisque nullius omnino hominis scripta adaequanda, sed potius omnia subjicienda esse.*

§. 18. Adstipulatur his R. Ministerium Gedanense in scripto germanico An. 1661. sub nomine: *Syncretismus*, evulgato, cui omnes ac singuli, quotquot ad munus ecclesiasticum vocati, antiquo ordinationis ritu a nobis consecrantur, propria subscriptione fidem suam dare jubentur. Non poenitebit, in hanc rem facientia ex illo recitare: Wir halten Lutherum für unsern Meister nicht/ sondern für einen treuen Diener JEsu Christi: Christus allein ist unser Meister/ welches Lehre und Wort Lutherus geprediget. p. 39. Wir nehmen nicht alles schlechter Dings an / was Lutherus gelehret / sondern halten allein das Wort GOttes für die unfehlbare Regel und Richtschnur des Glaubens / nach welcher auch Lutheri Lehr und Glauben/ wie aller anderer Menschen muß probieret und examiniret werden. Alldieweil wir wohl wissen / daß / ob wohl Lutherus ein theurer werther Mann gewesen/ er darum doch kein Apostel sey / der das donum infallibilitatis gehabt/ dafür er auch nicht wollen gehalten seyn.

§. 19.

§. 19. Quapropter nullo non tempore extiterunt pii gravesque Theologi, qui, salva veneratione Theandri, quicquid in scriptis ejus non congruere sacris literis visum fuit, cum pace ejus repudiarunt. *DILHERRUS* non accedit versioni ejus *Luc.* XII.29. *μὴ μετεωρίζεσθε*, fahret nicht hoch her; rectius: *ne dubitetis, aut suspensi animo sitis. in Disput. Academ. T. 1. p. 283. 284.* Idem uterque *SCHMIDIUS*, *Erasmus & Sebastianus*, sentiunt. *D. WOLFGANGUS FRANZIUS* dissidet a Luthero in explicatione *Luc.* XXI. 25. 26. 27. & *Matth.* XI. 5. de *interpret. S. Scripturae* p. 688. & 696. *Edit. Wittenb.* An. 1708. Neque quisquam hoc ipsis vitio vertit, aut pro flagitio habuit.

§. 20. Non absimili ratione divus Lutherus cum scriptis Patrum egit, utut magno in pretio ipsi essent. *Divum Bernhardum*, recito verba ejus, *veneror & ejus sententiam non contemno, sed in contentione accipiendus est sensus genuinus & proprius Scripturae, qui stare in acie possit. Tom. I. Jen. Latin. fol. 202. b.* Ipsum quoque, sententiam suam retractare, non dispuduit. Ex insigni loco, *Jes.* LXIV. 6. olim probaverat: *hominem in Bono peccare. Tom. I. Lat. Wittenb. fol. 301. Tom. 2. fol. 229. b. Tom. 6. Altenb. fol. 645. b.* Ast in commentario hanc ipsam interpretationem revocabat, scribens: *hoc loco aliquando usi sumus contra iustitiam humanam, bona quidem sententia est, sed non propria hujus loci. Tom. 4. Oper. latin. fol. 141. b.* Im Buch vom Schemhamphorasch *Tom. 8. Altenb.* fol. 302. 303. Ich bin auch selbst Ihrer (der Rabbinen) tradition etwa zu viel gefolget / daß ich muß wiederruffen / sonderlich 2. Reg. 23. in verbis novissimis David, wie ich bald thun will.

§. 21. Tandem & aliis scripta sua lecturis plenam servandi se integros reliquit libertatem. *B. D. DAVID CHYTRAEUS* in Epistola ad Archi-Episcopi Meideburgensis Consiliarium, Andream Meiendorfium, narrat, Lutherum, percepto aliquando, nonnulla in scriptis suis duriora quibusdam videri, dixisse:

ſi bona non ſunt, deleantur: *ante 40 Annos quidam bonus & pius Vir, Georgius Richius, jam non ſolum cruda utique ſenecta, verum etiam antiqua virtute, & fide venerandus Paſtor in hac urbe, cum Luthero expoſuiſſet, aliquot pios homines in Belgio certis quibusdam Scriptorum illius partibus offendi: hoc reſponſum accepit*, taugs nicht / ſo kratze es aus / kratze es aus. *Vide Epiſtolas Chytraei a Filio ejus Hanoviae 1614. editas, p. 464.*

§. 22. Impoſuit mihi Adverſarius meus, inclementi ſua cenſura, qua me, ob modicum cum Luthero diſſenſum, hic loci & paſſim alibi, inhumanius oneravit, neceſſitatem, de his copioſius diſſerendi, & tuendae libertatis, ab Eccleſia ipſoque Deo nobis conceſſae. Feci, quod multi alii ante me fecerunt, & adhuc faciunt, quorum teſtimonia adducerem, niſi hinc inde obvia eſſent in libris, qui omnium manibus teruntur. Quod propulſando crimini, mihi intentato, ſufficiet. Vix crediderim, quam tueor exegeſin, a quoquam noſtrae aetatis Theologorum improbatum iri. Aſt *D. Willenbergium* perverſe admodum fideque non bona cum Luthero, Melanchtone, plurimisque aliis agere, in Parte ſecunda Apologiae meae tam planum & perſpicuum reddam, ut ab omnibus facilem aſſenſum ſim impetraturus.

§. 23. Haec dixi hactenus, pro vindicanda reſponſione mea, ad Minorem propoſitionem argumenti, ex lege moſaica veriori doctrinae oppoſiti. Quam operam nulla alia re, *Dns D. Willenbergi*, quam confuſa tua ſcribendi ratione, impeditiorem mihi reddidiſti. Cujus vel ex binis paragraphis capitis ſecundi octava & nona, nunc a me excuſſis, illuſtre tibi ſpecimen ſiſtam. Duae priores periodi §. 8. p. 17. Si ordinem - - matrimonio ſecundo, ſecundam probationem Minoris; tertia, quarta & quinta: Si cauſam conſulamus - - - odium probare, probationem primam; quae ſequun-

qvuntur: imo cum in verſiculo - - Henniges, Majorem; quatuor priores paragraphi nonae p. 18. textum citatum de ſucceſſiva - - eundem depromunt. Minorem Pro-ſyllogiſmi; qvinta & ſexta: iſta vero ratio ab odio - - contra Chriſtum, primam probationem Minoris ſyllogiſmi principalis; ſeptima, octava & nona: in ſucceſſiva polygamia - - poſt mortem ejus dilecta, ſecundam, reliqua: elumbe tandem - - Lutheri noſtri tertiam. Ejusdem Minoris probationem ſpectant. En! quam confuſum Chaos duae tantum paginae Lectori ac mihi offerant. Ordiris a ſecunda probatione Minoris: *inde* regrederis ad primam; *poſthaec* divagaris ad Majorem, cujus nondum cenſus agitur; *exin* ad Minorem Pro-ſyllogiſmi, pro Minore principalis formati, deſcendis; *hinc* ad primam probationem Minoris ex ſyllogiſmo principali redis; *poſtea* ad ſecundam, & *tandem* ad tertiam te recipis. Ego, juſti ordinis obſervantiſſimus, aliis paſſibus praeivi, enixiſſime a te contendens, ut ſaltem ordinem bonum mihi non invidere, tum ipſe etiam ſervare eundem digneris. Tu vero, ſubvertens prorſus preces meas & ſpem, ima ſummis miſcendo, rerum ſeriem ſcidiſti. Ea eſt ſtructura totius opuſculi. Talem Patronum, talemque methodum meretur cauſa corruptiſſima. Non eſt, quod de injuria conqueraris. Provoco ad ocularem inſpectionem. Quotquot tua volvent atque revolvent, Judices ſunto. Credas vero, moleſtiorem & graviorem te mihi exhibere non potuiſſes. Mallem ego plures calumnias & convicia devorare, quam in turbido hoc mari navigare.

§. 24. Sequitur nunc poſterior Quaeſtio: num ex diſpoſitione illa legali filios duarum matrum, in negotio capeſſendae haereditatis, concernente, recte ad approbationem polygamiae concludatur? quae eſt Major argumenti, in paragrapho

ſecunda hujus capitis repetiti: *Quaecunque res eſt Objectum legis divinae, illa ipſa res in verbo divino revelato non eſt probibita, ſed permiſſa.* Hanc ſimpliciter negavi. Ratio eſt: quia lex objecto bonitatem moralem non confert, niſi illud approbet, cum res etiam turpes diſponere poſſit, quemadmodum ex *Deut.* XXIII. 18. *Exod.* XXII. 16. 17. conſtat. Talem legem, dixi, eſſe, de qua controvertitur. Quodſi probaverit Dn. Diſſentiens, quod tamen non factum, polygamiam intelligi ſimultaneam, non ideo approbari illam, ſed recenſeri tantum ut caſum aliquem, qui vel ex petulantia hominum, vel divina diſpenſatione contingere poſſit, atque de haereditate Filiorum ſanciri. Sex reperi adverſus iſta exceptiones, a me repulſas *injuſtitia cauſae, P. ſpecial. S. 1. c. 1. §. 11. ſeqq. p. 27. ſeqq.*

§. 25. Iterationem exceptionum ſuarum praemunivit *D. Willenbergius* novo argumento, quo Majori propoſitioni robur aliquod conciliari ſperat. Petiit hoc ex *Deut.* XX. 10. ſeqq. Certior ſum per legem de polygamia a Deo latam, eandem quoque ibi approbari, quam inſtantiis datis contrarium probatum eſſe ſentiam. Eadem enim hujus legis de polygamia eſt ratio, quae Deut. XX. 10. ſeqq. legis eſt de bello gerendo latae, qua bellum a Deo approbari nemo non intelligit. *c. 2. §. 10. p. 19.*

§. 26. Reſpondeo: Non latet me, *GROTIUM* hoc loco uti, probaturum, juſtum potuiſſe bellum eſſe, etiamſi ſpeciali Dei mandato fuerit deſtitutum. Quod ipſum a Deo oſtendi autumat, quia leges generales ac perpetuas de modo gerendi belli populo ſuo praeſcribit. *L. 1. c. 2. §. 2. th. 2. p. m. 20.* Sed nec Adverſarium meum fugiet, *JOHANNEM TESMARUM*, JCtum, habere, quod in Grotio deſideret, nec argumento ejus concludendi vim concedere, cujus verba paulo poſt recitabo.

bo. Ego vero, perlustrato hoc loco, mirari satis non possum, & mirabuntur mecum alii, eundem a *D. Willenbergio* parallelum venditari alteri illi, de quo jam litigamus. Argumentatur ex loco parium: *Qualis ratio est legis divinae Deut. XX. 10. seqq. talis etiam nostrae cap.* XXI. 15. 16. 17. *Ast illius ea est ratio, ut ex dispositione divina de bello ad justitiam belli, vel legalem illius permissionem, recte concludatur; Ergo eadem etiam erit nostrae legis de polygamia.* Peccat vero & labitur, quod paria putat esse loca, quae maxime sunt imparia. Agit Deus I. de hostibus Judaeorum v. 1. cum quibus bello decertare omni jure est licitum, quandoque etiam necessarium. *Quod enim inter cives est judicium, id inter Principes bellum esse*, me olim in Grotio legere, memini. II. approbat bella, tum promittendo, se cum belligerantibus futurum: v. 1. non timebis tibi ab illis: *quia, Jehovah, Deus tuus, tecum;* tum jubendo, ut repetitione promissionis a Sacerdote coram exercitu facienda militum animi augeantur: v. 3. 4. *dicet Sacerdos ad eos: audi Israel, vos estis appropinquantes hodie ad bellum contra hostes vestros, ne emollescat cor vestrum, neque timeatis vobis, neque trepidetis, neque consternemini coram illis. Nam Jehovah, Deus vester, qui abit vobiscum, ad pugnandum pro vobis cum hostibus vestris, ut servet vos.* III. actus bellicos ipse injungit: 1. pacem jubet offerre hostibus v. 10; eaque admissa 2. hostes tributarios facere & in servitutem cogere; v. 11. abnutantes vero 3. obsidere v. 12. &, victoria Judaeis cedente, 4. omnem masculum gladio percutere. v. 13. Abnuere Adversario non ausim: quia Deus partim actus bellicos praecepit, partim pugnam sibi ipsi tribuit; recte hinc concludi, bellum ad ea pertinere, quae a Deo approbantur. Ubi vero tale quid in nostro Textu? Extat in illo lex. Numquid de polygamia? minime! sed de haereditate filiorum ex polygamia descendentium. Numquid actus polygamici imperantur? nec hoc! Materia praecepti est portio legitima, pri-

mogenito non deneganda, ideo, quia mater ejus Marito exoſa fuit. Dixeris: *Ex eo vero ad approbationem polygamiae concludi debet?* Reſpondeo: utrum recte ita concludatur, jamjam diſpiciendum erit. Nunc de parallelismo legum unice diſquiritur, quem nemini, niſi cui ratio animi perturbationibus impedita fuerit, perſvaſeris.

§. 27. Repetam nunc paucis exceptiones Adverſarii, cum reſponſionibus meis, & obeliſcos ejus, quibus confodere veritatem auſus eſt, aſteriſcis meis obliterabo. *PRIMA* ejus exceptio erat: nutare me, & errorem meum agnoſcere, quod ſcilicet, miſſa Minore, ad Majorem reſpondeam. *Praeſid. j. d. §. 6. p. 9.* Quem nodum, non gordium, adeoque ſecatione ipſi haud opus eſſe, mecum rerum periti intelligent. Quapropter juribus diſputantium me tuebar, quibus integrum ſemper fuit, vel ad alterutram, vel ad utramque praemiſſarum reſpondere. *Juſt. Cauſae P. ſpec. S. 1. c. 1. §. 13. p. 28.* Quid ad iſta *D. Willenbergius?* Silentio praeteriit.

§. 28. *SECUNDA* ejus exceptio impugnabat meas inſtantias, ex legibus divinis petitas, circa facta, vitium habentia, occupatis, quae vero ideo, quia leges illa diſponunt, nil quicquam vitii ſui amittunt. Quales ſunt de mercede meretricia, piis cauſis non deſtinanda, *Deut.* XXIII. 18. & de deflorata aut dotanda, aut ducenda, *Exod.* XXII. 16. 17. vid. *Vindicias noſtras* p. 9. Ita enervabatur Major argumenti. Hoc ille animadvertens, reſpuebat inſtantias meas, ex vano praetextu, quod de factis agerent, quae ſaepe leges improbaverint, & poenam in illa conſtituerint; polygamiam vero nulla lege damnatam aut improbatam eſſe. *Praeſid. j. d. §. 6. p. 10.* Reſponſum a me fuit: tales utique a me produci oportuiſſe, quia Major ejus: *Quicquid eſt objectum legis divinae, illud in verbo Dei non prohibitum, ſed permiſſum eſt*, infirmari non potuerit exemplo actionis, a Deo permiſſae. Eapropter ejusmodi actiones in medium producen-

das

das fuiſſe, quae a Deo prohibitae, & nihilominus legum ſuarum diſpoſitivarum Objectum fuerint. Qua in re me judicio omnium univerſi orbis logicorum ſubjiciebam, in ſocietatem Paedantarum hoc nomine ab Adverſario relegatus. *Juſt. cauſae l. c. p. 29. ſeqq.*

§. 29. Sunt illa adeo in aperto poſita, ut nemo, niſi qui nihil videt, negare poſſit. *Dn. D. Willenbergius* etiam, vim veritatis ſentiens, conticeſcit, nec tangere iſta audet. Interim non deſinit eadem aliquot vicibus oggannire, fumum vendens Lectori, qui ſcripta noſtra non integra perluſtravit, aut non memor omnium exiſtit. Certior ſum, inquit *in iteratis praeſid. l. c. p. 19.* per legem de polygamia a Deo latam eandem quoque ibi approbari, quam inſtantiis datis contrarium prolatum eſſe, ſentiam. Nam non ſufficit dicere, merces meretricia & dotatio defloratae ſunt objectum legis, & tale quoque eſt polygamia, ut vero illa non approbata in lege, ita nec haec. Multum enim inter ſe differunt, utriusque objecti leges. In mercede meretricia & dotatione defloratae non minimum occurrit, quod aſſenſum Legiſlatoris monſtraret, quin ejus mens potius contra ſcortationes aliunde clare apparet. Et denuo: §. 12. p. 20. ille diluere vult argumentum meum per aliam inſtantiam &c. Non immorabor hiſce refellendis. Differentiam enim harum legum & noſtrae legis Deut. XXI. 15. conſtituit, quod illis factis alia lex, quae iſta improbat, poſita ſit, noſtro nulla.

§. 30. Obſecro te, Lector honoratiſſime, per omnem amo-

morem, quem, non dicam, ut Chriſtianus, ſed ſaltem ut homo rationalis, veritati debes, attende, quomodo Vir ille rem ſuam agat. 1. Fingit, me ex legibus, quas pro inſtantia citavi, argumentatum fuiſſe contra polygamiam: merces meretricia & dotatio defloratae ſunt objectum legis, & tale quoque eſt polygamia, ut vero illa non approbata in lege, ita nec haec; Idque, quod proprii cerebri partus eſt, perſtringit. Ita ſi concluderem, deliranti non abſimilis eſſem. Concluſio foret ab uno particulari ad aliud particulare. Non potuit non eo prolabi *Nobiliſſimus Dn. DOCTOR*, quia aſpernatus eſt methodum logicam. Ego jam non probo theſin meam, quod nec imcumbit mihi, ſed reſpondeo ad argumenta ejus, quibus ille, Opponentem agens, doctrinam Chriſtiani orbis, a me defenſam, impugnat. Falſum, imo falſiſſimum eſt, me ita arguere: *merces meretricia & dotatio defloratae ſunt objectum legis, & tale quoque eſt polygamia; ut vero illa non approbata in lege, ita nec haec.* Quid? polygamiae, non opus eſt, nunc mentionem fieri; quia inſtantiae adductae ad ſolam Majorem pertinent, in qua terminus polygamiae non occurrit. Ea vero eſt mens mea: merces meretricia & dotatio defloratae ſunt objectum legis, neque tamen ideo approbantur; Ergo propoſitio iſta fallit: quicquid eſt objectum legis divinae, illud in verbo Dei non prohibitum, ſed permiſſum eſt. Quin potius inſtantiae docent, duo iſta: *Objectum eſſe, quod diſponat lex divina*, & tamen *non permiſſum, ſed prohibitum eſſe*, uni ſaepius actioni convenire. Quod tantum valoris habet, ut nemo ſub Majore iſta, a me viribus ſuis exhauſta, vel polygamiam, vel aliud quid ſubſumere poſſit. 2. Fruſtratur Antagoniſtam conatus ejus, cujus impetu toties clamat: inſtantias meas agere de actionibus, aliis legibus prohibitis, polygamiam vero prohibitam non eſſe. *c. 2.* §. *10.*

p. 19.

p. 19. §. *11.* & *12. p. 20.* Nam Logicorum regulae de instantiis ejusmodi facta postulant. Polygamiam vero a Deo non prohibitam esse, thesis est *D. Willenbergii*, quam probare tenetur. Ἀσυλλογίστως igitur agit, dum pro principio obtrudere illam mihi audet. In hoc ipso, quem nunc ingressi sumus, conflictu de veritate Majoris: *quicquid est objectum legis divinae, illud in verbo Dei non prohibitum, sed permissum est,* oportet nos a prohibitione & permissione polygamiae prorsus abstrahere, & tantummodo de nexu Subjecti & Praedicati sollicitos esse. Hinc enim cognoscitur momentum & pondus medii termini. Cardo totius rei in eo versatur: Utrum haec ratio, qua pro medio illationis usus est: *actio illa est objectum legis divinae*, apta & proportionata sit inferendae conclusioni: *Ergo illa actio est divinitus permissa, & non prohibita.* His, ut par erat, si inhaesisset, compendium aliquot paginarum, simulque & sibi, & mihi, operam minorem facere potuisset.

§. 31. *TERTIA* exceptio, qua consulere sibi satagebat, limitationem Majoris, ex parte subjecti offerebat. Majorem scilicet satis roboris habituram arbitrabatur, si subjecto ejus adjiceretur: τὸ alibi non damnatum, aut improbatum esse, hoc modo: quicquid est objectum legis divinae, neque alibi damnatum, aut improbatum fuit, illud ipsum in verbo divino non prohibitum, sed permissum est. *Praesid. j. d.* §. *6. p. 9. 10.* Legens ista veritati consulere non poteram, quin consultissimum Virum, licet invitus, novae ἀσυλλογιστίας accusarem. Adhibita enim limitatione illa, reliquas Syllogismi propositiones si subjeceris, necessario medius terminus ingredietur conclusionem. Quod vitium infra dignitatem vel tyronum Logices censeri solet. *vid. just. causae p. 32.* Est mera sophisticatio.

§. 32. Adversarius ne hiscere quidem ad ista potuit, ne-

que vel unicum jota responsioni meae oppositum reperias; specimen tamen pertinaciae edidit, repetendo a me efficaciter explosa. Instituta enim collatione legum, quibus pro instantia usus sum, cum nostra, de qua in praesenti agitur, scribit: differentiam harum legum & nostrae legis Deut. XXI. 15. constituit, quod illis factis alia lex, quae ista improbat, posita sit, nostro nulla. §. 12. p. 20. Sed indigniora ista sunt, quam, ut verba de illis porro faciamus.

§. 33. Operosiorem se in vindicanda *QVARTA* exceptione exhibuit. Urgebat favorem Dei, quo filios polygamorum in hac lege amplexus est, cum illos pro legitimis & juris primogeniturae ac omnium inde dependentium commodorum ac praerogativorum capacibus declaravit; ex quo inferebat: ipsam polygamiam, ex qua illi nati sunt, ea lege approbari ac pro legitima declarari. *Praesid. j. d. §. 6. p. 10.* Ne igitur candorem in me desideraret, formavi in gratiam ejus sequens argumentum: quicunque legem tulit liberis, ex polygamia descendentibus, favorabilem, ille simul polygamiam approbavit. Atqui Deus &c. Ergo &c. Respondi, Majorem negando. Ratio negationis erat, quia casus dantur, in quibus Deus personis benigne facit, factum vero, quod casibus illis originem dedit, sancte detestatur. Cujus manifestum exemplum dedi ex *Deut. XVII. 14. 15.* collat. *1. Sam. XII. 17.* Confirmavi ista axiomate magni *GROTII: non, quicquid vitiose fit, effectu juris caret.* Si enim vitiose quae fiunt, effectu juris saepius gaudent, ex hoc ad rectitudinem facti non poterit concludi. *Justit. causae P. spec. S. 1. c. 1. §. 19. p. 35.*

§. 34. Dominus *D. Willenbergius*, haec quoque nuda repetitione jam olim dictorum expediri a se posse, persvasum habet,

bet. Tribus enim locis ista recoxit. §. *8. p. 17.* cum Legis nostrae occurrat expressum Dei mandatum, quo cuique ex polygamia nato jus primogeniturae tribuitur, *ipsius* dicitur, qui natus est ex polygamia primogenitus, *est jus primogeniturae*, eo ipso Dei approbatio colligitur. Si enim Deus hac lege polygamiam non approbasset, liberos ex ea natos omnino ut illegitimos considerasset, nec unquam pro his tam favorabile jus constituisset. Et iterum: §. *10 p. 19.* in polygamia ad liberos ex ea natos respicit, illis certa jura assignat, & in assignato jure eos protegit, quae omnia assensum legislatoris referunt, quod liberorum horum originem, quae polygamica est, approbet, quibus procul dubio nihil ex beneficiis suis concessisset, a quo, ob imminens infortunium liberorum, parentes eorum eo facilius retraxisset. Tandem: §. 12. p. 20. ille diluere vult argumentum meum: polygamiam ideo per consequentiam videri approbatam a Deo, quia liberos inde natos omnis juris legitimorum liberorum participes reddidit. &c.

§. 35. Iterantur identidem priora novis coloribus leniter tincta. Respondeo: 1. Cur, quaeso, ad rationem nihil excipit, qua praeter instantias, negationem Majoris fulsi? Nitor canone morali: *non quicquid vitiose fit, effectu juris caret.* Quem *GROTIUS* tanti fecit, ut ter, quantum observare mihi datum est, usus illo fuerit, *de J. B. & P. L. 2. c. 5.* §. *10. p. 167.* §. *16. p. 177. c. 11.* §. *9. p. 246. Edit. Amstel.* 1680. Argumentor

 hinc:

hinc: *quicquid in actionibus lege probibitis locum babere potest, illud non probat, actionem aliquam lege non prohibitam, sed permissam esse; Atqui effectus juris* (qualis hic est haereditas primogeniti) *in actionibus lege probibitis locum babere potest; Ergo effectus juris non probat, actionem lege non probibitam, sed permissam esse.* Ita vero corruunt omnia Adversarii machinalia, & falli illum patescit argumentantem: filii polygamorum haeredes legitimi declarantur a Deo; Ergo Deus polygamiam approbat. 2. Rationes ejus allatae nostram sententiam non infringunt. Redigam in argumentum: Quicunque liberis polygamorum certa jura assignat, & in assignato jure eos protegit, ille originem liberorum, quae polygamica est, approbat. Atqui Deus liberis polygamorum certa jura assignat, & in assignato jure eos protegit: Ergo Deus originem liberorum, quae polygamica est, approbat. Majorem probat: quia, si non approbasset polygamiam, liberos ex ea natos omnino ut illegitimos considerasset, nec unquam pro his tam favorabile jus constituisset. Imo, si polygamiam delictum esse decrevisset, malo liberos affecisset, ut, ob imminens infortunium liberorum, parentes eorum eo facilius retraxisset. Respondeo 1. Major non procedit. Si vera illa est, ita argumentari licet: Quicunque defloratae certa jura assignat, & in assignato jure illam protegit, ille originem, ex qua deflorata talis est, nempe scortationem approbat; Atqui Deus defloratae certa jura assignat, & in assignato jure illam protegit; Ergo Deus originem, ex qua deflorata talis est, nempe scortationem approbat. Conclusio est falsa. Minoris veritas con-

stat

ſtat ex *Exod. XXII. 16. 17. deflorata aut ducenda & dotanda, aut tantum dotanda.* Vitium igitur latet in Majore, quae, ad imaginem *Dn. D. Willenbergii,* ex facta perſonis jurium aſſignatione ac protectione, ad approbationem facti, cui ſtatus perſonae originem debet, concludit. Porro: Quicunque Regibus Judaeorum certa jura aſſignat, & in aſſignato jure illos protegit, ille originem Regum Judaeorum approbat. Atqui Deus Regibus Judaeorum certa jura aſſignat, & in aſſignato jure illos protegit; Ergo Deus originem Regum approbat. Concluſio eſt falſa *1. Sam. XII. 17.* Minor vera *Deut. XVII. 14. 15. Regem non niſi ex fratribus tuis eliges.* conf. *1. Sam. VIII.* Ergo oportet Majorem claudicare. Nec deerunt Adverſario meo exempla domeſtica. Male judicare, prohibitum eſt; ſi tamen pecunia eum in finem data fuerit, repeti nequit. *l. 3. ff. de cond. ob turp.* Porro: Ut quis injuſte poſſeſſionem acquirat, vetant leges, eam tamen adverſus extraneum prodeſſe docent. *l. 53. ff. de acquir. poſſeſſ.* Item: Servis portae dignitatum per jura occluſae ſunt: ſi tamen de facto dignitate functi fuerint, acta coram illis jure ſubſiſtunt. *l. 3. ff. de off. Praet.* Secundum principia Adverſarii mei concludam: Quaecunque leges 1. ob pecuniam male judicantibus; 2. injuſtam poſſeſſionem acquirentibus; 3. Servis praetura functis, certa jura aſſignant, & in aſſignato jure illos protegunt, illae originem horum, nempe acceptionem pecuniae pro male ferenda ſententia, injuſtam poſſeſſionem, admiſſionem Servi ad praeturam, approbant. Exſpecto reſponſionem Adverſarii, quae retroverſa idem valebit. 2. Specioſo quidem involucro Majorem ſuam tegere laborat, dicens: Si Deus non approbaſſet polygamiam, liberos ex ea natos omnino ut illegitimos conſideraſſet, imo, malo illos affeciſſet, ut ob imminens infortunium liberorum Parentes eorum eo

facilius retraxiſſet; ſed ſi ad conſequentiam accuratius attenderis, palpum incautis obtrudi, facile deprehendes. Reſpondeo: 1. idem de exemplis a me productis dicere licebit: niſi Deus ſcortationem approbaſſet, pro deflorata non pronunciaſſet, imo malo illam affeciſſet, ut, ob imminens infortunium, alias eo facilius a peccato retraxiſſet? 2. Liberi polygamorum legitimi erant haeredes ex divina declaratione. 3. Si Deus malo afficere debuit liberos polygamorum innocuos, cumprimis afficere debuiſſet puellam vitiatam, culpae non expertem, ad deterrendum alias. Nefas contrahebat haec, effuſa in venerem; non liberi, naſcendo ex polygamis, quod evitare, non erat poteſtatis.

§. 36. Sequitur *QVINTA* ejus exceptio: Deum formam polygamiae lege ſua poſuiſſe; Ergo ipſam rem approbaſſe. Ita in *Schediaſmate ſuo* argumentabatur. §. 3. Reſpondi ego: formam polygamiae poni non *legaliter*, ſed *eventualiter. Vindic.* §. 2. p. 9. Excepit ille: utique legaliter, quia futuris caſibus polygamiae normam poſuit Deus, ad quam illi dirigendi ſunt. *Praeſid. j. d.* §. *7. p. 10.* Repoſui, conſequentiam & aſſertum fallere. *Conſequentiam:* quia Deus peccata hominum, imo & diabolorum quotidie dirigit, abſit tamen, ideo illa approbare. Cur igitur non normam praeſcribere potuiſſet, ad quam polygamia ab hominibus dirigenda eſſet, neque tamen ideo illam approbare? *Aſſertum:* quia Deus non polygamiae, ſed haereditati primogeniti ex illa normam poſuit. *Juſt. cauſae P. ſpec. S. l. c. 1.* §. *22. p. 37.*

§. 37. *Dn. D. Willenbergius* ad ultima mea mutiorem ſe piſce exhibuit; temperare tamen ſibi non potuit, quin priora ſua repeteret: ad formam, enarro verba ejus, rei legalem

lem, satis est, si appareat legem actiones humanas ad certum finem dirigere, seu praescribere agenda vel omittenda, cum suis modis, qualibuscunque verbis id fiat, non praecise per verba: praecipio vel concedo. A directrice enim virtute legis perfectio constat. Videmus autem, per legem nostram actum polygamicum ad certum finem dirigi, qui est, ne liberis amatae uxoris plus deferatur, quam exosae in successione, cui ideo formam legalem detrahere non convenit. Formam polygamiae hic tantum eventualiter positam esse, evinci non poterit prius, quam probatum fuerit, polygamiam simpliciter a Deo prohibitam esse, quod an Adversarius probaverit, infra suo loco examinabimus. *Iter. praesid. c. 2. §. 11. p. 20.*

§. 38. Disceptamus jam de eo: utrum in hac lege forma polygamiae ponatur eventualiter tantum, an vero simul etiam legaliter? Quae paucis explicuisse, operae erit pretium. *Forma rei in lege poni*, dicitur, quando lex illam qua formalitatem vel essentiam describit. Ita, concesso nunc in gratiam Adversarii: agi h. l. de polygamia simultanea, forma ejus poneretur, dum Deus virum sistit, duarum Mulierum Maritum. Potest vero forma rei poni vel *legaliter*, quando vel praecipitur, vel saltem conceditur; *eventualiter*, quando nec praeciptur, nec conceditur, sed solum ut casus dabilis sistitur, indicata Legislatoris voluntate, quales, si acciderit, homines gerere se debeant. Ego polygamiam in citata lege eventualiter, *Dn. D. Willenbergius* legaliter poni, asserimus.

§. 39.

§. 39. Ille pro ſua ſententia urget, ad legalem formae poſitionem non opus ſemper eſſe, verbis: praecipio, concedo; poſſe etiam aliis fieri. Quod non nego, neque praeciſe verbis illis inhaereo: aequipollentia tamen, vel rationem ex textu poſco, ex qua de voluntate Legislatoris vel praeceptiva vel conceſſiva conſtet. Quam niſi dederit, nihil obtinebit. Efficere hoc conatur duabus rationibus: 1. quia lex haec polygamiam dirigit ad certum finem; 2. quia praeſcribit agenda vel omittenda cum ſuis modis. Utramque examinabo. *Prior* hunc parit ſyllogiſmum: Quaecunque lex dirigit polygamiam ad certum finem, illa polygamiae formam legaliter ponit, h. e. approbat illam. Atqui haec lex dirigit polygamiam &c. Ergo. Minorem: quia per hanc legem actus polygamicus ad certum finem dirigitur, qui eſt, ne liberis amatae uxoris plus deferatur, quam exoſae in ſucceſſione. Reſpondeo. Nolo immorari *Minori* propoſitioni, quae non ſimpliciter concedenda eſt: quia non polygamia, ſed haereditas filiorum dirigitur ad finem, legitimam nempe primogeniti portionem. *Major* vero falſiſſima, & probatio ejus nulla eſt. Non enim nunc de perfectione legis quaeritur, ſed de ſumma ejus: num polygamiam approbet? Legi nihil derogatur, nec virtuti ejus directrici, etiamſi polygamia non niſi eventualiter in illa fuerit poſita. Peſſime vero a directione ad approbationem illius, quod dirigitur, concludi, ex eo evadit perſpicuum, quod ſanctiſſimum juſtiſſimumque Numen peccata dirigat, quae tamen puriſſime averſatur, tantum abeſt, ut probet illa. *Geneſ. L. 20. 1. Samuel. X. 21.* Tulit id reſponſum a me *injuſtit. cauſae* p. 38. ſed adeo ad illud conticuit, ut nec ulla vox ipſi exciderit. Addam plura. Jura

non

non permittunt, ut ſententia conditionalis feratur, ſi tamen Judex de facto talem tulerit, valorem ipſi tribuunt, ita, ut a tali appellandum ſit. *l. 1. §. 5. ff. quando appell. ſit.* *Sane quidem non eſt ſub conditione ſententia dicenda, ſed ſi fuerit dicta, quid fiet? & eſt utile, ſtatim tempora ad appellandum computari debere.* Habes legem dirigentem. Materia directionis eſt ſententia ſub conditione dicta. Finis ad quem directio tendit, eſt appellatio. Ergone hinc colligam: in hac lege ſententiam conditionalem approbari? Audiat ea de re *TESMARUM*, ſui ordinis virum, ad quem ipſe provocavit: *Vis argumenti eſt, cui rei leges dat Deus, quamque redigit in certam formam, eam juſtam continuo facit, licitamque. Mihi vero diverſa eſſe videntur, factum aliquod coërcere, certisque includere legibus & illud approbare, inque numero rerum juſtarum ponere. Sic leges poſuit Deus divortium facere volenti, at inde non ſequitur, juſtum continuo, piumque eſſe, repudiare legitimam uxorem. --- Similiter, quando apud Ægyptios lege cavebatur, ut furari volens, nomen ſuum apud ſacerdotem profiteretur, Diodor. Sicul. l. 2. c. 3. furtum non redigebatur inter licita & juſta, ſed ſcelus, quod tolli e civitate non poterat, certis limitibus circumſcribebatur. Idem eſt de retorſione, de caede adulteri in adulterio deprehenſi, & omnibus aliis negotiis, quae injuſta ſemper ſunt, licet certis legibus circumdata. in Grotium l. 7. c. 2. §. 2. n. 2. lit. l.* Poſterior ejus ratio ſequentem ſuggerit ſyllogismum. Quaecunque lex praeſcribit agenda, vel omittenda, cum ſuis modis, illa actionem & omiſſionem legaliter ponit, h. e. approbat. Atqui haec lex praeſcribit agenda vel omittenda cum ſuis modis. Ergo. Reſpondeo: Si per agenda intelligit portionem definitam, primogenito exoſae concedendam, per omittenda autem, eandem Filio dilecto non erogandam, concedo totum argumentum, ſalva theſi mea.

Si vero per agenda intelligit ipſam polygamiam, pro qua pugnat, *Minor* nihil veritatis habet. Agenda, quae lex injungit, non ſunt: ducere ſimul duas uxores; ſed primogenito ex exoſa muliere ſuum tribuere. Tandem mihi opponit: formam polygamiae hic tantum eventualiter poſitam eſſe, evinci non poſſe prius, quam probatum fuerit, polygamiam ſimpliciter a Deo prohibitam eſſe. Ego vero toties jam monui, probationes theſeos meae, quoad hunc locum, non niſi abſurdiſſime a me exigi: quia ille me impugnat, reſponſionibus meis ad dubia mihi mota refellendus, non probationibus ſententiae meae inſtruendus. Deinde multum & mirifice fallitur, arbitratus, veritatem reſponſionis: *polygamiam hic eventualiter poni*, ex probatione prohibitionis pendere. Falſus oppido animi. Poſſet, etiamſi permiſſa fuiſſet polygamia, tamen eventualiter fuiſſe poſita. Diſpoſitio enim legalis indifferenter ſe habet ad actus tum permiſſos, tum prohibitos. Illud vero volo, ex ejusmodi lege, in qua eventualiter forma rei, vel caſus aliquis ponitur, pro approbatione ejus fruſtra argumentum necti. Quoad igitur mihi non probatum fecerit, polygamiam hic loci approbari, quod nondum praeſtitit, admittere tenetur reſponſionem meam: non legaliter, ſed tantum eventualiter hic poni.

§. 40. Tandem reſtat, ut *ULTIMAM* exceptionem diſcutiam, ad nuptias Patriarcharum polygamicas nos ducentem. Agam hic *primum* de crimine, in quod me *Dn. D. Willenbergius* vocavit, *deinde* de re ipſa. De Crimine haec habe. Scripſeram in *Vindiciis* p. 9. *Deum in lege Quaeſtionis polygamiam eventualiter poſuiſſe, recenſendo caſum, qui vel petulantia hominum, praecepta ſancte habenda migrantium, vel intercedente ipſius Legislatoris relaxatione, quam diſpenſationem vocamus, contingere poſſit.* Quae ille refutaturus, magno clamore me accuſa-

ſavit: quod Patriarchas Sanctosque alios petulantes homines vocaverim, meque ideo monet, ne in hos, Deo gratiſſimos, ipſumque Deum exiſtam injurius. *Praeſid. j. d.* §. *7. p. 11.* Ego Deum pie colens, ejusque Sanctos ac Patriarchas, qua par eſt, veneratione proſequens, pro tuenda innocentia mea, reſpondi: me disjunctive locutum fuiſſe: caſum polygamiae *vel ex petulantia hominum, vel ex diſpenſatione divina* ſuboriri poſſe, & poſteriori membro ad Patriarchas reſpexiſſe; Fide igitur non bona Adverſarium meum illud: *ex petulantia peccare*, ad Patriarchas trahere, mihique categorice, ſine omni limitatione, tribuere: quod illos petulantes homines appellaverim.

§. 41. *D. Willenbergius*, juſtiſſimae huic defenſioni locum non concedens, pergit iterum me injuriarum, in Patriarchas; quid? ipſum Deum eructarum, accuſare. Eum in finem ſcribit: conſequentia, quod ſcilicet Patriarchas petulantes appellaverim, haec eſt, quam dudum ex iſta poſitione elicuerunt Meisnerus, Strykius, Hoppius & alii, qui obſervarunt infirmo talo ſtare theſin: Polygamiam contra legem Dei eſſe. *c. 2.* §. *13. p. 21.* Ad reſponſionem meam, disjunctive me locutum fuiſſe, excipit: Fateor, me nec nunc, nec iſto tempore, quo vindiciis reſpondebam, penetrare potuiſſe, iſtam diſtinctionem impedire, quo minus illatio illa contra D. Weickhmannum procederet. Siſtat ille extra Patriarchas homines, qui, quod Polygami fuerunt, petulantis nomen meruere. Qua occaſione multa de Lamecho commentatur, ejusque confeſſionem de homicidio patrato dubii ſenſus, ipſum vero ſingulari a Deo

benedictione munitum fuisse, &, etiamsi homicida fuisset, tamen nuptiis polygamicis non peccasse, quod non a Deo legatur reprehensus, asserit. Id quod testimonio Lutheri confirmat, tandem concludens: Cum quoque nec hoc docuerit D. Weickhmannus, scilicet, quenquam a Spiritu S. ob polygamiam nota petulantiae affectum esse, nec possit docere, velit tamen petulantium casus polygamicos evenisse, consequentia illa immota stat, quod aut omnes polygami, & sic quoque Patriarchae petulantes ab ipso vocati, aut omnibus etiam non Patriarchis intercedente divina dispensatione licuerit polygamos esse. Utrumque tamen absurdum, sed quod ex praemissis non melioribus sequitur. p. 23.

§. 42. Omnibus his supersedere potuisset *D. Willenbergius*, si modo reputare animo suo voluisset, jam non quaeri: utrum Deus dispensaverit Patriarchis? sed: num ego, ob dictionem meam: *Deus casum recenset, qui, vel petulantia hominum, vel intercedente ejus dispensatione, contingere potest*, jure impietatis accusari possim, quemadmodum ille me coram Deo & Ecclesia accusat, quod Patriarchas petulantes homines appellaverim, injuriarum in ipsos, ipsumque Deum, reus? Ita enim crimen mihi impactum publice denunciat: *petulantes homines vocat Patriarchas Sanctosque alios &c.* Consului eapropter duo inclyta collegia juridica, *Regiomontanum* & *Rostochiense*, quorum utrumque me hoc scelere, cujus notam mihi inurere ausus est, prorsus levavit. Quaestio mea ita habebat: Ob Autor Vindiciarum, wenn er p. 9. 10. lehret: Deum *Deut.* XXI. Polygamiam eventualiter tantum posuisse, recensendo casum, qui vel petulantia hominum praecepta sancte habenda migrantium, vel

intercedente ipsius Legislatoris relaxatione, quam dispensatiotionem vocamus, contingere potest, mit Recht könne beschuldiget werden: ipsum Patriarchas Sanctosque alios petulantes vocare, und deßwegen der Vermahnung bedürffe / ne in Patriarchas, Deo gratissimos, ipsumque Deum existat injurius? Da er doch disjunctive geredet: vel petulantia hominum, vel intercedente ipsius Legislatoris &c. Responderunt Domini JCti Rostochienses A. 1713. d. 22. August. Wir halten davor / daß Autor Vindiciarum weder in Patriarchas, noch Deum, durch die ex Vindiciis angezogene Worte / injurius gewesen. Wir wollen 1. die Haupt-Quaestion: an Polygamia jure divino naturali, an positivo, an plane non prohibita sit? bey Seite setzen. Doch dieses müssen wir 2. pro fundamento kürtzlich anführen / daß Polygamia jure morali naturali nicht verbothen sey. Einfolglich 3. Viri sancti in peccato mortali nicht gestorben / sondern / wenn gleich solche Lege divina positiva verbothen / so würde Deus de Lege positiva dispensandi & relaxandi potestatem gehabt haben. Welche dispensation und relaxation ob sie zwar 4. in GOttes Wort nicht exprimiret; so ist sie doch 5. aus vielen Umständen / de quibus Osiander ad Grot. l. 2. c. 5. p. 746. & multis seqq. zu schliessen. Domini JCti Regiomontani, quorum Responsum integrum exhibebit Apologiae meae Pars posterior, responderunt A. 1713. d. 16. Sept. Was diese Frage anlanget / so folgete zwar solches / wenn man schliessen wolte: petulantibus hominibus relaxatione legis gratiam factam esse; Weil aber der *Autor Vindiciarum disjunctive* redet / daß nicht alle Polygami ex petulantia, sondern etliche derselben ex dispensatione divina gewesen / zu der letztern Classe er sonder Zweifel die Patriarchas & alios Sanctos referiren wird / kan er dessen weder mit Fug beschuldiget wer-

werden / noch bedarff er der Vermahnung/ ne in Patriarchas, & Deo gratiſſimos, & ipſum Deum, exiſtat injurius.

§. 43. Affatim teſtimoniorum, quae cumulate ſatisfacere poterunt laeſae innocentiae. Nec quicquam nunc adderem amplius, niſi removenda etiam exiſtimarem velamenta, quae temerariae ſuae criminationi vano auſu quaeſivit. Dicit I. conſequentiam hanc ex iſta poſitione elicuiſſe Meisnerum, Strykium, Hoppium & alios, qui obſervaverint infirmo talo ſtare theſin: Polygamiam contra legem Dei eſſe. p. 21. Siccine non ſatis eſt, vivos praeter meritum infamaſſe, ſed pie defunctis etiam falſa tribuenda ſunt, ut eorum autoritate dicam mihi ſcripſiſſe videatur? *MEISNERUM* legem Dei ejusque diſpenſationem Patribus factam agnoviſſe, evidenter ex ipſismet B. Theologi verbis in *juſtit. cauſae p. 207. ſeqq.* docui. Pugnat adverſus eos, qui polygamiam intrinſece peccatum, adeoque jure naturae prohibitam fuiſſe, arbitrantur, qua ſtante hypotheſi, Patriarchas in peccato contra conſcientiam perſeveraſſe, concludit. Ab illis diſcedens, quid ipſe ſentiat, palam profitetur: *negatum haud ibimus, Deum Gen. II. 24.* μονογαμίαν *inſtituiſſe & commendaſſe. Addimus autem ſequenti tempore circa illam legem diſpenſaſſe, & ejus obligationem in V. T. ſuſpendiſſe. Alias a mortali peccato Patres excuſari non poſſent, quia legem ſcitam volenter transgreſſi fuiſſent. Philoſ. ſobr. P. I. p. 644. 645. Edit. Wittenb. 1621.* Statuerit *MEISNERUS:* hypotheſin de polygamia, jure naturali prohibita, Patriarchas peccati mortalis arguere; me non ferit, utpote ab iſta ſententia alienum. Docuerint *STRYKIUS* & *HOPPIUS*: nullam extitiſſe juris divini

ni prohibitionem; nec illud, & hoc quidem loco, minime opponi mihi poteſt. Non enim disquirimus de prohibitione divina, ſed de juſtitia accuſationis: num, quisquis dicit: *Polygami veteris Teſtamenti, vel ex petulantia, vel ex diſpenſatione divina, tales fuerunt*, injuriarum in Patriarchas jure poſtulari poſſit? Quam conſequentiam ſi ex *Meisnero*, *Strykio* & *Hoppio* probatum dederit, illico cauſa mea cedam. Id vero nunquam praeſtabit. Dicit porro: ſe nec nunc, nec olim, cum ad vindicias meas reſpondit, penetrare potuiſſe, illam diſtinctionem (ſcilicet inter eos, qui ex petulantia, & qui ex diſpenſatione divina polygami fuerunt,) impedire, quo minus illatio illa (quod Patriarchas petulantes appellaverim,) contra me procederet. *p. 21. 22.* Mihi vero intelligere non licet, cur *Dominus Doctor* penetrare non potuerit, quod duo celeberrimorum JCtorum collegia penetrarunt. Crediderim illos aeque acutum cernere, & de injuria Patriarchis illata judicare potuiſſe, ac Adverſarium meum. Res ſatis manifeſta eſt, neque opis noſtrae indiga. Pergit, me non poſſe ſiſtere extra Patriarchas, homines, qui, quod polygami fuerint, petulantis nomen meruerint. Quem in finem de Lamecho prolixius diſſerit, & tandem concludit: cum neminem polygamorum, ob polygamiam nota petulantiae afficiat SS. nec ego hoc docuerim, nec poſſim docere, velim tamen petulantium caſus polygamicos eveniſſe, conſequentiam illam immotam ſtare, quod aut omnes polygami, & ſic quoque Patriarchae petulantes a me vocati, aut omnibus etiam non Patriarchis intercedente divina diſpenſatione licuerit polyga-

gamos eſſe. p. 22. 23. Etiam hic multum fallitur, quia tranſilit limites. In actione injuriarum, quam mihi intendit, non de veritate hypotheſeos, ſed ſequela concluſionis, ex illa contra me, ab accuſatore formatae, litigandum : num impactum mihi crimen: quod Patriarchas petulantes appellaverim, firmari ex mea disjunctiva poſſit ? Quod ipſum a ratione & veritate longe eſt averſum. Quisquis de hominibus, in uno ſtatu deprehenſis, disjunctive ita loquitur: alii eorum ex propria petulantia, alii ex diſpenſatione Legislatoris tales ſunt; ille improbe inſimulatur, quod promiscue omnes petulantes appellaverit. Et, qui hoc nomine ipſum injuriarum accuſat, probare tenetur injurias ipſi improperatas, non vero in accuſatum onus probandi hypotheſin ſuam devolvere poteſt.

§. 44. Multum impendit operae defendendo Lamecho polygamo. Sed quem in finem? Antiquiſſimi Eccleſiae Doctores polygamiam, quam primus introduxiſſe viſus illis eſt, in vitio ipſi ſemper poſuerunt. Quos tantum non omnes ſeqvuntur. conf. *D. HOTTINGERI* ראשי אבות *ſeu Hiſtoria Patriarcharum, Exercit. VII. p. 236. ſeqq.* Non ibo inficias, textum argumenta apodictica, quod primus omnium polygamus extiterit, non ſuggerere; ſed nec adverſa pars pro negativa quicquam in illo reperiet. Probabilitate ſi ſtandum, vincet communior ſententia. Sane, quia primus eſt, de quo legitur in S. Codice, quod duas uxores duxerit; quia etiam in tam concinna Cainitarum hiſtoria, quae reliquorum matrimonia tacuit, hoc ipſum inſertum legitur : *Lamechus autem ſibi duxit duas uxores; Geneſ. IV. 19.* probabiliter inde colligitur, ipſum polygamiae, hactenus inuſitatae, primum dediſſe exemplum. Vitium vero actionis ex lege pendet, de qua nunc dimicamus. Dicit 1. Interpretes de mente verborum Lamechi *Geneſ. IV. 23.* adhuc diſceptare, utrum confeſſionem

homi-

homicidii, vere a se patrati referant, ob verba *Genes. IV. 15.* vid. *Tesmar. ad Grotium l. 2. 5. lit. k.* Respondeo: Locus citatus *Genes. IV. 15.* dubios quosdam reddidit, quin Lamechus Cainum; non vero quemcunque alium interfecerit: quo de verba illa nihil dubii, ut opinatur *Dn. Doctor*, movent. Qui homicidium actu commissum inficiantur, verba Lamechi vel conditionaliter, vel interrogative, vel adversative capiunt. Textui vero convenientissimum est, Lamechum geminae caedis reum se sistere. Vid. *B. D. PFEIFFERI Dubia vexata in h. l.* Quicquid hujus rei sit, sive homicida extiterit Lamechus, sive minus, polygamia tamen peccare potuit. Ego vero non possum, quin *B. D. SEB. SCHMIDII*, Exegetae felicissimi, sententiam adscribam, ingenium profecto sapientem. Putat ille Lamechum *Genes. IV. 23.*, polygamia se peccasse, sponte profiteri: *matrimonii lex est, ut unus sit vir & una femina: unde duabus feminis duo competunt viri: at ego unus vir duas habeo Uxores, alterum itaque virum quasi occidi, commisique tantum fere peccatum, quantum est homicidium Caini.* Urget 2. Adversarius: ex textu patere, quod Lamech fuerit vir a Deo singulari benedictione munitus, qui rei suae familiari prudenter praefuit &c. *p. 22.* Respondeo: utut omnia ista sic se habeant, infirmum tamen inde argumentum pro defendenda polygamia ejus petitur. Nabalem *1. Sam. XXV.* & divitem Heluonem *Luc. XVI.* Deus etiam singulari benedictione muniverat; Ergone actiones eorum approbavit? Egregium argumentum, quo causa polygamica vix dignius dabitur: Lamechus fuit vir a Deo singulari benedictione munitus, qui rei suae familiari prudenter praefuit, & liberos suos in variis artificiis instruxit, eosque ad labores ferendos idoneos fecit; Ergo polygamus suffragante Deo factus est. En! principia moralitatis! Ast instat 3. posito, quod ho-

micida fuerit, exinde tamen non ſequitur, eum a polygamia ſua (*non*) meruiſſe petulantem dici, quia poſſunt a malo homine etiam bona proficiſci. Ita omnino eſt. Non licet colligere: homicidio peccavit; Ergo & polygamia. Sed nec viciſſim fas eſt concludere: poſſunt ab homine malo bona proficiſci; Ergo Lamechi polygamia fuit bona. Nondum ceſſat cauſam Polygami agere, ſed in gratiam ejus 4. ſcribit: ſi Lamechus primus fuiſſet, qui a polygamia ſcelus contraxiſſet, Deus id, ut alia delicta, prima vice commiſſa, procul dubio reprehenſurus fuiſſet, quod nullibi factum legitur. p. 22. Hic vero maxime fallitur. Non toleranda eſt ea argumentandi ratio: Deus facta quaedam non reprehendit; Ergo juſta ſunt. Quid? Si quis, veſtigiis ejus inhaerens, diceret: Si Lothus primus fuiſſet, qui ab inceſtu cum filiabus ſcelus contraxiſſet, Deus id, ut alia delicta, prima vice commiſſa, procul dubio reprehenſurus fuiſſet. Quod nusquam factum legitur. Ergo nec inceſtu peccavit? Tandem recurrit ad autoritatem Lutheri, ex cujus *Tom. V. Wittenb. germ. ad cap. 4. Genes.* ſequentia repetit: Hier ſind unſere Lehrer klug geweſen/daß ſie ſagẽ/Lamech ſey der erſte Ehebrecher geweſen/wie ſie achten die *Bigamos*, die zwey Weiber haben. Ich halte nicht/daß das die Meinung ſey/denn der Text ſagt ſchlecht / er habe zwey Eh-Weiber gehabt; ob er auch der erſte geweſen/ weiß ich nicht/aber damit iſts nicht geſchloſſen/ daß es unrecht ſey zwey Weiber zu haben/ denn man daſſelbe hernach von vielen auch heiligen Leuten lieſet. Reſpondeo: Luthero oppono Lutherum. In loco citato dicit: 1. Ob Lamech der erſte geweſen/ der zwey Eheweiber gehabt/ weiß ich nicht. Idem vero alibi rotunde affirmat: Lamech iſt ohne Zweiffel ein Mann eines trefflichen Verſtandes und in Regimenten

ten gewaltig und beruffen gewest / und hat seine Nahrung und Haußhaltung gemehret auff eine neue Weise und Exempel/daß er zum ersten zwey Weiber genommen hat. Wird auch ohne Zweiffel die Kirche der Frommen mancherley Weise geschlagen und angefochten haben/ wie denn solche Leute thun/ die verständig und daneben boßhafftig sind. *Tom. 9. Altenb. fol.* 153. & ibid. paulo ante: Lamech prediget nicht aus GOttes Wort/ sondern seinem eigenen Kopff. 2. Negat, illum polygamia peccasse. Hoc tamen non obstante, Melanchtonis Disputationes, in quarum vigesima sexta etiam haec leguntur: *Etsi concessum erat Judaeis polygamia uti, tamen magis secundum naturam est, unam uxorem habere, quam plures. Lamech jure reprehenditur, quod primus duas uxores duxit*, peculiari praefatione A. 1534. ornavit, & deinde Tomo I. scriptorum suorum Wittenbergensium A. 1545. inserendas curavit. In praefatione vocat illas *breve quoddam memoriale, seu, ut dicitur, breviarium & fasciculum earum rerum, quae istis fere 20. Annis docta, disputata & tractata sunt, summis viribus & studiis, adversus maximas & indomitas abominationes & profanationes impiissimarum religionum.* Ipse etiam, Lamechi factum ordinationi divinae contrariari, docet in consilio, Hassiae Landgrafio dato: Lamech hat das Exempel eingeführet/ mehr Weiber sämtlichen zu haben/welches von Ihm in der Schrifft gemeldet / als eine Einführung/ wider die erste Regel. 3. Negat polygamiam prohibitam esse: Damit ists nicht geschlossen/ daß es unrecht sey/ zwey Weiber zu haben. In consilio vero, jam jam citato, scribit: GOtt hat die Ehe also eingesetzt/daß allein Zweyer Gesellschafft seyn soll/ dieweil sie beyde leben/ und nicht mehr. Das will der Spruch/ es sollen ihr Zwey in einem Fleisch seyn. *Tom. 8. Altenb. fol 977.* Du solt gedencken/ daß dir gebühren will/ bey dieser Regel zu bleiben: ein jeder soll sein eigen Weib haben. *Tom. 9. Altenb. f. 923.* conf. *justitiam causae p. 223. & partem hujus Apologiae posteriorem.*

§. 45. Vindicata innocentia mea, restat *secundo*, ut de dispensatione, Patriarchis aliisque in V. T. facta, agam. Ire per horum exempla plerumque solent dissentientes, apud quos polygamiam Patriarcharum & reliquorum Sanctorum utramque paginam facere observaveris. Quaenam animo nostro de illa sedeant, modeste indicavimus, subscribendo eorum sententiae, qui dispensationem, quoad hanc legem, a Deo quibusdam obtigisse existimant. Quae opinio vel hoc nomine tutissima videtur, quia sic nec prima matrimonii institutio, nec salus Patriarcharum periclitantur: quo nomine se plerisque Theologorum ac JCtorum nostrae aetatis ita commendavit, ut suffragio suo illi adesse non dedignentur. Iisdem ego insistens vestigiis, omnem rem ad quatuor imprimis capita revocavi. *PRIMVM est: facta hominum leges divinas evertere non posse. SECVNDVM: nunquam in Republ. judaica polygamiam universaliter introductam & receptam ab omnibus fuisse. TERTIVM: dispensationem intercessisse, perquam videri probabile. QVARTVM: nec dispensationem omnibus contigisse, nec omnes, qui polygami fuerunt, ex dispensatione tales fuisse.* Quae singula fusius a me explorata sunt *in justitia causae P. spec. S. 1. c. 1. §. 25. seqq. p. 44. seqq.*

§. 46. Singulae istae observationes tam faciles atque evidentes sunt, ut dissentientes etiam, modo, praeconceptas opiniones aliquantisper capistrare, ipsis placuerit, dispensationem divinam saltem incredibilium numero eximendam esse, concessuros mihi, non diffidam. Contradicit Nobilissimus meus Adversarius *in iter. praesid. c. 2. §. 15. p. 23.* cujus conatus nunc ad examen vocabo. Ad *PRIMVM: facta hominum leges divinas non evertere*, nihil ab ipso repositum video. Quod tamen multum omnino habet in recessu, tantumque efficit, ut a factis contrariis ad negationem legis argumentari nemo debeat: Usitata fuit olim polygamia; Ergo nulla unquam lege prohibita fuit. Nam & divortia eodem tempore divinitus permissa fuisque

que limitibus circumſcripta fuerunt; quis vero ideo legem divinam de matrimonii indiſſolubilitate inficiari audeat? Nervoſe igitur dicta ſunt, quae ex *B. D. SCHMIDIO* citavi: *polygamia veterum nullo modo per exempla licita reddi potuit.* Quae ſilentio ſuo *Noſter* approbans, aciem telorum, ex his pharetris promtorum, ipſe hebetavit.

§. 47. *SECVNDVM: quod nunquam in Republ. judaica polygamia univerſaliter introducta & recepta ab omnibus fuerit,* non vult admittere Adverſarius; ad exempla tamen, quibus hoc confirmavi, *Iſaaci, Joſephi, Moſis*, ipſiusque *Uriae*, qui omnes monogami fuerunt, nihil reſpondet. Oppoſui iſta liberioribus ejus aſſertis, quae minus forte advertenti, aliisque intento, ex calamo effluxerant: legem illam Deut. XXI. 15. 16. 17. ad omnes Patriarchas, Sanctosque alios datam eſſe, eosque omnes in polygamia vixiſſe. *Praeſid. j. d. §. 7. p. 11.* Ille vero excogitaſſe ſibi videtur rationem minus convenienter dicta defendendi. Sapit Paralogismum, inquit, cum dictionem meam: omnes Patriarchas in polygamia vixiſſe ſine exceptione prolatam accipit. Dictio mea ſecundum quid eſt, non ſimpliciter, & illos Patriarchas includit, qui polygami fuerunt. *iter. praeſid. c. 2. §. 15. p. 24.* Reſpondeo: Si paralogizare, παραλογίζεσθαι, eſt: falſa ſupputatione vel argumentatione decipere, *VOSSIUS de vitiis ſermonis. p. 720.* labem hanc immerenti mihi adſpergit. Univerſaliter eſt locutus: Omnes Patriarchae & alii Sancti in polygamia vixerunt. Cui recte ego Patriarchas primi millenarii, tum & Noachum ac Iſaacum oppoſui, quos polygamos extitiſſe, aeternum non probabit. Juſtior vix dabitur argumentandi ratio, quam ſi univerſali particularem

opponam. Nunquam vero auſus fuiſſem viro doctiſſimo tribuere, quod nunc palam de ſe profitetur: eſſe ſcilicet univerſalem ſuam ſecundum quid accipiendam, & ſubjectum Propoſitionis limitandum ex ipſo praedicato: Omnes Patriarchae, qui polygami fuerunt, vixerunt in polygamia. Ita enim fas quoque erit dicere: *Omnes homines vivunt in matrimonio* ſcilicet, qui ſunt conjugati; it. *Omnes homines fasciis involuti dormiunt*, ſcilicet, qui faſciis, in ſtatu infantili, devincti ſunt. Ad univerſalem enunciationem requiritur univerſalis attributio, hoc eſt, ut Praedicatum Subjecto univerſaliter attribuatur, nec quicquam ſub eo ſubſumi liceat, de quo non Praedicatum dici poſſit, & quidem, ſub ſubjecto, quale in enunciatione apparet, non vero modificatur ex Praedicato. Nullam dederis mihi particularem enunciationem, cui non, hac ratione, nota univerſalis apponi queat. Et, ſenſum ſi ſpectes, habes identismum: *polygami ſunt polygami.* Ejusmodi luſum in diſputatione ſeria Cordati improbabunt. Nec melioris commatis ſunt, quae ibidem p. 24. ſequuntur: Iſta cenſura non opus eſt, Legem *Deut. XXI.* 15. diu poſt mortem Patriarcharum latam fuiſſe; Ergo me non potuiſſe illam ad Patriarchas referre. §. *24. p. 42.* Id enim, quod praecipuum hujus legis eſt, Permiſſio nempe polygamiae, dudum ante ſcriptam iſtam Legem Patriarchae a Deo, cum quo ſaepe locuti ſunt, perceperant. Illi enim ab eo nunquam moniti, quod ſibi polygamia eorum diſpliceret, ſatis certi erant, ſe polygamos fieri ex voluntate Dei. *MEISNER. Phil. ſobr. d. q. 1. p. 338.* Quin cum Voluntas Legiſlatoris etiam inſcribatur Tabulis de negotiis

prae-

praeteritis, *L. 7. C. de Legib.* idem hic factum, quod Dei Voluntas Patriarchis dudum cognita, nunc demum a Mose in suis tabulis expressa fuerit. Respondeo: sunt ista a scopo aliena, & frustra dicuntur. Non sermo nunc est de permissione polygamiae, sed de medio termino, quo ille pro permissione pugnat, seu, de lege, in negotio haereditatis a Deo lata: num ista omnibus Patriarchis aliisque Sanctis data recte dicatur? Cujus falsitatem vel hinc demonstravi, quod Deus eandem post elapsos demum, ab initio mundi, bis mille Annos, per Mosen populo dederit, quo tempore sex & triginta Patriarchae jam dudum fatis suis concesserant. Qui ergo scribit: ad omnes Patriarchas Sanctosque alios lex ista data erat? Praeter rem, in gratiam figmenti, dicit, Patriarchas permissionem polygamiae, dudum ante scriptam istam legem, a Deo, cum quo locuti fuerint, percepisse, & non intercedente, ob nuptias polygamicas, reprehensione, satis certos evasisse, se polygamos factos ex voluntate Dei. Quod calculo Meisneri confirmat. Nam, si haec de dispensatione, a Meisnero defensa, intelligi vellet, veritatis professio invito excidisset, neque nos haberet contradicentes; quomodo vero inde rationabitur, legem nostram de primogeniti portione omnibus Patriarchis datam esse? Verum, cum ipsi: *permissionem polygamiae a Deo percepisse*, idem sit, ac: *polygamiam nunquam prohibitam fuisse*, principium denuo petit, & Meisneri nomine abutitur: neque tamen sic asserto suo speciem veritatis conciliabit. *Lex 7. C. de LL.* mihi non adversatur. Supra p. 18. ex eadem probavit: naturam legis esse, ut casus futuros respiciat; nunc vero illam in contrarium urget, probaturus, voluntatem Legislatoris etiam tabulis de negotiis praeteritis inscribi posse. Prius frustra mihi opponebatur, vid. §. 9. hujus capitis; posterius, causae meae nihil metuens, largior, sub illa restrictione,

ne, quae in ipsa lege continetur: *si scilicet nominatim, & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* Probet haec de nostra lege. Accedit & illud, quod non scripserit, quemadmodum nunc verba ejus habent: voluntatem Legislatoris inscriptam esse tabulis de negotiis praeteritis; sed: legem hanc ad omnes Patriarchas, Sanctosque alios datam esse. Unde hoc firmabit & conficiet? Disceptari inter eruditos memini: Utrum de hac juris primogeniturae ratione, in erciscunda familia, Deus ante hanc sanctionem *Deut. XXI.* jam olim lege quicquam statuerit? *B. FRISCHMUTH, in dissertatione de primogenitura*, §. *20. locum ex R. Bechai* profert, quo asseritur, *dignitatem primogeniturae, ante hanc legem Deut. XXI. duplicem bonorum paternorum portionem non inclusisse, sed in dominio constitisse & bonore, quo primogenitus, post mortem Patris afficiendus erat, quamvis non neget, aliqualem praerogativam ipsum mansisse in dividundis opibus.* Ipse etiam *SELDENUS* fatetur, non satis liquere, num jus illud duplicandae sortis ante legem mosaicam obtinuerit, docentibus Magistris, primogeniturae jus olim sacerdotalem functionem spectasse, quae ante tabernaculum & Aaronis Sacerdotium a primogenitis exercebatur. *de suc. in Bon. def. c. 5. p. 22.* Quicquid hujus rei sit; id omnino certum est, primam legem scriptam *Deut. XXI.* reperiri. Faciet igitur rem opera sua dignam *D. Willenbergius*, si locum Scripturae S. indicaverit, ubi & quando omnibus Patriarchis lege divinitus lata hoc ipsum fuerit injunctum.

§. 48. *TERTIUM: Dispensationem divinam intercessisse, perquam videri verosimile;* prorsus fugit & aversatur. Recensebo rationes ejus, ex *iter. praes. j. d. c. 2. §. 15. p. 23.* & respondebo. I. Dicit torquere se nimium Dd. de justitia polygamiae Patriarcharum proferenda, & in tanta difficul-

cultate multos nescire, quid ſtatuendum, ſed ἐπέγειν (ἐπέχειν) eligere, meque fateri ipſum, non conſtare, quomodo, quando & ubi ea illis obtigerit? Reſpondeo: Diſſenſus Autorum ex diverſa, quam amplectuntur, hypotheſi fluit, prout alii juri naturali, alii poſitivo univerſali polygamiam repugnare exiſtimant. Quorum illi tolerantiam, hi diſpenſationem ſtatuunt. *Juſt. cauſae P. gener.* §. 5. *p.* 13. 14. Diſſenſus ille veritati nihil detrahit. In prohibitione enim omnes amice conſpirant; in factis vero hominum dijudicandis quisque hypotheſin ſequitur. Quod illaeſa veritate fieri poteſt, nec infrequens eſt, quoties facta hominum a regula abiiſſe leguntur. Idem circa divortia obſervamus. Qui enim indiſſolubilitatem matrimonii ex jure naturae derivant, illi divortiorum permiſſionem *plena minorem*; qui ex jure poſitivo univerſali, permiſſionem *plenam*, h. e. diſpenſationem, aſſerunt. *V. B. D. ALBERTI compend. J. N. P. 2. c. 10.* §. 22. *p.* 182. *B. L. MENCKENII diſput. de divortiis ſecundum jus Naturae.* Scripſiſſe me: non conſtare, quando? quomodo? & ubi diſpenſatio Patriarchis obtigerit? fateor. Quae vero, dum repetiit, non mutilare debuiſſet. Male enim rationem omittit a me annexam: quia ſcriptura ſilet. Qua tacente, quis coget nos loqui? Omittit & illud, quod ſtudio addidi: *ſufficere conjecturam tantae probabilitatis, quanta in ejusmodi cauſae genere deſiderari merito poteſt.* Quod alio exemplo, ſacra ex hiſtoria, illuſtratum a me fuit. *Juſtit. cauſae p.* 46. Haec omnia ſilentio praeteriit. Pergit II. priusquam probetur, adeſſe poſitivam legem divinam prohibitivam, nullum diſpenſationi locum dari poſſe, ſed, quia omnibus in Republ. Iſraelitica permiſſum vivere cum pluribus uxoribus, ac ſapientiores de nume-

ro ducendarum uxorum diſpenſandi facultatem ſibi arrogarunt, ex generali Dei permiſſione licitam apparere polygamiam. Reſpondeo: 1. Concedo diſpenſationem ſupponere legem, ideoque Adverſarium meum l. c. rogavi, ut illam, inſtar poſtulati mathematici, tantisper admitteret, usque dum de exiſtentia legis convenerimus. 2. Ipſe vero plus ſibi indulget. Uti enim ego a factis piorum non reprehenſis ad diſpenſationem; ita ille, ab iisdem, ad abſentiam legis argumentatur: quam probare ipſi incumbit. 3. Mea doctrina duabus nititur fulcris: quorum *prius* eſt, leges Dei poſitivas ad unum omnes eſſe diſpenſabiles: *poſterius*, Patriarchas in mortali peccato non mortuos fuiſſe. De Judaeorum ordinatione, quoad numerum uxorum, jamjam dicendi erit locus.

§. 49. Tandem ad *QVARTVM: nec diſpenſationem omnibus contigiſſe, nec omnes, qui polygami fuerunt, ex diſpenſatione tales fuiſſe*, excipit. 1. Joſephum *in Archaeolog. l. 17. c. 11.* & Seldenum *de J. N. & Gent. l. 5. c. 3. p. 569. & c. 6. p. 585.* docere, omnibus in Republ. Iſraelitica permiſſum fuiſſe vivere cum pluribus uxoribus. Voluiſſe nempe Judaeos praeceptum de multiplicando genere humano maxime obſervare &c. *p. 23.* Reſpondeo: *Joſephum in Archaeolog. ſeu antiquitat. judaic. l. 17. c. 1. fol. m. 583. Edit. genev. 1634.* plura non habet, quam: πάτριον γὰρ ἐν ταὐτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν, *patrius enim nobis eſt mos, plures ſimul uxores habere.* Quem vero, ipſi Moſi binas uxores tribuentem, *SELDENUS* merito coarguit; monens, hoc ipſum, velut fabuloſum, a viris doctis rejici. *de J. N. & Gent. l. 5. c. 6. p. 586.* In ipſo *SELDENO l. 5. c. 3. p. 569.* quod cauſae Adverſarii inſerviat, non lego. Altero autem loco *c. 5. p. 585.* juxta Ebraeorum placita, inquit,

quit, *semper viro licita fuit uxorum etiam simul conjunctarum pluralitas ante legem mosaicam, seu ex jure naturali, nec minus, post illam legem, temperamentis aliquot, ex jure ipsis civili, adjectis.* Notandum, ipsum haec, juxta Ebraeorum placita, scripsisse, cum ipse ex primo orbis millenario, praeter Lamechum, polygamum nominare non potuerit. Imo alibi, *de uxore Ebr. l. 1. c. 9. p. 44.* narrat, *non defuisse inter Judaeos, qui ex ipsa lege, binas uxores Israelitam simul retinere, fas non putarent, a magistris, numerum ex lege non praefiniri volentibus, ideo, velut haereticos explosos.* Demus vero *Dn. D. Willenbergio* omnia illa. Nihil inde sibi metuit causa justior. Utut enim populus universaliter haec sibi indulserit, vel etiam fraena ipsi a majoribus laxata fuerint; non tamen sequitur, Deum promiscue omnibus dispensasse. Et Monogamorum exempla a me producta confirmant, fuisse in populo Dei, quibus matrimonia polygamica dispensatione Legislatoris destituta displicuerint. Quae etiam severiori censura notabantur a *Malachia* II. 14. seqq. cujus verba suo loco vindicabo. Neque me ferit, quod 2. urget, Judaeorum Magistros in subditis postea licentiam uxorum ex ratione status coarctasse, ut nemini ultra quatuor uxores ducere liceret, de his vero dispensandi & leges faciendi facultatem comprobare: polygamiam utique esse rem a dispositione hominum pendentem &c. *p. 23. 24.* Quis enim nescius est, Judaeos legem passim corrupisse, & a praescripto longius abiisse, cum doctrina, tum praxi, severius hoc nomine a Christo monitos & reprehensos? *Matth. V.* docebant etiam: *odio habendum esse inimicum*; *Matth. V. 43.* quod tamen lege erat prohibitum, *Exod.* XXIII. 4. 5. *Levit.* XIX. 18. *Prov.* XXV. 21.

§. 50. Age vero abſtrahamus uterque a polygamia Patriarcharum & aliorum V. T. Sunt facta hominum, quae legi, ſi qua extitit, non derogabunt quicquam. Abſtinebo poſthac, neque diſpenſationis meminero, niſi ille argumentis meis, pro exiſtentia legis prohibitivae productis & producendis, facta hominum oppoſuerit. Ille viciſſim deſinat pro negativa ſua ad facta iſta provocare. Suſpendantur, quoad vel ille me, vel ego ipſum convicerimus. Si enim ille probatum mihi dederit, Deum nunquam polygamiam prohibuiſſe; ſponte ipſi concedam, neminem polygamorum pluralitate uxorum peccaſſe. Si ego vero legem prohibitivam ſtabilivero; ille quoque facile diſpenſationem largietur. Poſtulatum hoc nihil habet iniqui. Nec video, quo jure renuere illud queat, cum ipſe l. c. ſcripſerit: de lege deficiente judicandum erit ex ſequentibus. Quieſcant igitur Exempla. Certemus rationibus.

§. 51. Nondum me dimittit *Dominus Doctor*, ſed placuit ipſi denuo huic diſceptationi de *Exod. XXII. 16.* quaedam ingerere, quae praeterire ſine damno potuiſſet. Brevitati nimirum ſtudens, in Vindiciis meis legem Dei, *Exod. XXII. 16. 17.* extantem, compendioſe citaveram: *defloratam dotandam, aut ducendam eſſe. p. 9.* Anſam hinc arripiebat Adverſarius me falſitatis accuſandi, quia verſiculo 16. utrumque ſtupratori injungitur, ut impraegnatam & ducat & dotet: non alternative, inquit, ut Autor falſo allegavit. *Praeſid. j. d. §. 6. p. 10.* Non licuit hic officium mihi ipſi denegare. Modeſtiſſime igitur mentem meam interpretatus ſum: me integrae legis habuiſſe rationem, in cujus priori quidem membro v. 16. Autori libidinis utrumque, & dotatio & conſummatio matrimonii; in poſteriori vero v. 17. ob intercedentem Patris diſſenſum, ſola dotatio decernatur. Fini igitur meo, qui erat declaratio legis, in favorem defloratae cedentis, compendioſam hanc alternati-

vam:

vam: *aut ducenda, aut dotanda*, ſuffeciſſe. *Juſtitia cauſae P. ſpec. Sect. I. c. 1. §. 20. p. 35. 36.* Ille innocentiam meam probe animadvertens, ita excanduit, ut, ob juſtam iſtam placidamque defenſionem, *tricas mihi animumque ſpurciſſimis rixis deditum*, tribuere non veritus fuerit. Audi indignantis verba, ſtomachi plena: Ad haec, quae monueram, quod Exod. XXII. 16. non alternative legendus ſit, ut Adverſarius dixerat, ſed conjunctive, non opus eſſet nunc cum nominatione criminis, a me ſibi impacti, tanto verborum cumulo reponere. Si D. Weickhmannus in ſuis vindiciis utrumque verſiculum, nempe 16. & 17. Exod. XXII. & non ſolum v. 16. allegaſſet, in quo nulla alternativa diſpoſitio legitur. Mea ergo admonitio ſuperfunctoria ſuae lectionis nullam notam criminis habet, ſed parum abeſt, quin hae tricae animum ſpurciſſimis rixis deditum referant. *Iterat. praeſid. j. d. c. 2. §. 10. p. 19. 20.* Accuſor, quod non utrumque capitis comma, 16. & 17. ſed alterutrum tantum citaverim. Id vero frequentiſſime fit ſine indicio ſequentium, quia lector evolvens ſacrum codicem, ſi non omnia in notato commate repererit, etiam non monitus ſequentes conſulet. Manuſcriptum meum nunc introſpicere non fuit integrum mihi, quia non amplius poſſideo; auſim tamen aſſerere, verſiculum 17. incuria vel Amanuenſis vel Typographi omiſſum fuiſſe. Hujusne erroris ab alio commiſſi poenam tam aſperam me innocentem luere fas eſt? Lector, niſi, impendere his tempus, grave ipſi fuerit, legat mea & judicet: num *tricarum & animi ſpurciſſimis rixis dediti* vel index aut veſtigium in illis extet? Offenditur termino criminis, quod impingi mihi ab eo ſcripſi *p. 35. §. 20.* Sed res ita habet. Accu-

ſavit me, in tractandis ſacris literis, criminis falſi: non alternative, ut Autor falſo allegavit. Quod in Theologo ſatis grave eſt crimen, cujus inſimulatio ipſum non leviter laedit. Mitius cum ipſo egi, qui in *Schediasmatis*, quod typis hic loci exſcriptum, perluſtrare ipſe oculis ſuis potuit, *theſi quinta* pro capite *Marci decimo* ſubſtituerat *octavum*. Iniquum putavi ipſum ideo in ſuſpicionem falſi trahere, ideoque brevibus parentheſi incluſis errorem emendavi: *Marc. X.* (*non VIII. ut habet Schediasma*) v. 7. 8. *Vid. Vindic. p. 18.* Si mecum tam blande egiſſet, nulla defenſione opus fuiſſet.

SECTIONIS SECUNDAE
CAPUT II.
de ſecundo argumento D. Willenbergii ex 1. Timoth. III. 2. Tit. I. 6.

§. 1. Ex N. T. urget D. Willenbergius 1. Timoth. III. 2. coll. Tit. I. 6. Repetitur argumentum pro polygamia inde formatum.

§. 2. Reſponſio Autoris ad utramque Praemiſſarum.

§. 3. D. Willenbergius ſophiſtice finxit, Autorem ex h. l. contra polygamiam argumentari, reprehenſus ab eo; qui tamen

§. 4. Pergit probationem poſtulare ab Autore, juſte hoc

§. 5. Ipſi exprobrante.

§. 6. Exceptio D. Willenbergii ad inſtantiam Autoris ex Exod. XVIII. 21.

§. 7. Reſponſio Autoris.

§. 8. D. VVillenbergius Minorem tum probare, tum a reſponſionibus Autoris vindicare tentat.

§. 9. Probatio ejus 1. quia clericis h. l. lex datur. Reſpondet Autor.

§. 10. 2. Quia tempore Pauli in uſu erat polygamia.

§. 11. Reſponſio Autoris.

§. 12. De loco Hieronymi Epiſtol. 83. ad Oceanum.

§. 13. 3. Quia haec lex Episcopo data eſt, ut eo melius Eccleſiam curet. Reſpondet Autor.

§. 14. 4. Quia v. 2. ad Episcopum requiritur aptitudo ad docendum. Reſpondet Autor.

§. 15. Repetitur exceptio D. VVillen-

lenbergii prima pro Minore: in Decalogo non prohiberi polygamiam. Respondit Autor; ille silet.

§. 16. *Secunda ejus exceptio: legem producendam esse contra polygamiam. Respondit Autor; ille silet.*

§. 17. *Tertia exceptio D. VVillenbergii, rationes producens pro exclusiva. Autor respondit* a) *in genere; ille silet.*

§. 18. b) *In specie, ad rationem PRIMAM: polygamiam abstrahere ab officio. Nova D. VVillenbergii exceptio, cum Autoris responsione.*

§. 19. *Ad SECUNDAM rationem D. VVillenbergii, de castimonia vitae.*

§. 20. *Nova D. VVillenbergii exceptio, cui*

§. 21. *Autor respondet tum in genere, fallacias ejus detegendo;*

§. 22. *Tum in specie. 1. Num exclusiva textui sit inferenda, quia a clericis major castitatis gradus requiritur? Neg.*

§. 23. *De loco Josephi.*

§. 24. *2. Num ex asserto VVillenbergiano sequatur: polygamiam legibus castitatis repugnare? Neg.*

§. 25. *D. VVillenbergius sophistice pro se citat Paulum 1. Cor. VII. 26. & D. Spenerum, ministros Ecclesiae ad caelibatum hortantes.*

§. 26. *3. Num caelibatus, ratione majoris castitatis, dignior sit conjugio? Neg.*

§. 27. *4. Num castitas recte ad Decorum referatur? Neg.*

§. 28. *Ad TERTIAM rationem D. VVillenbergii: non legi, quod Apostoli polygamos corripuerint.*

§. 29. *D. VVillenbergius, ad primariam responsionem silens,*

§. 30. *Testimoniis Autorum sibi oppositis nova exceptione obsistit. Cui Autor,*

§. 31. *Detectis ejus fallaciis, respondet.*

§. 32. *De Johanne Leidensi, vanaque D. VVillenbergii jactatione.*

§. I.

SEcundum argumentum, quo quaerere polygamiae gloriam divinae approbationis annisus est *D. Willenbergius*, petiit ex tabulis N. Testamenti, in quibus observavit, Ministris verbi divini polygamiam interdici. Quam in rem ex *1. Timoth. III. 2. 3. 4. 5.* verba Pauli urget: *Oportet Episcopum irreprehensibilem*

bilem esse, unius mulieris maritum, sobrium, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed aequum, non litigiosum, non avarum; qui propriae domui bene praesit, liberos habeat in subjectione cum omni honestate. Si quis vero propriae domui praeesse non scit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Quibus consona leguntur. *Tit. I. 6.* Ne his robur concludendi, quod ille extorquere inde audet, deesse videatur, inserit ex ingenio suo, quae in textu non legitur, exclusivam: *tantum;* cujus praesidio stipatus scribit: textibus illis ita utor, ut probem, ibi legem tantum dictam esse Episcopis & aliis Ecclesiae Ministris, ne veniant ad ministerium Ecclesiae, si fuerint polygami, conversos Judaeos & Graecos polygamos ab Ecclesia exclusos ibi non reperiri. Ergo constare, certis personis tantum polygamiam interdici, non in unum omnibus. *Praesid. j. d. §. 8 p. 11.* collato *Schediasmate §. 3.* Ex quibus, ad mentem Antagonistae, sequens formavi argumentum: Quicquid a Deo tantum Episcopis & aliis Ministris Ecclesiae prohibitum est, id reliquis, extra Cleri ordinem, non prohibitum, sed permissum est. Atqui polygamia a Deo tantum Episcopis &c. Ergo polygamia a Deo reliquis, extra Cleri ordinem, non prohibita, sed permissa est.

§. 2. Respondi ad hoc argumentum bifariam. *Primum* negavi *Minorem,* quatenus illa exclusive formata fuit. Quae exclusiva, cum in textu non contineatur, pro figmento Adversarii habenda est. *Deinde* dixi, si Minor terminus in utraque Praemissarum retineatur, qualis in textu apparet, Propositionem quidem Minorem veram esse: quod Episcopis polygamia interdicta fuerit; fallere vero *Majorem,* inferendo hinc, quod reliquis omnibus eadem a Deo concedatur. Plura enim alia a

Mi-

Miniſtris requiri v. 2. 3. *eſſe ſobrium, temperantem, non avarum &c.* quae tamen omnibus aliis, aeque ac illis, incumbant. Nam in moralibus uſu comprobatum eſſe, ut praecepta uni ordini aut individuo applicentur, quae aliis ſint & maneant communia. Cujus manifeſtum exemplum ex *Exod. XVIII. 21.* exhibui, ubi officio Magiſtratus fungentes jubentur timere Deum, veraces eſſe, & lucri non cupidi. Ex quo concludere haudquaquam fas eſt: Ergo reliquis contemtu Numinis, mendacio, avaritia non interdicitur. Vid. *Vindicias p. 10.* §. *3.* & *juſtitiam cauſae p. 50.*

§. 3. Exceptum fuit a *D. Willenbergio* ad poſteriorem reſponſionem, me male a reliquis vitiis ad polygamiam argumentari, hoc modo: ſobrium, temperantem, non avarum eſſe, omnibus & ſingulis injungi; Ergo etiam τὸ eſſe monogamum *Praeſid. j. d.* §. *8. p. 11. 12.* Deſideravi hic candorem in Adverſario, falſa mihi tribuenti. Non potui in me recipere, quae ne cogitata a me unquam fuerunt. Proinde reſpondi, me nunc non occupari probationibus, ſed ad probationes Adverſarii reſpondere, neque hunc locum a me, ſed ab illo productum fuiſſe. Differunt iſta toto coelo. Aliud eſt argumentari: avaritia non ſoli Clero prohibita eſt; Ergo nec polygamia. Quale quid ne per ſomnium quidem in mentem mihi venit. Aliud viciſſim, argumentanti: polygamia Clero prohibita eſt, Ergo nulli alii; reſpondere: quod plura hoc loco prohibeantur Clero, quae tamen non prohibita ſint ipſi ſoli. Ideoque hinc, ad negationem prohibitionis aliis factae, vitioſe concludi, & qui ſic concludit, debere rationem reddere, cur uni ex catalogo prohibitorum excluſivam adjecerit, quam tamen in reliquis locum non habere, ipſe fateri cogatur? *Juſt. cauſae p. 51. 52.*

§. 4. *D. Willenbergius* obtinet antiquum. Silentium enim, a veritate ipſi impoſitum, ſola repetitione rumpit. Et licet

N ibi,

ibi, inquit, quoque aliarum virtutum mentionem faciat, (Paulus) quae non ſolum ad clericos, ſed & alios homines pertinent, imprimis tamen iſtae miniſtris Eccleſiae mandatae ſunt, ut cum his, quae illorum propriae ſunt, exerceant. Cum vero ex his demonſtratum ſit, tam proprias, quam communes virtutes Epiſcopo mandatas eſſe, hoc ab adverſa parte nunc probandum erit, quod interdictum, de polygamia datum, aliis quoque commune ſit, nec ad eum ſolum pertineat. *Iter. praeſid. c. 2. §. 16. p. 25.*

§. 5. Reſpondeo: 1. Ut concedit, admonitionem Apoſtolicam plura complecti, quae non ſolum ad clericos, ſed & alios homines pertineant, inprimis tamen miniſtris Eccleſiae mandata ſint: ita, quoad non aliis rationibus confecerit, polygamiam ſolis Eccleſiae miniſtris prohibitam eſſe, concedere quoque neceſſe habet, hoc loco eandem prohiberi illis potuiſſe, ſalva manente prohibitionis univerſalitate. Ἐξοχὴ, qua *inprimis* aliquid uni ordini prohibetur, communitatem non tollit, ſed confirmat. 2. Infirmam eſſe argumentationem: quaedam miſcentur Epiſcopis propria; Ergo tale quid etiam polygamia eſt, protinus docebo. 3. Quid vero tu ſolus, *Domine Willenbergi*, aperta non vides? Palam eſt, a me probationes, in hoc quidem campo, non niſi ἀσυλλογίστως exigi, cur igitur, quod tuarum eſt partium, ordine prorſus turbato, mihi imponis, poſtulando, ut probem, *quod interdictum, de polygamia datum, aliis quoque commune ſit*? O quam repente tui obliviſceris! Ordiebaris hanc ipſam paragraphum his verbis: ad novum Teſtamentum digredior, in quo hos duos textus pro po-

polygamia facientes reperio. *p. 24.* Assertum hoc: textus illos pro polygamia facere, probare; tuum est. Quod ipsum rectius si expendissent Autores anonymi variarum Relationum, quas singulis fere Nundinis de aliorum Scriptis publicae luci exponunt; animadversione sua censoria: me, quoad hunc locum, debere aut probare, polygamiam omnibus esse prohibitam, aut concedere, soli clero prohiberi, mihi pepercissent. Nam Adversarius meus hunc locum in scenam produxit, probaturus ex illo, polygamiam a Deo permissam esse: quia soli clero fuerit prohibita. Non igitur mihi, sed ipsi vindiciae hujus loci incumbunt. Neque ego adigi possum, ut universalem prohibitionem nunc probem; sed ille veritatem medii termini sui: soli clero prohibitionem factam esse, probare tenetur.

§. 6. Æquas habet instantia mea ex *Exod. XVIII. 21.* cum prioribus partes. De qua ille, frustra plurimas calumnias maximasque injurias (quarum tamen ne unam indicare potuit,) conquestus, quibus, velut novitius disputator, me expedire ipsi dicor, monet: cum praeceptum commune de servanda monogamia ab Adversario adductum non viderim, illud in Episcopo merito ut proprium urgeo. Cui instantiola sua Exod. XVIII. 21. ne quicquam derogat. Nam ibi personae certi ordinis non propriae sed communes virtutes applicatae sunt; clerico nostro e contrario quaedam virtutes propriae, quas inter est etiam vita monogamica. *Iter. praesid. j. d. c. 2. §. 17. p. 25. 26.*

§. 7. Visne, Lector, cui veritas cordi est, tibi pondus exceptionis Willenbergianae in compendio sistam; accipe paucis. Cum scribit: quia praeceptum commune de servanda monogamia ab Adversario adductum non

vidi, illud in Episcopo merito ut proprium urgeo; perinde est, ac si scripsisset: quia Respondens thesin suam, quam impugno, non probavit, ego dico, contradictoriam meam veram esse. Vel: quia a me accusatus innocentiam suam non docuit, accusatio mea justa est. Quae disputandi ratio si propria est Ducibus veteranis, malo ego contumeliis novitiatus onerari, quam gloriam illam cum Bellatore, tot conflictibus claro, communem habere. Instantiam meam *Exod. XVIII. 21.* diminutiva ejus appellatio non debilitabit. Est & justa, & satis potens. Sicut enim in textibus Apostolicis de ordine Ecclesiastico; ita hic de Politico agitur. Utrique varia tribuuntur requisita; neutri vero exclusive. Cum igitur non liceat colligere: Magistratus *Exod. XVIII. 21.* jubetur Deum timere, veritatem sectari & lucra respuere; Ergo alii legibus his non urgentur: ita nec *D. Willenbergio* fas est inferre: Ministris Ecclesiae non licet esse polygamis *1. Tim. III. 2.*; Ergo aliis licet. Dicit: Magistratui non propriae, sed communes virtutes applicatae sunt; clerico e contrario quaedam virtutes propriae, qualis est etiam monogamica. Sed talia scribens non cogitavit, hoc ipsum nunc in controversiam vocari: utrum monogamia, ex instituto divino, omnibus communis, an uni alicui ordini propria sit? Quisquis igitur nostrum alterutrum Quaestionis membrum regulam ponit & normam interpretandi scripturae locum, ex quo pro thesi sua argumentatur, is in foro disputatorio dare se vix turpius poterit. Magistratui l. c. non nisi communia applicari falsum est. Quae forte non scripsisset, fontes si consuluisset. Certum habeo, primum illud requisitum אנשי חיל involvere peculiarem ἱκανότητα, ad officium politicum necessariam. Meretur in hanc rem audiri *B. D. VARENIUS*, qui praemissis *R. Aben Esrae* & *R. Samuelis Jarchi* paraphrasibus, ita commentatur

ipse:

ipse: *Caeterum primo hoc requisito vult per Jethronem Deus eligi: Viros idoneos, qui substare possunt, velut columna rebus agendis*, tüchtige Männer/ die den Dingen Bestand seyn: *ad quam idoneitatem requiruntur, quae vox ipsa indicat. &c. Decad. 13. ad librum Elleschmoth loc. 9. p. 284.* Finge vero, communia esse omnia, nec sic instantia enervabitur. Argumentatio enim Willenbergiana: Ministris Ecclesiae interdicitur polygamia; Ergo non reliquis, si rationem habet; habebit & haec: Magistratui interdicitur contemtus Numinis &c. Ergo non reliquis.

§. 8. Quod ad *Minorem* attinet, scilicet, quod *solis* Ministris Ecclesiae polygamia prohibita sit, Adversarius 1. eandem probare; 2. Exceptiones quasdam priores a responsionibus meis vindicare conatur.

§. 9. *Primum* probat, quia negari a nemine possit, clericis a Paulo legem dari: nemo nostratium in dubium vocabit, ibi ab Apostolo Episcopo & aliis officio sacro inservientibus legem datam esse, ut quilibet eorum viveret monogamus. *Iter. praesid. c. 2. §. 16. p. 24.* Respondeo: Operam sumit inanem. Nec ego, nec quisquam alius hoc in dubium vocavit. Ἀπροςδιόνυσον vero est, alios ideo excludere. Aliud est, legem datam esse Apostolis; & aliud, illis solis esse datam. Lex etiam datur Apostolis eorumque in ministerio verbi successoribus, ut quilibet eorum sit temperans & aequus; eadem tamen etiam ad alios pertinet. Cur non ita: Christus Apostolis dicit, characterem, ex quo cognoscendi sint, dilectionem mutuam esse: *in hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli sitis, si dilectionem habeatis invicem; Joh. XIII. 35.* Ergo dilectio non est officium Christianorum commune?

§. 10. *Deinde* probat, quia tempore Pauli in usu erat polygamia: cum enim tempore Pauli multi populi es-

ſent, quibus uſus erat polygamiae, judicabat ille, ſi accideret, ut aliqui eorum accederent ad Chriſtianiſmum, eos quidem ab eo ob polygamiam non repellendos eſſe, ad miniſterium tamen, quamdiu cum pluribus uxoribus matrimonia colerent, haud eſſe admittendos, ſed oportere Eccleſiae miniſtrum monogamum eſſe. Quem in finem locum aliquem ex Hieronymo affert, non veritus, duabus his rationibus vim apodicticam tribuere: ex his vero demonſtrari poteſt, iſtam Pauli legem ad ſolos miniſtros Eccleſiae pertinere, aliis ex priori lege permitti polygamiam. *c. 2. §. 16. p. 24. 25.*

§. 11. Reſpondeo: 1. Si *D. Willenbergius* ex Logica admitteret, quid interſit, inter demonſtrativum & probabilem ſyllogiſmum, &, quemadmodum uterque a paralogiſmo differat; a praeconio demonſtrationis ſibi temperaſſet. Principiis utitur in errorem inducentibus, tantum abeſt, ut illa concluſioni ſyllogiſmi demonſtrativi ſint propria. 2. Non video, quo pacto ſua conciliaturus ſit illis, quae in Autoris anonymi ſcripto, ex anglico in noſtrum, ſi rubro fides eſt habenda, idioma translato: Kurtzer Beweiß/ daß unnütze Fragen dem Chriſtenthum ſchädlich ſind/ de polygamia tempore Apoſtolorum jam dudum abrogata, leguntur. Quantumvis enim illum in theſi ipſa a partibus ſuis habeat ſtantem, quoad hoc tamen momentum in alia omnia diſcedit. Nach der Babyloniſchen Gefängniß / ita principiis demonſtrationis Willenbergianae contradicit, da das zeitliche Glück unter dem Jüdiſchen Volck immer mehr und mehr abgenommen / hat man von der polygamia unter dem Jüdiſchen Volck nicht mehr gewuſt/ und iſt dieſelbe unter ihnen gantz in deſvetudinem gekommen/ wie der gelehrte

te Seldenus solches gar schön erwiesen. -- Zu der Zeit/ wie unser HErr und Heyland gebohren/ und folgends in seinem Lehr-Amte unter uns Menschen gewandelt/ ist von keiner polygamia unter dem Jüdischen Volck zu hören gewesen/ theils/ ob rationes jam supra adductas, theils/ weil die Römer das summum Imperium im Jüdischen Lande führten/ bey welchen ständig die polygamia verhast/ und per expressas leges positivas verbothen gewesen/ weswegen wir auch im gantzen N. T. nichts von der polygamia, tanquam re tum temporis non amplius existente, lesen. 3. Asserto suo, de mente Pauli, autoritatem adjungat & firmamentum. Recitat nobis decretoriam Apostoli sententiam, de polygamis ab Ecclesia Christiana non repellendis, tanta animi confidentia, ut crederes, Paulum eandem in aurem ejus insusurrasse: Paulus judicabat, si accideret, ut aliqui polygamorum accederent ad Christianismum, eos quidem ab eo ob polygamiam non repellendos esse. *p. 24.* Unde haec Tibi constant, *Vir consultissime?* Fac dictis fidem; aut non indignare, si quis, somniis ista germana esse, dixerit.

§. 12. Pusillum auxilii nanciscitur ex loco *HIERONYMI Epistola 83. ad Oceanum*, (quae extat Tom. 2. fol. 214. Edit. Francof. A. 1684.) *Prima Christi Ecclesia de Israel reliquis* (reliquiis) *congregabatur. Sciebat lege concessum, ut* (&) *exemplo Patriarcharum ac Moysi familiari populo noverat, in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoque sacerdotibus hujus licentiae patebat arbitrium. Praecepit ergo*, (ne) *eandem licentiam Ecclesiae sibi vendicarent sacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulos* (singulas) *uno tempore uxores habeant. Iter. praesid. p. 25.* Non crediderim, ipsum Hieronymum ab eo introspectum fuisse, quia verba ejus adeo vitiose recitavit, ut vix mentem eorum percipere lectori liceat. Quid vero praesidii inde sibi pollicetur? dicit Hieronymus, Ministris verbi divini

ab

ab Apoſtolo praecipi, ut ſingulas uno tempore, non, ad exemplum V. T. plures uxores habeant. Nemo hoc negat, quia praeceptum aperte in textu legitur. At, reliquis Chriſtianis promiſcue omnibus polygamiam conceſſam fuiſſe, ubi, & quibus verbis aſſerit Hieronymus? Dicas: ſi nemini conceſſa fuit, cur Miniſtris Eccleſiae illam prohiberi aſſerit? Verum ratio eſt in promtu: quia prohibitio in textu extat. Repetiit Hieronymus deinde reliqua monita: eſſe *prudentem, ſobrium, non avarum &c.* etſi non eſſet neſcius, omnes, cujuscunque ordinis fuerint, iisdem teneri. Quid vero ipſe de polygamia ſenſerit, aperte profeſſus eſt. *Lamechum* appellat *maledictum, quod unam Evam in duas diviſerit uxores.* In Epiſt. XI. ad Gerontium de Monogamia Tom. 1. fol. 59. a. *Una coſta a principio in unam uxorem verſa eſt. Et erunt,* inquit, *duo in carnem unam, non tres, neque quatuor: alioquin jam non duo, ſed plures. Primus Lamech ſangvinarius & homicida unam carnem in duas diviſit uxores: fratricidium & digamiam eadem cataclyſmi delevit poena.* L. 1. adv. Jovianum, Tom. 2. fol. 22. b. Idem ille divus Pater, in Epiſtola 30. ad Oceanum, Tom. 1. fol. 128. ex Pauli praecepto, quod non licet feminis, id nec licere viris, ſcribit: *aliae ſunt leges Caeſarum, aliae Chriſti, aliud Papinianus, aliud Paulus noſter praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur, &, ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Nihilominus tamen a *D. Willenbergio* teſtis nunc producitur, quod Paulus judicaverit, infideles ob polygamiam non repellendos eſſe ab Eccleſia.

§. 13. *Porro* pro *Minore* urget, quod Paulus hanc legem dederit Episcopo, ut eo melius Eccleſiam Dei curet: ſi enim ra-

rationem consideremus, quare Paulus dederit hanc legem, ea est, ut Episcopus vel Clericus monogamus eo melius Ecclesiam Dei curet, de qua testatur his verbis: *nam si quis propriae domui praeesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* 1. *Tim. III. 5.* Atqui vero haec ratio communis non est omnium hominum, sed est propria clerici, consequenter etiam ista lex ad solos clericos pertinet. *Iter. praesid. c. 2. §. 16. p. 25.* Respondeo: Dubito, quin ipse textum sacrum evolverit. Nam praeceptum de monogamia, in versiculo *secundo*; de bene curanda Ecclesia, in *quinto*, insertis tredecim aliis, demum occurrit. Quo igitur jure hoc, exclusis reliquis, quae intercedunt, soli monogamiae jungit? Verba in textu ita fluunt: *qui propriae domui bene praesit, liberos habeat in subjectione cum omni honestate. Si quis vero propriae domui praeesse non scit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* Ordini textuali si inhaerendum est, rationem reddidit Apostolus, cur Episcopus propriae domui bene praeesse debeat: quia ceteroquin spes concidet, ipsum, quod amplius est, Ecclesiam Dei esse curaturum. Finge nunc, quod vult *D. Willenbergius*, legem, cui ratio clericis propria subjungitur, ad solos clericos pertinere; ultro sequitur: Politicos & quoscunque alios, qui non sunt ordinis clericalis, non debere propriae domui bene praeesse. Intrepidus provoco ad singulorum Lectorum arbitrium. Adversarium enim moralia sua ita nectere est manifestum. Lege verba ejus initio hujus paragraphi citata. Quodsi hanc rationem: *curare Ecclesiam Dei*, ad omnia praecepta extendere velit, eodem absurdo tenebitur.

§. 14. *Tandem*, nec ultima ratio tanti momenti est, ut Adversario videtur. Colorem instituto suo obducit, quod Paulus *v. 2.* Episcopum velit aptum esse ad docendum, quale quid

omnibus non ſit neceſſarium. Confirmat rem, quod *v. 2.* Apoſtolus ab Episcopo requirat quoque, ut aptus ſit ad docendum, quod requiſitum ſane ad hominem, qui Eccleſiae miniſter non eſt, non pertinet. *Iter. praeſid. c. 2. §. 16. p. 25.* Aſt argumentatur ab uno particulari ad aliud particulare. Praeter generale illud: ἀνεπίληπτον εἶναι, ſedecim recenſentur requiſita, quorum duo Miniſtris Eccleſiae propria, reliqua cum omnibus ſunt communia. Arripit noſter ex duobus prioribus unum illud, nimirum διδακτικὸν eſſe, atque hinc infert: hoc praeceptum: Episcopus debet aptus eſſe ad docendum alios, ipſi proprium eſt; Ergo & hoc: debet eſſe unius uxoris Maritus. Habilitatem ad docendum non omnibus promiscue, ſed illis, quibus munus ejusmodi defertur, neceſſariam eſſe, ipſe terminus loquitur, eſtque clarius, quam ut negari poſſit: quia influxum habet in partes officii dextre adimplendas. Cum hac non paria facit monogamia, vel, eſſe unius mulieris virum, quod cum officio adeo conſociatum non eſt, ut nec alii obſtringi ad illud poſſint. Committit igitur praeter errorem antea notatum, etiam fallaciam parium non-parium.

§. 15. Refero me ad vindicandum Reſponſiones meas, quibus exceptiones ejus pro ſtabilienda *Minore*, in *juſtitia cauſae* p. 53. feliciter eliſi. De *prima* exceptione, ad *Majorem* ſpectante, actum eſt in Paragraphis hujus capitis tertia & ſequentibus. Exceperat deinde, in gratiam *Minoris*, in Decalogo reliqua vitia prohibita jam eſſe, non vero polygamiam. *Praeſid. jur. div. p. 12. §. 8.* Reſpondi: 1. Hoc ipſum eſſe theſin ſuam, quam, pro confirmanda *Minore*, repetere ipſi non liceat, niſi data opera Sophiſtam agere velit; 2. polygamiam prohibitam eſſe in ſexto praecepto: *non moechaberis. Matth. XIX. 9.* In quo plura latitare, quam diſertis verbis exprimatur, Chriſtum ipſum docuiſſe, conſpectum etiam libidinoſum ad vetita

tita

tita referentem. *Matth. V. Justit. causae P. special. Sect. 1. c. 2. §. 7. p. 53.* Quid ad haec iterata praesidia? *Nihil.*

§. 16. Exceptio *secunda* erat: me debere legem producere contra polygamiam, qua thesin meam vindicem, quam cum non produxerim, se insistere praescripto Pauli: tantum in locis citatis polygamiam Clericis interdictam esse. *Praesid. j. d. p. 12.* Ego, quam iniqvum & inconveniens hoc postulatum sit, copiose ostendi. Dicit, se insistere praescripto Pauli: omnibus, praeter Ministros Ecclesiae, polygamiam a Deo concedi; quod tamen a Paulo non scriptum, sed affictum ipsi est ab Adversario meo. Qui, fluere hoc inde, frustra jactitat: quia ego thesin meam non probavi. Conf. *justit. causae* p. 55. Quid ad haec Noster? *Nihil.*

§. 17. *Tertia* exceptio rationes fingit, cur a polygamia non nisi clerum excludere voluerit Deus? Itur hic in duplum. *1.* Ne multitudine mulierum a curis officii ad domesticas traheretur; 2. ut castimonia vitae etiam in conjugio magis aedificet Ecclesiam. Quod ipsum ad viros, non ministros Ecclesiae, non pertinere putat. *Praesid. j. d. §. 8. p. 12.* Respondi *primum* in genere: Operam inanem esse, in rationes, quae Legislatorem ad ferendam legem commoverint, inquirere, ubi de legis existentia adhuc disceptatur, quam non rationes, sed promulgata Legislatoris voluntas demonstret. *Justit. causae* p. 56. Quid ad haec Adversarius? *Nibil.*

§. 18. *Deinde* sigillatim ad unamquamque rationum respondi. Ad *PRIMAM* quod attinet, notavi, Politicis etiam opponi illam posse, quos plurimis maximeque arduis negotiis saepius occupari, satis sit manifestum. Si igitur Deus, lege monogamias clericis data, cavere voluit, ne multitudo mulierum, in

expediendis eorum partibus, impedimento illis esset, eandem legem ordini quoque politico dicendam fuisse. *Justit. caus.* p. 56. Excipit *Dn. D. Willenbergius* in *iterat. praesid. cap. 2. §. 17. p. 26.* Nec exinde conficit, praeceptum istud esse commune, quod & ad Politicos valeat dictum, ne multitudine mulierum a curis officii trahantur ad curas domesticas. Nam quoad Clericorum officium major ratio deprehensa, quam Politicorum, ex qua illis quoque data lex monogamica, non Politicis ob suum officium. Fallor, aut damnum infert sententiae suae. Si enim ratio legem fundat, (id quod opinatur,) ipsam legem agnoscat oportet, ubi ratio locum invenit, non habito diverso momentorum respectu. Equidem, an major in clericis ratio, & quaenam sit, nec probavit, nec exposuit; utut tamen ista ipsi largiar, ne sic quidem Politicos a lege monogamias immunes praestabit. Major ratio est, cur Patri inferre manus non liceat, quam cuivis alii; neque tamen ideo interficere quemcunque alium, permissum est. Quia igitur majorem prohibitionis rationem quoad clericos adesse dicit, hoc ipso concedit, eandem rationem, licet minori gradu, quoad Politicos obtinere. Ratio scilicet prohibitae Ecclesiastis polygamiae, ex mente *Dn. D. Willenbergii* est: quia remoram facit procurando muneri. Est officiorum distinctio & varietas; sunt tamen etiam singulis sua momenta. Cum vero Deus, sapientissimus ordinum omnium Autor, quemcunque velit dextre, & quoad ejus fieri potest, partibus suis perfungi: *maledictus, qui facit opus Domini remisse; Jerem. XLVIII. 10.* idem illud, si ratiocinio lis decidenda venit, quod, ob metuendam in officio retardationem, clero concessum non est, Politicis quoque interdictum erit. Non nego, laicis quandoque indulgeri posse, a quo clerus pie ac prudenter abstineat; nunc vero de nervo & pondere rationis Willen-

lenbergianae unice ago, nec velim, a me dicta ultra hos terminos extendi. Causae nihil video, quin multitudo mulierum aeque alios, ac clericalis ordinis, a curis officii ad curas domesticas trahere valeat. Id quod Deus toleranter ferre non solet.

§. 19. *SECUNDA* ratio Adversarii, cur solis verbi divini Ministris prohibita sit polygamia, est: ut castimonia vitae etiam in conjugio magis aedificent Ecclesiam. Ex quo sponte sua fluere, dixi, polygamiam legibus castitatis repugnare, quibus tamen omnes in universum eodem vinculo teneantur. *Justit. causae* p. 57.

§. 20. Prolixior est *D. Willenbergius* in vindicanda hac ratione, ex qua negat sequi, quod inde elicui, nimirum: polygamiam repugnare legibus castitatis: Nempe ut in aliis vitae gerendae partibus ratione officii sacri major a clericis requiritur exuberantia, (exuperantia,) quam in aliis, ita eadem quoque exigitur ratione castimoniae. Servari potest castimonia in polygamia, sed major adhuc in monogamia, & adhuc major in vita caelibe. Ad meliorem itaque castitatem monetur clericus a Paulo, non quod eapropter polygamiam velut repugnantem legibus castitatis damnet, uti quidem Noster somniat. p. 57. §. 11. De ista castitatis exuberantia (exuperantia) Josephus *Antiquit. Judaic.* 3. *c.* 14. agit: *Sacerdotes*, inquit, *duplo castiores esse voluit, &c.* Ita Paulus statum caelibem commendat 1. Cor. VII. 26. & religiosi Theologi ad eum Ecclesiarum Ministros tempore persecutionis magis quam ad conjugalem hortantur, vid. B. Dn. Spener. in den Evangelischen Lebens-Pflichten

ten *P.* 1. *p.* 191. *inf. vers.* Ja/ich wolte rathen / ideo tamen status conjugalis non erit ut status a castimonia vitae alienus aestimandus. *Iter. praesid. c. 2. §. 18. p. 26.* Hoc velim notet D. Weickhmannus, ad castimoniam vitae Ministri Ecclesiae requiri, id etiam non agere, quod indifferens per se, sed contra decorum illius. Adeoque etiam osculum alienae mulieri imprimere ex indecenti Pastoris conditione est &c. *Iter. praesid. j. d. c. 2. §. 18. p. 26.*

§. 21. Respondeo in genere: Committit consultissimus *Dn. D. Willenbergius* ignorationem Elenchi & fallaciam plurium interrogationum. Non jam Quaestio est inter nos: 1. quid clericis, intuitu officii, prae reliquis incumbat? sed: num prohibitioni Apostolicae: *oportet Episcopum esse unius uxoris virum,* ideo exclusiva: *tantum* apponi debeat: quia major castitas ab Episcopo, quam ab aliis requiritur? 2. numne, qui asserit: ex mente Dei, polygamiam idcirco solis clericis prohiberi, aliis vero concedi, ut illi castimonia vitae magis aedificent Ecclesiam; hoc ipso doceat, polygamiam legibus castitatis repugnare? 3. cum Adversarius meus in citata paragrapho scripserit: majorem castimoniam in vita caelibe, quam in monogamia servari posse; jam suborietur Quaestio: num caelibatus propter majorem castitatem conjugio sit anteferendus? non: num aliis ex causis quandoque praeponendus veniat? 4. Quid ratione castitatis, non Decori, Ministro verbi divini incumbat? Quae omnia ab Adversario meo confunduntur.

§. 22. His praemissis ad singula specialius respondebo. Quoad *primum* dico, me nondum cecidisse causa mea, nec sententiam suam perorasse Adversarium, dum scribit: majorem in clericis requiri exuperantiam ratione castimo-

niae.

niae. Extant in codice sacro leges omnibus communes; extant etiam singulis statibus & ordinibus propriae. Quas vero definire humani non est arbitrii. Disceptantibus de legis divinae communitate haudquaquam licet, sicubi illam huic vel illi ordini applicari legant, reliquos pronunciare liberos; minime, si lex ista aliis legibus, citra exceptionem, communibus fuerit consociata. Est hoc hypothesi suae subservire. Fallit praetextus *D. Willenbergii*: majorem castitatem a Ministris Ecclesiae exigi. Castitati cautum est sexto decalogi praecepto, quo, sine discrimine, pari vinculo tenentur omnes. Nemini frena laxantur. Nec uni prae reliquis indulgentior est Deus. Obligatio, quae effectus est legis, instar puncti mathematici, non recipit magis & minus, quemadmodum *GROTIUS* de honesto stricte ita dicto erudite notavit, *in puncto illud consistere, ut, si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas. De J. B. & P. L. 1. c. 2. §. 1. n. 3. p. m. 18.* Considerantur hic homines ut tales. Apprime *LUTHERUS* ad verba: **Ich bin der HErr dein GOTT:** Diese Worte müssen wir wohl ausstreichen und fleißig Acht drauf haben/ denn sie betreffen uns alle/ die gantze Welt insgemein/ und einen jeglichen Menschen insonderheit/ Jüden und Heyden/ nicht darum/ daß es Moses geschrieben hat/ sondern daß GOtt alle Menschen geschaffen hat/ erhält/ regieret/ und so ferner. *Tom. IV. Altenb. fol. 593. a.* Distinctos hominum status quae concernunt, ea non ex communi castitatis aut simili lege, discretionem non admittente, sed ex aliis fontibus derivari oportet. Quos fingere, nemini est integrum. En vero, cordate Lector, quam jucunde *D. Willenbergius* ludat. Thesis ejus est: Deus polygamiam nusquam omnibus prohibuit. Hanc probat: quia solis Ecclesiae Ministris prohibuit. Huic fidem facit: quia majorem ab illis castitatem postulat. Leges vero castitatis sunt communes. Specialior si gradus clero

incumbit, ſpecialior exiſtat lex, neceſſe eſt. Hanc producere debet, & eam quidem, qua Deus ſoli clero ideo polygamiae interdixit, quia in abſtinentia ab illa majorem caſtitatis gradum, ab iſto requiſitum, collocavit. Probari hoc putat, quia Paulus dicit: *Epiſcopus debet eſſe unius uxoris vir*. Si quaeras, unde conſtet, haec, quae aliis communibus inſerta leguntur praeceptis, ſolum clerum tangere? reſpondet: *quia ille ad majorem caſtitatis gradum obligatur*. Quaeras porro: unde certum habeat, in hoc majorem caſtitatis gradum eſſe poſitum? dicit: *quia aliis polygamia non eſt prohibita*. Ita res vertitur in circulum. Negotium ſibi ipſi faceſſit Adverſarius. Viderit, quemadmodum haec doctrinae ſuae reſpondeant: polygamiam, jure divino, non minus ſcortationis vitandae medium poni, ac monogamiam. *Praeſid. j. d. p. 34.* Haec tueri ſi cupit, polygamia ipſi erit medium ab ipſo Deo, pro conſervanda caſtitate, ordinatum. Quicquid enim medium eſt vitandae ſcortationis, idipſum conſervandae caſtitati conducit. Qui igitur Deus idem illud, quod tuendae caſtitatis medicinam paravit ipſe, prohibere quibusdam, pro impetrando majori caſtitatis gradu, potuit? Quid multa? vereor, ne haec ab Adverſarii mente longius diſtent. Redeat igitur ſecum ante in gratiam, quam arma ſua experiatur in aliis.

§. 23. Fruſtra opinioni ſuae ſubſidium quaerit ex verbis *JOSEPHI, antiquit. judaic. L. 3. c. 14.* (ad editionem Genevenſem Anni 1634. c. 10. fol. 95.) *Sacerdotes autem duplo caſtiores eſſe voluit. Hos enim non ſolum praedictis legibus ſicut reliquos teneri juſſit, ſed etiam non quamvis feminam in conjugalem thorum admittere, non quae corpore quaeſtum feciſſet, non ſervam aut captivam, neque cauponariam aut ſtabulariam, neque a priore marito quacunque de cauſa repudiatam. Pontifici vero ne viduam quidem permiſit, quod tamen caeteris ſacerdotibus liberum reliquit: ſed ſolum virginem ducere conceſſit, eamque ſervare.*

Nam

Nam 1. *Josephus* alia utitur argumentandi ratione, ac Noster. Nimirum ex lege manifesta peculiarem puritatis gradum colligit: cum Deus, praeter leges communes gamicas aequalem omnibus necessitatem imponentes, particulatim adhuc alias Sacerdotibus dederit; elucere hinc, quod illos duplo castiores esse voluerit. *D. Willenbergii* autem ratio longe est aliusmodi, qui, commutato prorsus ordine, concludit: a clericis requiritur castimoniae exuperantia; Ergo ad illos solos prohibitio polygamiae spectat. 2. Castitas apud *Josephum* non est virtus illa moralis praecepto sexto comprehensa; sed mundicies levitico-ceremonialis, quam clerus inter Judaeos aliam sibi propriam, aliam cum populo habebat communem. Id quod cuilibet ὀφθαλμοφανερῶς apparet. Non enim castitati Sacerdotis morali labes erat metuenda, si servam, aut captivam; nec Pontificis, si viduam duxisset; uterque tamen contra honestatem ceremonialem, ex formula legum ecclesiasticarum tenendam, egisset. Ne Antagonistae meo vocabulum latinae versionis: *castitas*, latebra sit, conferat textum graecum, in quo τὴν ἁγνείαν leget. Quae vox, praeter castitatem moralem, etiam quamcunque puritatem denotat. Verbum ἁγνεύω, teste *Hesychio*, apud *Scapulam* in lexico fol. 17. Edit. Basil. 1589. significat *purus sum & a rebus venereis & a mortuo.* De ἁγνίζω *Leighius* in *Critica S.* p. 7. observat, quod *respectum habeat ad leviticas ceremonias, quibus purificatio & sanctificatio levitica terminabatur.* Ab his ad castitatem moralem male concluditur.

§. 24. *Deinde:* falsum est, me de Paulo scripsisse, *quod ad meliorem castitatem clericum moneat, atque eapropter polygamiam velut repugnantem legibus castitatis damnet, ut Adversarius mihi tribuit.* p. 26. Posterius omnino assero: polygamiam hic loci & alibi, velut repugnantem legibus castitatis, damnari; non vero ea ex causa, quod clericus ad meliorem castitatem a Paulo moneatur. Hoc enim figmentum est *D. Willenbergii*, generale

praeceptum in particulare commutantis. Ego ex principiis non Pauli, ſed *D. Willenbergii*, *κατ' ἄνθρωπον* agens, poſitiones ejus ſe invicem deſtruere docui: *ſi clerici ideo lege monogamias devincti tenentur*, ut caſtimonia vitae, etiam in conjugio magis aedificent Eccleſiam: *polygamia repugnabit legibus caſtitatis. Juſtit. cauſae* p. 57. Poſterius negat, quia polygamiam venditat conſervatricem caſtitatis; & tamen prius nunc aſſerit, in gratiam excluſivae, quam integram, alia via, praeſtare potis non eſt. Accuſat conſequentiam meam, quia ſervari poteſt caſtimonia in polygamia, ſed major adhuc in monogamia, & adhuc major in vita coelibe. Aſt non obſtant iſta, quo minus ita ſtatuam: quicquid injungitur clericis, ut caſtimonia vitae magis Eccleſiam aedificent, ejus oppoſitum repugnat caſtimoniae. Atqui monogamia &c. Ergo monogamiae oppoſitum (quod eſt polygamia) repugnat caſtimoniae. *Majorem* confirmat natura oppoſitorum, quorum oppoſita eſt ratio. Quam apte dixerit, majorem caſtimoniam in vita caelibe, quam in monogamia, ſervari poſſe, in paragrapho ſubſequente diſputabo. Id ago tantum, ut intelligatur, ipſum diverſitate graduum caſtitatis non eluctaturum. Si enim, quod concedere cogitur, polygamia ſublimiori caſtitatis gradui obſtat, utique caſtitati repugnat. Neque cuiquam in infimis ſubſiſtere licet, ſed ſingulos omnibus contendere nervis decet, ut altiſſimum in moralibus gradum adipiſcantur. Utut enim ad faſtigium adſcendere nemini detur, omnes tamen adſpirare ad illud, ſemperque creſcere oportet. *Matth. V. 48. Coloſſ. I. 10. 11. 1. Theſſal. IV. 1.*

§. 25. Excurrit ad ſtatum caelibem, quem Paulum commendare 1. Cor. VII. 26. in rem ſuam dicit, & religioſos Theologos ad eum Eccleſiarum miniſtros tem-

tempore persecutionis magis quam ad conjugalem hortari, vid. B. Dn. Spener. in den Evangelischen Lebens-Pflichten *P. 1. p. 191. in f. vers.* Ja/ich wolte rathen/ ideo tamen statum conjugalem non esse ut statum a castimonia vitae alienum aestimandum. *Iter. praesid. j. d. c. 2. §. 18. p. 26.* Respondeo: Haec a sententia me non movent, nec Adversario opitulantur. Commendat Apostolus caelibatum non solis Ecclesiae Ministris, sed omnibus promiscue christianis, dono continentiae instructis, idque, non pro obtinendo sublimiori castitatis gradu, sed avertendis periculis & incommodis, quae conjugatos, difficili temporis, de quo Apostolus loquitur, statu, ex nimio in familiam affectu, a constantia & fervore religionis revocare facile poterant. conf. *v. 26. 28. 29.* Eadem mens est *B. D. SPENERI*, qui l. c. Ecclesiastis, non nisi sub variis conditionibus, caelibatum svadet, nimirum: si 1. sustentationi eorum tam provide cautum fuerit, ut lare familiari non indigeant; 2. si dono continentiae gaudeant; 3. si persecutiones immineant: Ja/ich wolte rathen/ daß auch manche Prediger/ welche an solchen Orten der Kirche dienen/ da sie auch ohne eigene Haußhaltung ihre Pflege haben/und ohne Anstoß der Gemeine ihr Leben in ledigem Stand führen könten/ diesen vor dem ehelichen erwehlten/ aus eben der Ursach/ welche Paulus vorhält/ und bey seinen Corinthiern treibet/ nehmlich wegen der vorstehenden Gefahr der Verfolgung ꝛc. Quae vero ratio est, quod Adversarius tacuit, *D. SPENERUM* non modo Ministros Ecclesiae, sed alios etiam quoscunque, rebus sic habentibus, ad caelibatum ibidem hortari: Bey andern aber/die von GOtt die Gnade haben/ solte es gewißlich/ sonderlich bey jetzigen betrübten Zeiten/ sehr nützlich seyn/ wo ihrer mehrere ledig blieben. Quid inde lucrabitur *Dn. D. Willenbergius?* Multum omnino ex sua opinione. Sicut enim, ita ille judicat, status

conjugalis, quia Theologi, praeeunte Paulo, ad caelibatum tempore persecutionis Ecclesiarum Ministros hortantur, ideo non erit, ut status a castimonia vitae alienus, aestimandus; ita nec ex suo asserto: Deum scilicet, Ministris Ecclesiae monogamiam praecepisse, ut castimonia vitae magis aedificent Ecclesiam; sequi: polygamiam castitati repugnare. Sed fallitur, incidens denuo in fallaciam parium non-parium. Theologi enim, ad mentem Pauli, 1. nec solis, nec 2. omnibus Verbi Ministris, sed 3. omnibus, sine discrimine status & ordinis, donum proprium habentibus; *1. Cor. VII. 7.* (proprium vero donum est, interprete *CHEMNITIO, de quo non extat promissio, quod Deus velit omnibus & singulis credentibus dare.* Exam. C. T. Part. 3. fol. m. 467. b. Edit. Fr. A. 1609.) idque 4. tempore persecutionis, & quidem, 5. non pro obtinendo majori castitatis gradu, sed declinandis tentationibus ac tribulationibus, tandem 6. non praecipiunt, sed per modum consilii commendant caelibatum. Mente igitur captus esset, quisquis hinc inferret: conjugium castitati repugnare. Ast repugnare utilitati, quam Apostolus tempore calamitoso ex caelibatu promittit, omnino inde sequitur. *D. Willenbergius* vero omnibus solisque Ecclesiae Ministris monogamiam a Deo peculiari lege ideo praeceptam esse dicit, ut reliquis, extra suum ordinem, castitate multo antecellant. Poteſtne major esse discrepantia?

§. 26. Quoad *tertium*, non sine responsione Adversarium dimittere licet. Scilicet, majorem, dicit, in coelibatu servari posse castimoniam, quam in monogamia. *Iter. praesid. c. 2. §. 18. p. 26.* Vereor vero, ne statui conjugali, quem Deus ipse ante lapsum instituit, suaque benedictione munitum sanctis ornavit legibus, macula quaedam aut dedecus saltem inuratur. Audiat Ecclesiam nostram. *Apologia A. C.* Art. XI. de conjugio Sacerdot. p. 238. *ille appetitus in integra natura futurus erat, quem vocant* στοργὴν φυσικήν. *Et haec* στοργὴ *est vere*

re

re ordinatio divina sexus ad sexum. Putasne vero ordinationem divinam nos a fastigio castitatis retrahere? p. 243. *Caelibatus non est mundities. Potest enim esse major mundities cordis in conjuge, velut in Abraham aut Jacob, quam in plerisque etiam vere continentibus.* Catechism. maj. Praec. 6. p. 456. *Ubi natura, quemadmodum a Deo nobis insita est, fertur ac rapitur: fieri nullo modo potest, ut extra matrimonium caste vivatur.* Sane, si status caelebs, ut talis, servandae majori castitati aptior esset; qui dono continentiae gaudent, eidem adstringerentur. Quod vero recte negat *D. SPENERUS*, nixus sententia Pauli. *1. Cor. VII.* Audiatur ipse: Und setze zum forderſten dieses als eine gewisse Sache aus/daß auch derjenige/so die Gabe jungfräulicher Keuschheit empfangen/ Macht habe sich derselben zu gebrauchen oder nicht zu gebrauchen/je nachdem er findet/daß der Gebrauch oder Unterlassung zu mehreren Ehren GOttes und besserern Verrichtung desjenigen/ wozu er sonst von GOtt beruffen/ dienlich sey/ wie aus dem gantzen 7. Cap. der 1. an die Corinth. erhellet. Theolog. Bedencken *P. 3. p. 88.*

§. 27. *Tandem* ad incitas redactus *Decorum* urget: Hoc velim notet D. Weickhmannus, ad castimoniam vitae ministri Ecclesiae requiri, id etiam non agere, quod indifferens per se, sed contra decorum illius. Adeoque etiam osculum alienae mulieri imprimere ex indecenti Pastoris conditione est. *p. 26.* Sed & ego velim, notet *D. Willenbergius*, se, vulneribus causae suae mederi cupientem, ipsa maxime refricuisse. Accipitur quandoque Decorum late, ut honestum etiam includat, quo sensu a *Cicerone, de officiis*, passim usurpari illud, notum est: vel stricte prout honesto contradistinguitur, notatque, quod ad venustatem morumque elegantiam pertinet, vel, quod rebus & personis subjectis convenit, (ut est apud *Halicarnasseum cap. 78.*

de collocat. verborum,) ſine tamen neceſſitate morali, unde intermiſſio ejus intrinſece turpis non eſt. Idem etiam ſenſus eſt Adverſarii, qui, quae ad Decorum ſpectant, indifferentia per ſe eſſe, recte dicit. Male vero iſta ad praeſens negotium accommodantur. Ipſe agnoſcit legem Eccleſiae miniſtris datam, ne polygami evaderent, cujus autoritas & inde pendens obligatio multum extenuantur, ſi polygamiam ad ea referas, quae contra Decorum committuntur. Eſtque longe ſuperior caſtimoniae neceſſitudo, quam, ut ex capite Decori derivetur. Foeda ſunt & turpia, quae caſtitatem laedunt, non, quae Decoro adverſantur. Amplexus alienae mulieris libidinoſus, nemini eſt permiſſus. *Prov. V. 20. Siracid. IX. 11. 12.*

§. 28. *TERTIUM*, pro firmanda excluſiva ſua exceperat: nusquam legi, Apoſtolos Judaeos chriſtiana ſacra profeſſos, inter quos tamen procul dubio multi polygami fuerint, corripuiſſe, aut iis divortium imperaſſe &c. *Praeſid. j. d.* §. *8. p. 12.* Reſpondi: 1. in rebus hiſtoricis argumenta a ſilentio petita non concludere. 2. Teſtimonia *D. ZEIDLERI*, Theologi, & JCti Hallenſis, *Dn. D. BODINI*, *ex ingenio & doctrina clariſſimi*, ipſi oppoſui. Quorum ille multo veriſimilius habet, Apoſtolos neque ex Gentiliſmo, neque ex Judaismo, quenquam polygamorum, niſi dimiſſis, quas praeter primam habuerit, uxoribus, in gremium Eccleſiae recepiſſe; hic vero, ex antiquiſſima hiſtoria eccleſiaſtica conſtare, ſcribit, polygamiam inter chriſtianos nunquam uſitatam, ſed potius, quaeſtione de ea mota, reprobatam fuiſſe. *Juſtit. cauſae* p. 57. 58.

§. 29. *Dn. D. Willenbergio*, in *iteratis praeſidiis*, lingua haeret conſtricta ſilentio, ad primam reſponſionem, quae tamen multum ponderis habet, omneque punctum fert in hiſtoricis. Sane nullius argumentum eſt pretii: hoc factum eſſe nusquam le-

legitur; Ergo nec factum est. Quid? si ego simili ratione concluderem: nusquam leguntur polygami ad sacra christianae religionis ab Apostolis admissi; Ergo nec admissi fuerunt.

§. 30. Ad testimonia *ZEIDLERI* & *BODINI* excipit: Verisimilia, quae ab Adversario meo in §. 13. p. 57. ex citatis autoribus proferuntur, non sunt argumenta probantia, quae ego in contrarium posco, quod Apostoli polygamos inter Judaeos christiana sacra professos non corripuerint, aut iis divortium imperaverint. Imo si legatur Zeidlerus p. 171. ex ejus verbis: *sed & demus tolerasse Apostolos polygamos ex Judaeis & gentibus conversos, atque ad minimum invitas uxores ut dimitterent, non coëgisse, &c.* usque ad finem d. paginae, constat, ipsum nihil certi definivisse. *Iter. praesid. c. 2. §. 18. p. 27.*

§. 31. Respondeo: 1. Doleo, Adversarium meum tot convictionibus & precibus meis commoveri non potuisse, ut sophisticationibus se abstineret. Impugnat thesin meam. Argumentatur contra me. Accuso Minorem ejus, quam probare tenetur. Probationes aggreditur, quas a me repudiatas firmaturus clamat: ego in contrarium posco argumenta probantia. Totum hoc ex fontibus fallaciarum defluxit. Ego vero officio meo satisfeci, neque ad probandum, ulla juris specie, adigi possum. 2. Dicat quaeso, quaenam alia argumenta, in rebus facti, quam testimonia Autorum produci debeant? 3. *Dn. D. BODINUS* non verisimilia narrat, sed ad antiquissimam historiam ecclesiasticam provocat, ex qua constet, *nunquam* inter christianos polygamiam usitatam, sed potius reprobatam fuisse. *In disput. de restringenda libertate matrimonii ineundi th. 5. p. 13.* Fallit me animus; aut testimonium illud saltem non minoris fi-

dei

dei ac autoritatis erit, ac *D. Willenbergii* aſſertum in propria cauſa. 4. Falſum eſt, *D. ZEIDLERUM* nihil certi determinaſſe. Agit contra illos, qui non veriſimile eſſe putant, Apoſtolos polygamos Eccleſia arcuiſſe. Quibus, praemiſſa erudita obſervatione: multa veriſimilia eſſe, nec tamen vera, neque de veriſimili, ſed de vero ſermonem nunc eſſe; deinde ſuum *multo veriſimilius* opponit. *p. 169. 170.* Quod vero *p. 171.* addit: *demus tolerasse Apoſtolos polygamos ex Judaeis & gentibus converſos &c.* non deſtruit prius aſſerta, ſed indicat tantum: ne ſic quidem permiſſionem polygamias ſtabiliri; ſed illam, ſi in quibusdam ad tempus tolerata fuit, *progreſſu temporum prorſus abolitam atque ex Eccleſia proſcriptam fuiſſe, id quod etiam circumciſioni & ſabbatho judaico contigit.* Eſt diſputatio κατ' ἄνθρωπον, qua Adverſario nihil conceditur, ſed ſolum infirmitas medii, quo ille uſus eſt, ad oculum demonſtratur. Ideo in conjunctivo loquitur: *demus;* non *damus.*

§. 32. In fine capitis obſervaveram, *Johannem Leidenſem* jam olim ex hoc loco pro polygamia argumentatum fuiſſe. *Juſt. cauſae* p. 58. Excipit ille: Caeterum an Johannes Leidenſis, ut *noſter* allegat §. 14. p. 58. an alius textum noſtrum de ſolis Epiſcopis, quod monogami eſſe debeant, interpretatus ſit, veritati nihil detrahit. Satis eſt, quod hunc & non alium ſenſum regulae hermeneuticae ſuppeditent. *Iter. praeſid. p. 27.* Reſpondeo: 1. Habent iſta, ſi non alium, hunc profecto uſum, ut Lectoribus innoteſcat, Eccleſiam chriſtianam, temporibus jam praeterlapſis, armis iisdem infeſtatam fuiſſe. 2. Neſcio, qua fronte gloriari auſus fuerit, ſenſum, a ſe textui illatum, regulas hermeneuticas ſuppeditaſſe. Oſtendat, ſi jactationi ſuae fidem vult exiſtere: quaenam regulae hermeneuticae: excluſivam inſerere; quaenam: textum dilacerare, & unum commatis ſecundi

di membrum cum hemistichio quinti, praeteritis imo exclusis intermediis, conjungere; quaenam: ab uno particulari ad aliud argumentari, ipsum docuerint? O parcat ipsi benignissimum Numen, & non recordetur horum in tremenda mortis hora!

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT III.

Vindicatio Genes. I. 27.

§. 1. *D. VVillenbergius in examine argumentorum contra polygamiam initium facit a Genes. I. 27.*

§. 2. *Et in* iteratis praesidiis *tum responsa priora tuetur, tum novis insurgit. Autor singula seorsim examinaturus I. inquirit in prius responsa. Ideoque*

§. 3. *repetit (a) argumentum suum ex* vindiciis. *Sequitur*

§. 4. *PRIMA D. VVillenbergii responsio in* praesidiis j. d. *data, cum exceptione Autoris in* justit. causae.

§. 5. *Quid D. VVillenbergius responderit in* iteratis praesidiis?

§. 6. *Excipit Autor.*

§. 7. *SECUNDA D. VVillenbergii responsio in* praesidiis j. d. *cum exceptione Autoris; ad quam*

§. 8. *D. VVillenbergius, ex parte, respondet in* iteratis praesidiis, *infra confutandus.*

§. 9. *(b) exceptionem suam, responsioni D. VVillenbergii, in* Schediasmate *datae, oppositam.*

§. 10. *PRIMA D. VVillenbergii responsio in* praesidiis j. d.

§. 11. *Quid Autor in* justit. causae *exceperit?*

§. 12. *Inseritur responsio D. VVillenbergii ad Matth. XII. 3. 4. in* praesidiis, *cum exceptione Autoris, cui*

§. 13. *D. VVillenbergius respondit in* iteratis praesidiis.

§. 14. *Excipit Autor (1) Adversarium nunc concedere, quod olim negavit;*

§. 15. *(2) plura de loco Matth. XII. 3. 4. largiri, quam opus est;*

§. 16. *(3) frustra gloriari, satisfactum sibi non esse, qua Joh. II.;*

§. 17. (4) ἀσυλλογίστως Majorem *argumenti rejicere, quia* Minor *displicet;*

§. 18. *(5) falsa ipsi affingere.*

§. 19. *SECUNDA responsio D. VVillen-*

lenbergi in praesidiis, *cum exceptione Autoris in* justit. caus.

§. 20. *Duplex D. VVillenbergii, in* iteratis praesidiis, *responsio.*

§. 21. *Excipit Autor ad primam;*

§. 22. *ad secundam.*

§. 23. *TERTIA responsio D. VVillenbergii in* praesidiis j. d.

§. 24. *PRIMA exceptio Autoris in* justit. caus.; *ad quam D. VVillenbergius in* iteratis praesidiis *respondit* NIHIL.

§. 25. *SECUNDA exceptio Autoris in* justit. causae;

§. 26. *ad quam respondit D. Willenbergius in* iteratis praesid.

§. 27. *Excipit Autor.*

§. 28. *Repetitur ex* justitia causae, *quomodo D. VVillenbergius se ipsum h. l. redarguerit.*

§. 29. *Responsio Willenbergiana in* iteratis praesidiis.

§. 30. *Excipit Autor.*

§. 31. *QUARTA responsio D. VVillenbergii in* praesid. j. d. *cum exceptione Autoris in* justit. c.

§. 32. *Responsio D. VVillenbergii in* iterat. praesid. *cum exceptione Autoris.*

§. 33. *II. digreditur Autor ad responsa D. VVillenbergii recentissime data; quorum*

§. 34. *PRIMUM est: Adamum ideo monogamum extitisse, quia Deus ex uno pari universum genus humanum prodire voluerit. Act. XVII. 26.*

§. 35. *Excipit Autor* tum *in genere: D. VVillenbergium in* praesidiis *aliter sensisse;* tum

§. 36. *in specie, formato ex mente Adversarii syllogismo, 1. negando* Majorem;

§. 37. *2. negando* Minorem, *in qua pro uno sanguine, substituit: uno pari.*

§. 38. *SECUNDUM est: Gen. I. 27. non agi de institutione matrimonii.*

§. 39. *Autor syllogismum inde format, atque*

§. 40. *excipit, respondendo 1. ad* Majorem, *quae falsissima.*

§. 41. *2. ad* Minorem, *quae etiam negatur.*

§. 42. *3. ad* rationes, *quibus D. Willenbergius pro Minore pugnat.*

§. 43. *Probat Autor testimonio Ecclesiae, Gen. I. 27. 28. institutum esse matrimonium.*

§. 44. *Vindicatur* Johannes Meyerus, *quem D. VVillenbergius testem suae opinionis, invita veritate, produxit, atque probatur, eundem Autoris sententiam amplecti, &*

§. 45. *negare duntaxat, in solo capite primo integram matrimonii institutionem contineri.*

§. 46. *TERTIUM est: distinguendum esse inter conjugium & polygamiam.*

§. 47.

§. 47. *Autor, evoluta D. Willenbergii mente, excipit, eundem distinctione ista*
§. 48. *1. prius asserta destruere, sibique ipsi contradicere;*
§. 49. *2. principium petere;*
§. 50. *3. in primam matrimonii institutionem impingere;*
§. 51. *4. in absurda prolabi.*
§. 52. *Vindicatur locus Mal. II. 14. 15.*

§. 1.

OBsignatis nunc fontibus, ex quibus argumenta sua polygamica derivaverat *Dn. D. Willenbergius*, ad vindicandum rationes progredior, quibus orbis Christianus, per tot secula, polygamiam fortiter impugnavit. Quo in negotio, vestigia Adversarii mei potissimum subsecutus, nec aliis argumentis, nec alio ordine, ac is ipse in Schediasmate suo praeivit, pro thesi mea, quam universa Ecclesia mecum profitetur, militavi. Primus, quem ad mentem Virorum doctorum, concitato adversus eos bello, in *Schediasmate* §. *4.* sibi ipsi objecit, locus ex *Gen. I. 27.* depromtus est, de quo l. c. ita differentem audimus: Argumentum in contrarium, a prima institutione petitum, quod Deus non nisi unum masculum & unam foeminam creaverit, & eos inter se junxerit, Gen. I. 27. nihil sanctionis continet, sed totus textus historiam creationis refert, quod Deus par hominum creaverit, & ex eo universum genus humanum prodire voluerit v. 28. d. c.

§. 2. In *iteratis* suis *praesidiis* de hoc loco a *pag. 27. usque ad 35.* paragraphis nimirum *19 - 26.* & quidem dupliciter ac bipartito agit. *Primum* enim priora sua responsa, vel saltem quaedam ex illis, partim repetit, partim defendere molitur; *deinde* novis responsionibus causae suae medelam parat. Quae etsi non distincte, ut par erat, sed inaequabili distrahendisque lectorum animis satis apta mixtura protulerit; ego tamen con-

fundi me iisdem non patiar, sed singulis ad classes suas, quorsum pertinent, redactis, *primum*, quae ad priora ejus responsa spectant, *deinde* quae noviter passim insita leguntur, modesto examini subjiciam.

§. 3. Orsurus igitur ab illis, quae in gratiam responsionum suarum, tum in *Schediasmate*, tum in ipsis *Praesidiis* datarum, denuo meditatus est, non possum non, pro vindicando hoc ipso loco, *Gen. I. 27.* a me scripta, brevi repetere. Ego nimirum methodo scholastica, veritati & indagandae & demonstrandae apprime commoda, usus, ita sum argumentatus: *Quot personas utriusque sexus Deus, Autor societatis conjugalis, ad primum matrimonium ordinavit, tot, & non plures, ad hanc societatem ex voluntate Dei pertinent. Atqui duas personas utriusque sexus &c. Ergo, duae & non plures &c. Majorem* probavi 1. quia primum matrimonium idea est hujus societatis, ex voluntate Dei formandae, usque ad finem mundi; 2. quia pro obtinendo fine matrimonii, a Deo intento, nempe multiplicatione hominum, major necessitas polygamiae nunquam fuit, quam tempore creationis; 3. quia ipse Deus, unam uxorem Adamo jungendo, testabatur, se bonum humani generis procurare; 4. quia idem Deus facile plures uxores creare potuisset, & creasset, nisi decretum voluntatis obstitisset. Hinc pro confirmanda *Majore* argumentabar: *Quicquid in primo matrimonio fini ejus, divinitus intento, maxime conforme erat, & a Deo etiam praestari poterat, neque tamen ab eo praestitum est, illud ipsum voluntati Dei in hoc statu repugnat. Atqui, plures uxores, in societate conjugali, uni marito jungi, in primo matrimonio fini ejus, divinitus intento, maxime conforme erat, & a Deo etiam praestari poterat, neque tamen ab eo praestitum est; Ergo, plures uxores, in societate conjugali, uni marito jungi, voluntati Dei in hoc statu repugnat.* Conf. *vindicias p. 13.* & *justitiam causae p. 61. 62.* Postmodum etiam ad responsionem Willenbergiani Schediasmatis excepi

in

in *vindiciis, p. 14.* & *justitia causae, p. 72. seqq.* Verum haec dilationem nunc patiantur, usque dum, ponderatis illis, quae argumentum meum feriunt, ordo me eo deduxerit.

§. 4. Adversarius meus neutram praemissarum in argumento meo accusavit, ne, quod dolor ipsi est & Pedantismus, formaliter disputasse videretur, responsa tamen dare ausus est, lectoris arbitrio relinquens, quorsum illa trahere vellet. *Primum* respondit: Deum ordinasse eo tempore duos homines ad matrimonium, pro statu & conditione illius temporis, quo non amplius, quam unum par hominum in orbe erat. *præsid. j. d. §. 12. p. 16.* *Excepi* ego: Si factum Dei ex statu & conditione illius temporis metiendum, ipsum nullam Adamo sociam daturum fuisse: quia nulla existebat. Quam vero viro jungebat, ipse prius ex costa ejus formaverat, plures formaturus, si dare plures voluisset.

§. 5. Ad haec *iterata praesid. j. d. c. 2. §. 19. p. 27. §. 20. p. 28.* sequentia dederunt: Deum Adamo unam sociam assignasse, quia voluit ab uno pari, velut ex una stirpe, prodire universum genus humanum, Actor. XVII. 26. non vero quod tantum unam foeminam jusserit viro in omni matrimonio jungere. (jungi) Hinc jure potuisse scribi: Deum ordinasse eo tempore duos homines ad matrimonium, pro statu & conditione illius temporis, quo non amplius, quam unum par, in orbe esset.

§. 6. *Excipio*: De loco *Act. XVII. 26.* copiosius agam §. 35. *seqq.* quia nova prorsus est responsio, peculiari examine digna. Verum, utut omnia ista tantisper ipsi concessero, non tamen his tue-

tuebitur responsionem, in *praesidiis p.16.* datam: Deum ideo duos tantum junxisse, quia non amplius, quam unum par in orbe erat. Quia enim mihi, ex facto Dei voluntatem ejus investiganti, hoc ipsum reposuit, palam est, ipsum rationem denegatae Adamo polygamias in defectu plurium, praeter Evam, uxorum, non vero in voluntate Dei quaesivisse. Disceptabamus de mente Dei: num primaevo humani stemmatis Parenti non nisi unam tori sociam ideo dederit, ut voluntatem suam, de numero personarum, in societate nuptiali servando, hominibus declararet? Affirmabam ego. Negabat D. Willenbergius, pro negativa sua, rationes meas explosurus, scribendo: id ideo factum, quia non plures uxores in orbe erant. Vix credo, quenquam lectorum violentam istam interpretationem, qua nunc expedire se allaborat, ex verbis ejus conjectura consecuturum esse: Deum scilicet non voluisse plures producere, quia ab uno pari prodire universum genus humanum voluerit. Quo de in *praesidiis* ejus altum est silentium. Multum oppido duo ista differunt: Deum unam tantum uxorem Adamo concessisse, *quia non plures aderant*; &, *quia non plures volebat producere.* O! quam tortuosa haec est explicatio. Sed tali invento opus erat ad salvandum, quae incondite scripta fuerant. Nisi gloriae suae, quam veritatis, cupidior esset, fateretur, talia sibi non satis pensitanti excidisse. Ego vero asserta ejus, cujusmodi apparebant, intuens, non potui non monere: si fas est, Deum statui & conditioni illius temporis alligare, nullam prorsus ipsum Adamo conjugem assignaturum fuisse. Nam existebat nulla. Quapropter Mosen scripsisse: *Deum homini non invenisse auxilium pro eo, Gen. II. 20.* Quam autem societate & foedere cum viro junxerit, eam, dormiente illo, manibus suis formasse. Qui unam

nam illam ex costa Adami praeparaverit, plures eundem praeparare potuisse, viribus satis ad id instructum. *justit. caus. p. 62.*

§. 7. *Deinde* responderat Antagonista in *praesidiis p. 16.* negando, primum matrimonium legem & regulam dare, ut, quamdiu orbis esset, semper inter duos matrimonium fieret: quia alio tempore & post multiplicatos homines Scriptura Sacra Abrahami, Davidis, & aliorum matrimonia cum pluribus uxoribus dignatur matrimonii nomine, quae si ad primum exemplum matrimonii exigenda fuissent, omnia contra Dei ordinationem inita fuissent. Ego *excipiendo* probavi, primum matrimonium, quoad essentialia, regulam esse omnium aliorum, quia 1. Deus, primum par socians, autor erat hujus status, quem in creatione fundabat; 2. Adamus Pater erat generis humani; 3. Status matrimonialis a posteris Adami iterari & perpetuari debebat, non ex beneplacito suo, sed praescripto Dei. Esse vero normam, qua numerum personarum, probavi: 1. quia personae ad essentiam matrimonii pertinent, cum materia sint ejusdem; 2. quia Deus finem suum, nempe multiplicationem hominum, multo citius per plures uxores consecutus fuisset; 3. quia eundem numerum etiam post diluvium retinuit. *justit. caus. p. 65.* Ad rationem ejus: polygamiam Patriarcharum &c. nomine matrimonii ab ipso Deo cohonestari; observavi, perperam hinc pro Adversarii sententia concludi: siquidem Tyranni etiam & Pseudo-Prophetae a Deo, facta eorum improbante, nomine Regum & Prophetarum insigniantur. Quid? quod & novis conjugiis, repudiata praeter justam causam priore conjuge, initis, matrimonii nominatio non denegetur. Arbitrabatur *D. Willenbergius*, divinam

nam sapientiam sibi contrariam fore, si, instituta prius monogamia, facta tamen polygamica approbasset. *praesid. p. 17.* Quod tamen minime metuendum esse, docui, quia leges positivae sint dispensabiles. Quas si abrogare prorsus, sine mutationis suspicione, Deus queat, quidni & circa illas dispensare? *justit. caus. p. 69.*

§. 8. Haec tantam difficultatem in hoc negotio Consultissimo *Dn. D. Willenbergio* attulerunt, ut pro infringenda illa nihil repererit consilii, nisi quod, vi veritatis ad incitas redactum se sentiens, in *iteratis praesidiis c. 2. §. 24. p. 32.* praevia distinctione inter *conjugium* & *polygamiam*, tandem concedat, primum illud matrimonium, etiam qua numerum personarum, ideam dare aliis matrimoniis contrahendis, non vero polygamiae. Quam distinctionem ad veritatis rationem dirigam, ubi novae ejus responsiones ponderandae mihi venient. Conf. §. *46. seqq.*

§. 9. Responderat Adversarius ad hunc ipsum Geneseos locum in *Schediasmate* §. *4.* nihil sanctionis illum continere, sed totum textum historiam creationis referre, quod Deus par hominum creaverit, & ex eo universum genus humanum prodire voluerit. Quae excipiendo ita discussi, ut ostenderim, *cum*, ex textu historico argumenta moralitatis jure quandoque peti, quia 1. ille sanctionem legalem virtualiter continere queat; 2. Christus ipse ex historicis textibus argumentatus saepe fuerit, *Matth. XII. 3. 4.*; *tum*, hoc loco idem merito fieri: 1. quia res relata sit factum Dei occupatum circa statum hominum ab illis, pro obtinendo bono suo, conservandum; 2. quia Christus ex hoc ipso oraculo quaestiones matrimoniales deciderit. Vid. *vindic. nostras* §. *6. p. 14.*

§. 10. Haec ego. Quid noster? Respondit *primum*, assertionem meam de argumentis, ex textu histo-

rico

rico petendis, frigidam esse. Quod per instantiam confirmare tentavit: Historia proposita est apud Joh. II. 1. seq. de nuptiis Cananaeis, in quibus Promus condus post acceptum vinum, gnarus, (ignarus) unde venerat, ibat ad sponsum, non ad vini datorem, qui Christus erat; Ergone in his virtualiter lex data est, accepta beneficia prius homini, deinde Deo referre? *praesid. j. d. §. 13. p. 17.*

§. 11. *Excepi*, me non docuisse, omnem historicum textum continere leges divinas, minime, qui errores hominum recenseant; sed non repugnare, leges in historiis comprehendi. Idque satis esse enervandae responsioni ejus: Est textus historicus; ergo nihil sanctionis continet. *justit. causae p. 74.* Desideranti autem ex hoc loco monitum morale, aliud suggessi: homines, ad exemplum Architriclini, rebus non recte cognitis, ex praejudicio agentes facile impingere ac labi: ideoque nihil praecipitanter agendum esse.

§. 12. Inserenda hic veniunt, quae de loco *Matth. XII. 3. 4.* acta inter nos sunt. Suffragari, scripseram in *vindiciis p. 14.*, methodo meae, ipsum Christum, ex textu historico factum Davidis complectente, adversus Pharisaeos argumentantem, *Matth. XII.*; Ergo non culpandos esse, qui ex textu facta Dei referente argumenta petierint. Responderat: inconsiderate hoc a me adduci, quia Pharisaei cognoverint, factum Davidis in Scriptura S. reconditum esse. *praesid. p. 19.* Quam ego responsionem sequentibus elisi. 1. Quaeri nunc de methodo ex textu historico quaestiones morales decidendi, quam Christus hoc ipso exemplo approbaverit. Idcirco non inconsiderate, sed apprime in rem meam adductum illud a me fuisse. 2. Inter Christum & Pharisaeos quaestionem intercessisse de

facto non Davidis, sed discipulorum a Christo contra Pharisaeos, ex paritate facti Davidici, defenso. 3. Sicuti Davidis factum in Scriptura S. reconditum erat, ita etiam factum Dei in loco Geneseos reconditum esse. *justitia causae p. 83.*

§. 13. Quisquis ista citra praejudicium & animum fascinatum legerit, multum momenti ad rem nostram conferre, sentiet. *D. Willenbergius* autem cupiditati suae cedens tenebras luci offundere non cessat. Convellere enim nostra in *iteratis praesidiis c. 2. §. 22. p. 30.* conatus, ita scribit: quando in genere quaeritur: annon in factis divinis lateat lex Dei? affirmanda est quaestio, & effato Christi illustratur, ideo conjugia non esse solvenda tradentis, quia Deus conjunxit homines; pertinetque huc exemplum ex Matth. XII. 3. 4. de quo *Adversarius* §. 12. & 20. *h. c.* Sed de nota adhuc dubium, ex qua certo constet, factum tale esse, quod sanctionem in se contineat. Nam ipse *Dn. Antagonista*, cum objecto a me sibi exemplo de nuptiis Cananaeis, *in praesid.* §. 13. satisfacere non posset, fatetur, non omnem textum historicum legem divinam continere, §. 14. *d. c.* 1. Flaccida ejus est observatio: *legem adesse, quoties factum Dei refertur, quo hominibus documentum statuere voluit, ex quo, quod imitentur, capere debeant.* Nam petit principium, an relatum factum tale sit, quod imitationem proponat. Certum est quoque, multa ad imitationem & pro lege assumi, intuitu circumstantiarum, ad finem negotii non pertinentium, in quibus

bus omnibus tamen minime normam contineri, solide docet Dn. Thomasius *in Cautelis circa Praecogn. Jurispr. Eccles. c. 5. §. 13.*

§. 14. O quanta rerum confusio! *Excipio primum:* Si, quod nunc largitur, in factis divinis Lex Dei latet, cur duo ista in *Schediasmate* §. 4. ita sibi invicem opposuit, ut a positione unius ad destructionem alterius concluserit: refertur in textu historia creationis; Ergo nihil sanctionis ille continet? Quae machina tota nunc ruit. Sentiet igitur ex concessis, se sibimet contradicere, Ecclesiam vero vitiosae argumentationis injuste arguisse, quod ex textu historiam referente sanctiones legales derivaverit.

§. 15. *Deinde*, ad exemplum Christi *Matth. XII. 3. 4.* quod attinet, plura concedit, atque unquam postulavi, ipsique textui respondent. Pertinere, nimirum scribit, illud ad ea facta divina, in quibus lateat lex Dei. Quo ipso majore, quam opus est, documento lectoribus manifestum reddit, se nec textum Codicis sacri, nec mea evolvisse. Non enim de facto divino, sed humano, quod Davidis erat, *Matth. XII. 3. 4.* agitur. Id quod rebus meis multum conducit. Si enim Christus ex textu factum humanum recensente pro decidendo casu morali argumentatus est, cur non ex textu factum Dei continente argumenta petere Ecclesiae liceat?

§. 16. *Porro* spongiam meretur, quod jactitat, me exemplo suo ex Joh. II. satisfacere non potuisse, quia fassus fuerim, non omnem historicum textum legem divinam continere. Eo ipso enim exacte satisfeci. Confundit oppositionem contrariam cum contradictoria. *Illa* postulat duas enunciationes universales, quarum altera affirmans est, altera negans. Verbi gratia: *Omnis textus historicus*

 con-

continet leges divinas; Nullus textus historicus continet leges divinas. *Haec* aut duas singulares, aut universalem & particularem, ratione qualitatis pugnantes, deposcit. Cum igitur in responsione ejus: textus nihil sanctionis continet, sed historiam creationis refert, lateat universalis negativa: *Nullus textus historicus sanctionem continet;* non potui ego fortius ipsi contradicere, quam per particularem affirmativam: *quidam textus historicus sanctionem continet.* Has leges stricte, prout par erat, in *vindiciis* tenui, atque in *justitia causae p. 74.* defendi. Ille vero, dissimulatis his, insolenter mihi insultat: non potuisse me sibi satisfacere, quia scripserim: *non omnem textum historicum legem divinam continere.* Si contrariam dedissem: *omnis textus historicus leges divinas continet;* falsum opposuissem falso. Nam in contrariis, si materia fuerit contingens, utraque potest esse falsa; verbi gratia: *omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus.* Ea superbo meo Adversario sordent quidem olentque pedantismum; sed in foro polemico, sine eorum ope, feliciter versari & ad metam pertingere, simpliciter est ἀδύνατον. Disceptamus, ut veritatem investigemus, non mundum fallamus.

§. 17. *Praeterea* a via aberrat & deflectit incaute, cum de nota agens, ex qua certo constet, factum tale esse, quod sanctionem contineat, flaccidam, scribit, meam esse observationem: *legem adesse, quoties factum Dei referatur, quo hominibus documentum statuere voluerit, ex quo, quod imitentur, capere debeant:* nam principium me petere, an relatum factum tale sit, quod imitationem proponat. Hic *Majorem* meam flaccidam appellat. Cur? quia *Minorem* nondum probatam a me esse arbitratur. O non modo *flaccidam*, sed *aridam* prorsus responsionem!

Red-

Reddam id ipsa meridiana luce clarius, redacto argumento meo in numeros suos: *Quicunque textus historicus factum Dei refert, quo hominibus documentum statuere voluit, ex quo, quod imitentur, capere debeant, ille sanctionem legalem continet. Atqui hic textus historicus, Gen. I. 27. factum Dei refert, quo hominibus documentum statuere voluit, ex quo, quod imitentur, capere debeant; Ergo hic textus historicus Gen. I. 27. sanctionem legalem continet.* Respondet *D. Willenbergius*, *Majorem* flaccidam esse; quae tamen fidem meretur, quamprimum auditur. Nam quando Superior inferioribus documentum statuit, ex quo intelligere debent, quod imitentur, voluntatem suam de officio eorum manifestat. Quae manifestatio faciendi obligationem infert. Lex enim est voluntas Superioris manifestata. Aut fallunt me omnia, aut luculentius certiusque κϱιτήϱιον latentis in facto divino legis dari vix poterit. Quid multis? Si *Major* mea falsa est, vera erit ejus contradictoria, quae sine impietate non admittetur. Videri tamen vult cum ratione negasse. Pergit enim: nam principium petit, an relatum factum tale sit, quod imitationem proponat. Verum, *Excellentissime Domine Doctor*, nonne factum relatum ad *Minorem* pertinet, quae hoc loco id ipsum factum, de quo controversia agitur, subsumit, eidemque Subjectum *Majoris* applicat? Cur igitur his technis uteris? Ratio reddenda est Deo de omni verbo otioso. Tuus disputandi modus est otiosus, & ad imponendum incautis, quantus quantus est, compositus. Pene pertaesum est sophisticationum tuarum, quae plausus cient apud vulgus eruditorum; meliorum vero animos vehementer offendunt. Quia dubitas, quin relatum factum tale sit, quod imitationem proponat, ad *Minorem* nunc descendam, in cujus examine non meliorem te, sed prorsus eundem reperio.

§. 18. *Tandem* enim ad ultima tua: me principium

petere, an relatum factum tale sit, quod imitationem proponat. Certum esse quoque, multa ad imitationem & pro lege assumi intuitu circumstantiarum ad finem negotii non pertinentium, in quibus omnibus tamen minime normam contineri, solide docuerit Dominus Thomasius, *excipio*, 1. te haec incogitanter scripsisse, affingendo mihi, quod probatum non dabis. Nam αὐτοψία curarum nostrarum docebit, tantum abesse, ut ex circumstantiis accidentalibus argumentatus fuerim, ut etiam peculiarem, ex mente tua, ipse mihi quaestionem formaverim: *Unde constat, primum matrimonium, in numero personarum, normam ac regulam esse reliquorum matrimoniorum?* Ad quam tribus argumentis respondi in *justitia causae p. 65.* Confer supra §. 7. Tu, neglectis illis, sola accusatione *Majoris*, ob vitium *Minoris* putatitium, triumphum canis. 2. Oportet ista nimis cito evulsa fuisse ex memoria tua, quia paulo post §. *24. p. 32.* concedis, factum Dei, a Mose relatum, ad imitationem proponi: quando urget, ex ordinatione divina unius uxoris ad Adamum, sequi in societate conjugali nonnisi duas personas esse debere, quoniam primum illud matrimonium ideam dat aliis matrimoniis contrahendis, non repugno, sed illud plane concedo, & adeo verum esse sentio, ut statuam, pugnare contra naturam societatis conjugalis, si vir uno conjugio plures sibi jungat uxores. Quod quidem, salva hypothesi tua, de polygamia licita, concedi posse, existimas, qui inter conjugium & polygamiam distinguis; causae tamen meae multum utilitatis inde redit. Nisi enim in facto isto Dei sanctio legalis lateret, nec tibi

inte-

integrum foret hinc concludere, contra naturam societatis conjugalis esse, si vir uno conjugio plures sibi jungat uxores. Quod dum facis, testis innocentiae meae evadis ipse, me sine culpa gravius a te reprehensum fuisse, quod in facto isto Dei sanctionem aliquam legalem adesse docuerim. Te ipsum vero coarguis, olim scribentem: nihil sanctionis hic continetur.

§. 19. *Secundo* Adversarius meus responderat: ut textus historicus virtualiter legem contineat, debere id virtualiter inclusum esse in natura expressi. Materiam vero matrimonialem alienam esse ab opere creationis, *praesid. p. 18.* *Excepi* ad ista: 1. explicando terminos: *virtualiter* & *formaliter*. *Formaliter* legem adesse, quando conceptis verbis exprimatur: *virtualiter*, quando illa tantum in facto, historice relato, lateat. 2. probando, tale factum hic occurrere, quia referatur (1) factum Dei, producentis (2) homines, destinatos statui matrimoniali; (3) non pro his tantum, sed posteris quoque ordinando; quos etiam (4) insecuta benedictio attigerit. Hinc argumentabar: Quocunque facto Deus intentionem suam manifestavit de hominibus, primo connubio a se jungendis, in gratiam & exemplum posterorum, quibus etiam in primis istis benedixit; illud factum legem continet de personis, quot & quaenam statum connubialem inire debeant. Atqui hoc facto, quo Deus unum masculum & unam feminam, non plures creavit, idem ille intentionem suam manifestavit &c. Ergo hoc factum legem continet &c. *Minorem* probavi, quia Moses non nude refert, Deum duos homines condidisse, sed addit quoque tum finem intentum: ut multiplicarentur; tum benedictionem, qua toro illos consecrare, eumque fortunare dignatus est. *Major*, etsi veritas ejus vel ex terminis patescat, probata tamen fuit: quia ad quos benedictio primaeva spectat, ad finem seculi usque

se

ſe extendens, illi etiam numero perſonarum, quibus Deus benedixit, tenentur. 3. probando, materiam matrimonialem non eſſe alienam ab opere creationis, quia homines, matrimonio ſociandi, creabantur, eodemque tempore jungebantur. *juſtitia cauſae p. 75. 76.*

§. 20. Exſpectaſſes mecum, benevole Lector, *Dn. D. Willenbergium* ad haec argumenta formaliter reſponſurum, &, quid in utraque vel alterutra praemiſſarum deſideret, indicaturum fuiſſe; ſed ſpes noſtra concidit, nec eſt, quod a Conſultisſimo Viro eam nobis gratiam promittamus. Ad rationes tamen in *iteratis praeſidiis c. 2. §. 21. p. 29.* ita commentatur: Contrarium arridet *D. Weickhmanno* §. 16. *&* 22. *p.* 75. *ſeqq.* ſtatuenti: agi in noſtro textu de hominibus creatis, qui deſtinati erant ſtatui matrimoniali, & non nude agi de illis; ſed cum benedictione: *fructus facite, & multiplicamini & implete terram v.* 28. quin ipſum Chriſtum *Matth. XIX.* 4. ad hoc caput provocare, & caſus matrimoniales exinde decidere. Verum quod primam rationem attinet, ea valde claudicat. Si enim homines illi creati deſtinati ſcribuntur ſtatui matrimoniali, ſtatus hic nondum illis tributus fuit, ſed adhuc tribuendus erat, conſequenter in illo loco nec introducti ſtatus matrimonialis argumentum reperitur. Poſteriores duae rationes ex Lyſero ſunt petitae, quem *noſter* preſſo pede ſequitur.

§. 21. *Excipio* ad primam reſponſionem. Quia Nobilisſimus Antagoniſta per conſequentias reſpondet, termino *conſequenter* uſus, non probro dabit mihi, ſi pondus conſequentiae ſyl-

syllogistice exploravero. In quocunque Scripturae Sacrae loco homines statui matrimoniali destinari dicuntur, in illo introducti status matrimonialis argumentum non reperitur. Atqui in hoc Scripturae Sacrae loco homines destinari &c. Ergo in hoc loco introducti &c. *Respondeo:* 1. Phrasis ejus: *argumentum introducti status matrimonialis in loco Scripturae reperiri*, est obscurior atque explicationis indiga. Quodsi idem significet, ac, ex tali loco legem petere obligantem omnes, quotquot statum illum ingressuri aliquando sunt; concedo, me ex hoc loco argumentum status matrimonialis introducti petiisse. Quo pacto vero fallet *Major* Dn. Doctoris. Non pugnant haec inter se. Quid? plurima ejus rei e Sacro Codice exempla depromi possunt. Cum populus judaicus Regem adhuc ignoraret, ipso Deo partes ejus agente, unde etiam formam illius regiminis theocratiam appellare solemus, tamen de statu regio hominibusque ipsi destinandis ita agit Moses, ut leges, & a populo in electione Regis, & ab ipso Rege in administratione regiminis sancte observandas, praescripserit. *Deut. XVII. 14. seqq.* Si igitur ille de statu Regum, post elapsa demum tria secula, & quod excurrit, existentium, ita locutus est, ut ibidem argumenta status introducti reperiantur, h. e. leges extent, in statu isto observandae; falsum est, in illo Scripturae Sacrae loco, ubi homines statui matrimoniali destinari dicuntur, non reperiri posse argumentum introducti status matrimonialis. 2. Fide non bona mecum agit Adversarius, quia mutilat arcte cohaerentia. Non argumentatus sum: Describuntur *Gen. I. 27.* homines, statui matrimoniali destinati; Ergo introducti status matrimonialis argumentum ibidem reperitur; sed conjunctis quatuor momentis syllogistice probavi, in facto divino, a Mose historice descripto, legem matrimonialem latere. Ille vero nec syllogismi meminit,

nit, nec formaliter ad illum respondet, sed, rationibus dilaceratis, unam ex illis sophistice vellicat, ut notam argumentationis claudicantis impingere mihi queat.

§. 22. Ad ultima posteriora membra: *statum* scilicet *matrimonialem non solum Protoplastis; sed & posteris eorum paratum a Deo fuisse, ad quos etiam insecuta benedictio pertinuerit:* quibus & illud ex *p. 77. & 84. justit. causae* addit, *quod Christus ipse ex hoc loco casus matrimoniales deciderit, Matth. XIX. 4.* nihil aliud respondet, quam, ex *Lysero* petita haec esse: posteriores duae rationes ex Lysero sunt petitae, quem *noster* presso pede sequitur. Estne vero hoc responsum rationibus satisfaciens? Possunt illa in Lysero extare; me vero ex ipso petiisse, falsissimum est. Credant hoc, qui deliramentis delectantur. Conficta ejus harmonia Lysero-Weickhmanniana apud rerum peritos risum movebit. Qua de in *Parte posteriore* plura. Ego, ipsum & qua thesin: *polygamiam jure divino licitam esse;* & qua argumenta, cum *Ochino* & *Lysero* conspirare, probavi; sed & ad ipsa argumenta respondi. Responsio vero *D. Willenbergii* inter desiderata huc usque mansit. Quod Lyserus in thesin suam, quam aversor, detorquet, veritas est & manet, etiamsi in ore diaboli reperiatur. Non respondere aliud, quam quod in Lysero ista reperiantur, perinde est, ac si quis ex *Deut. VI. 4.* probanti: *unum esse DEUM*, responderit: haec ex Socino petita sunt. Nugae!

§. 23. *Tertia* responsio Willenbergiana reprehendebat, quod scripseram, DEum matrimonium instituendo disposuisse de eo, quod bonum erat homini: Assertio haec Autoris est, sed nuda & sine fundamento. Probandum, quod ob hoc bonum monogamiam praeceperit homini. Deus in societate conjugali hominis bonum

num fore vidit, sed illa societas viro etiam est, si cum pluribus uxoribus conjugatus vivat. Hujus societatis bonum homini Deus nunquam invidit, absit, ut illud ei prohibuerit & contrarium praeceperit. *praesid.* §. *13. p. 18. 19.*

§. 24. *Excepi* ad ista: 1. aberrare Adversarium a statu controversiae. Non enim quaeri nunc inter nos: num Deus bonum hominis in monogamia posuerit? sed: num in textu nostro historico referatur dispositio Dei de eo, quod bonum sit homini, quodque Deus hominibus per omnes mundi aetates destinaverit? Inde enim argumentum meum robur suum nancisci: quia Deus in prima matrimonii institutione bonum humani generis procuravit; in hac ipsa institutione sanctionem legalem, ab hominibus boni hujus cupidis observandam, merito quaeri. *justit. caus. p. 77. seq.* *D. Willenbergius*, de mutato controversiae statu convictus, ad ista conticuit in *iteratis praesidiis*, responditque *NIHIL*.

§. 25. *Excepi* 2. omnino DEum bonum generis humani simpliciter spectati, qua societatem nuptialem, tantum in monogamia posuisse, quia primum maritum monogamum esse voluit, quantumvis probe cognosceret, se per polygamiam praestitutum finem, qui erat, orbem hominibus complere, multo facilius consecuturum fore. Quia vero Adversarius meus videri volebat, se, per speciem quandam pietatis adductum, adversae opinioni devovisse: absit, ut DEus homini hoc bonum inviderit & prohibuerit, monui: si DEus, prohibendo polygamiam, invidiae suspectum se redderet, ut ille opinatur, justas Adamo praesto fuisse causas conquerendi, quod insigne hoc bonum sibi inviderit. *justit. caus. p. 79.*

§. 26. *Respondet* ille in *iteratis praesid. c. 2.* §. *24. p. 32. 33.* Cum DEus per unicam sociam, Adamo datam,

aliquid ſingulare intenderit, quod ceſſat in aliorum virorum ſociis, ſequitur, alios homines bonum iſtud conjugalis ſocietatis non ad eum modum habere debere, quo primus Sator generis humani Adam. Nimirum in poſteris Adami non contigit, fontem humani generis allectione novae uxoris amplius turbari, ſed ſemel per Adami & Evae monogamiam conſtituit. (conſtitit) &c.

§. 27. *Excipio* 1. Svave illud ſomnium, quo lectores eludit, Deum ideo ab omni polygamias ſpe Adamum intercluſiſſe, quod ex uno pari omnes terrae incolas deſcendere decreverit, fortiter animo ejus excutiam §. *34. ſeqq.* 2. Non ſatis ſibi cavit a novis praecipitiis, ſcribens: alios homines bonum illud conjugalis ſocietatis non ad eum modum (ſcilicet monogamias) habere NB. debere, quo primus Sator generis humani Adam. Vellem ab hac formula Vir doctus ſibi temperaſſet. Si enim quis fabulam totam non inſpiciens haec legeret, invaſiſſe ipſi eam perſuaſionem judicaret, DEum omnibus Adami poſteris monogamiam prohibuiſſe. Qui enim bonum ſocietatis conjugalis, ad eum modum, quo Adamus uni uxori adſtrictus, ex intentione divina non *debent habere*, illis non licet uni tantum uxori aſſociari. Non tribuo ipſi eam ſententiam, nec, ſimile rependere, candor permittit; dico tamen ſecurius locutum, neque memorem ſui fuiſſe, cum ejuscemodi quid ſcripſit. 3. Scire velim, quemadmodum haec cohaereant? Deum citra invidiae notam poſteros Adami a polygamia arcere non potuiſſe, ne de tanto bono illos deturbaret; & tamen per primum Adami matrimonium ejusmodi finem intendiſſe, quo ille in ſtatu, caetera feliciſſimo, a fruitione boni adeo excellentis ſimpliciter excludeba-

batur. Numquid putabimus, sapientiam Dei ejusdem bonitati adversari? Sapientia in definitione finis; bonitas in electione mediorum congruorum, quaeque homini damno non cedunt, maxime elucet. Dicendumne: Deum finem actionibus suis constituere, bonitati suae quicquam derogantem? Eam in rem alterutrum suorum assertorum retractabit *Dn. Doctor;* aut: Deum, prohibendo posteris Adami polygamiam, suspectum se invidiae redditurum; aut: Deum per matrimonium Adami finem intendisse, qui prohibitionem polygamias necessario postulaverit. Redeat secum in gratiam, videatque, quomodo ex hac voragine eluctetur. 4. Sunt haec mera figmenta, quorum nullum in textu vestigium deprehenderis, quin potius ipsi refragantur. Repraesentabant Protoplasti posteros suos, testante hoc ipsum eorum lapsu, in cujus societatem omnes nos venimus: unde illud Theologorum natum est: *fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo periimus omnes.* Sane, si Deus solum Adamum monogamiae adstrinxisset, concessa, atque adeo ordinata omnibus ejusdem posteris polygamia; id ipsum in prima institutione non tacuisset. Non enim cuiquam posterorum conjectura hoc divinare licebat; quin potius omnibus ita statuendum: DEus nobis in Parentibus monogamis benedixit; quisquis igitur nostrum potiri benedictione ista cupit, ille ordinis primaevi observantissimus sit, oportet, nec quicquam, quantum ad essentialia, convellere aut commutare audeat.

§. 28. Vix potui quoad hoc membrum, quin, quod obvium etiam esse censeo, monerem, stare *Dn. D. Willenbergium* contra se ipsum. Homines laudare, quod polygamiam, pro declinandis tot malis & incommodis, quae integras familias Resque publicas eversura facile essent, proscripserint; nihilo tamen secius me & alios, Deum eandem prohibuisse, docentes, criminari, quod sanctissimum Numen malevolae mentis suspicioni

exponamus, quasi excellentissimum illud polygamiae bonum mortalibus invidisset. Quaesivi ex ipso: cur lex illa prohibitiva, quae homines, Autores suos, ob singularem sapientiam & prudentiam encomiis celebrandos sistit, divinae gloriae adeo deroget, ut ne quidem cogitari de Deo sine piaculo liceat? Dicendum potius, eundem per sanctitatem & bonitatem suam teneri, facta illa, quae interitum & ruinam Rebuspublicis minantur, legibus suis repellere. *justit. causae p. 81.*

§. 29. Respondent *iterata praesidia c. 2. §. 24. p. 33.* Frigide excipit Adversarius, hominum sapientiam non majorem esse divina; illa tamen, me ita statuente, fuisse effectum, ut propter incommoda polygamia inter Christianos prohibita fuerit. Respondeo enim, quia homines non usi polygamia ea ratione & prudentia, qua DEus volebat uti, sed sine consideratione naturae, facultatum suarum promiscue in secuturam familiarum Rerumque publicarum ruinam polygami facti, ad aliam legem regendi fuerunt, ut magis se attemperarent ad statum publicum, cujus salus semper praeferenda saluti & commodo privato. Caeterum non fuit ideo major hominum prudentia quam DEI, cum huic quoque placere non potuit, quando coeco impetu illi uterentur bono a se concesso, bene vero potuit ipsi placere, si uterentur prudentia & consilio. Lex a praxi distingui debet. Illa polygamia a DEO permissa est, haec non aliter nisi fiat cum judicio.

§. 30.

§. 30. *Excipio:* 1. Cum vero Deus abusum illum polygamiae praeviderit, idque multo rectius, ac homines experientia edocti, cognoscere unquam potuerunt; qui factum, ut nec ille eandem, ob praevisa ista mala, prohibuerit? Nonne eo gaudet scientiae ac sapientiae lumine, ut perspectum habeat incommoda & media ipsis occurrendi? Sine dubio prudentia & bonitas idem ipsi suadere potuerunt, quod hominibus? Si cura & sollicitudo procurandi boni publici homines immunes praestitit a suspicione invidiae, utique & Deum praestitisset. Cautelas, quas homines putat in prohibitione observasse, easdem & observare Deus potis, & cur non potior fuisset? 2. Homines non modo abusum, sed ipsam polygamiam, Bonum a Deo, sicut denuo loquitur, concessum, prohibuerunt. Dixerat quidem in *praesidiis p. 37.* leges humanas prohibitionem polygamiae ita temperasse, ut non simpliciter, sed tantum illis invitis non liceat esse polygamos; ast petenti mihi, ut indicaret: quinam legislatores civiles facultatem dispensandi sibi reservaverint, & ubi Leges ita temperatae reperiantur? nihil responsi huc usque dedit. *justit. c. p. 82.* 3. Distinctio inter legem & praxin bona est: ast non satis commode huc trahitur. Nisi *Consultissimo Dn. Doctori* macula Pedantismi in metu est, locum quaeso relinquat petitioni meae, periculum faciendo, num applicare illam ad exceptionem meam queat? Non quaeritur inter nos: num Deo placeat, quando coeco impetu homines utuntur bono a se concesso? Sed cardo controversiae 4. in his versatur: *Primum:* num leges humanae polygamiam, pro declinandis variis incommodis, prohibentes, laudem mereantur; Deus vero, si illam eadem fini prohibuisset, juste in suspicionem adducendus fuisset, quod eximium hoc bonum hominibus invidisset? *Deinde:* num fas sit, legibus humanis, ob quaedam incommoda oeconomica & politica, prohiberi, quod

jure

jure divino, pro evitanda ſcortatione, poſitum hominibus eſt medium? 5. Eſt etiam matrimoniis monogamicis ſuus abuſus, Deo maxime inviſus. Uti vero hominibus integrum non eſt, lege univerſali illa prohibere; ita nec polygamica: quia ex hypotheſi Willenbergiana polygamia & monogamia in paritate ordinationis divinae verſantur, ut a ſcortationibus ſe homines cohibeant: jure divino polygamia non minus ſcortationis vitandae medium ponitur ac monogamia. *praeſid. jur. div.* §. *27. p. 34.*

§. 31. *Quarta* ſua reſponſione in *praeſidiis* p. 19. *Dn. D. Willenbergius* me, ex hactenus aſſertis, ad abſurdum deducere conabatur. Si, nimirum, Deus bonum hominis, quoad ſocietatem conjugalem, in monogamia poſuerit, ſecuturum inde, ut Patriarchae polygami malum bono praetulerint: Videat Autor, ne proſtituat in Sacris toties laudatam Dei erga Patriarchas & Reges ſibi amiciſſimos benedictionem & gratiam, quam ex mente ejus conculcaſſe viderentur per electionem ejus, quod illis non bonum, ſed malum fuiſſet, ſcilicet polygamiae ſimultaneae. Ad quae in *juſtitia cauſae p 82.* excepi: Patriarchas non ſuo arbitrio, ſed Deo diſpenſante polygamos evaſiſſe. Deum vero tunc *ſecundum quid* ex conditione temporis, loci, &c. judicaſſe, bonum illis eſſe, in polygamia vivere, etiamſi *ſimpliciter* generis humani Bonum in monogamia ſtatuerit. Caſus ejusmodi eſſe extraordinarios; quod exemplis & ſimilibus illuſtravi. Ita Paulum, dixi, pro circumſtantiis temporis autumantem, bonum eſſe homini, eſſe ſolum, *1. Cor. VII. 1. 26.* Deo haudquaquam contradixiſſe, ſtatuenti, non bonum eſſe homini, eſſe ſolum. *Gen. II. 18.*

§. 32. Reſpondet Adverſarius in *iterat. praeſid. c. 2.* §. *24.*

p. 33.

p.33. Haec dispensatio ut nunquam probata; ita nec in horum casibus polygamicis tutum asylum tribuit. *Excipio:* 1. Non animadvertit, se jam κατ' ἄνθρωπον, vel δι' ὁμολογίας mecum disputasse. Dixerat enim ex mente mea, seu doctrina mea, de Bono hominis conjugali in monogamia ponendo, Patriarchas elegisse, quod illis non bonum, sed malum erat. Quisquis ita disputat, tenetur principium Adversarii admittere, non, ut approbet; sed hunc absurditatis convictione confundat. Quapropter ego ipsi me accusanti: ex hypothesi mea fluere, quod Patriarchae, bono insuper habito, malum elegerint, fortissime opposui aliud principium, cui insisto: Patriachas, Deo dispensante, non proprio ausu, polygamos extitisse. Argumentor: Quicunque utrumque docet, 1. Deum conjugale hominis Bonum in monogamia posuisse, 2. eundem etiam Patriarchis dispensasse; ille fraudulenter accusatur, quod ex mente ejus Patriarchae malum prae bono elegerint. Atqui ego utrumque doceo: 1. Deum conjugale &c. Ergo ego injuste accusor, quod ex mente mea &c. *Major* probatur: quia, accedente dispensatione divina, polygamia non amplius malum, sed bonum quid erat. Dicat ille, dispensationem divinam nec probatam, nec a se admissam esse. Quid vero tum? Esto, non agnoscatur ab Adversario, nec quoquam alio; esto, non vera, sed fictitia sit: nunc tamen stabit pro principio, semperque stabit, quoties committor mecum ipso, meusque Antagonista ex mente mea mecum agit. Exemplum ejusmodi disputationis ipse Christus dabit *Matth. XIX. 16. seqq.*

§. 33. Apertissime constare ex his arbitror, tantum responsionibus Willenbergianis valorem non inesse, ut a veriori doctrina dimoveri me iisdem paterer. Sensit hoc procul dubio

ipſe, ideoque in omnes ſe vertens formas, novis machinis, ut hypotheſi ſuccurreret, utendum putavit. Prioribus enim reſponſionibus non contentus, alia converrit, a nobis nunc diſcutienda.

§. 34. *Primum* eſt, Deum Adamo de una tantum ſocia proſpexiſſe, non, quod poſteri ad hanc imaginem ſe conferre teneantur; ſed quod omnes in univerſum orbis incolas ex uno hominum pari prognaſci voluerit. Id quod ex *Act. XVII. 26.* probandum ſibi ſumit: *fecit Deus ex uno ſanguine quodvis hominum genus habitare ſuper totam faciem terrae.* Quibus in ſententiam ſuam ita utitur: luſtremus, quae Dei fuerit intentio, quod unum par hominum tantum, maſculum & foeminam, divina ſua creatione in primum orbem introduxerit. Eam nobis manifeſtis verbis indicat ſacra pagina, nempe Deum voluiſſe ab uno pari, velut ex una ſtirpe, prodire univerſum genus humanum, *Act. XVII.* 26. Si plures ab initio homines condidiſſet ſapientiſſimus Creator, vel plures ſaltem foeminas, quas Adamo junxiſſet, intentio illa divina collapſa fuiſſet. *iter. praeſid. c. 2.* §. *29. p. 27.* Quo in argumento etſi vehementer erret, ipſique Scripturae vim adferat, tamen adeo mirifice exultat, ut commenta ſua, quaſi ejusdem cum ipſo oraculo ſint autoritatis, ſemper nobis obvertat, concludendo: DEus ex uno pari omnes homines deſcendere voluit; Ergo falſum eſt, ab eo numerum perſonarum ſocietatis nuptialis in prima inſtitutione ad binarium reſtrictum eſſe. Ita infert §. *20. p. 28.* per unum par hominum Deus intendebat finem, ex eo pari producendi totum genus hominum, non hunc, ut vir unam tantum foeminam per omne mortalium tempus habe-

be-

beret, quia hic finis alius est & diversus ab eo, quem Deus nobis in verbo suo manifestavit. §. 24. p. 32. Si Deus simpliciter finem intendisset, in orbe condito multiplicatum extare genus humanum, potuisset plures ab initio homines condere, sed ita intendit finem, ut ex uno pari illud profectum extaret.

§. 35. *Excipio in genere:* ita tandem divortium secum ipse facit *Dn. D. Willenbergius.* In *praesidiis j. d.* longe aliter sensit. Nam, qua nunc utitur, rationem conjecturis hominum, calculo suo indignis, tribuebat, meque ad arcanum aliquod DEI reservatum, cur Protoplasto unicam tantum sociam concesserit, relegabat: Divinae sapientiae Reservatum est, quare non plures, quam unum par hominum in primum orbem immiserit. Homines de hoc facto saltem conjectant: placuisse DEO ita disponere, ut omnipotentia sua apud mortales magnificeret, qui ex eventu discunt, a tam teneris principiis augmentum suum accepisse genus humanum. Quo ipso flecti me in suum obsequium non posse intelligens, non amplius idem; sed alius prorsus a se ipso apparet. Mirari in mentem veniret, qui tacita divini pectoris decreta detecta protinus ipsi fuerint, nisi palam aperteque constaret, *Lyserum & Arcuarium* jam olim hoc loco abusos fuisse. Confer *illius* Polygamiam triumphatr. p. 162. *hujus* Kurtze / doch unpartheyisch / und Gewissenhaffte Betrachtung p. 53.

§. 36. Cum vero Adversarius meus responsionem suam ratione ex Scriptura Sacra muniverit, integrum mihi quoque erit, redacta illa in argumentum, formaliter disputare. Ea mens est celeberrimi Viri: *Quicunque ea ex causa unam uxorem Ada-*

mo junxit, ut, ex uno pari hominum, universum genus humanum prodiret, ille hoc ipso facto non legem dedit hominibus de servanda monogamia; At qui DEus ea ex causa unam uxorem &c. Ergo DEus hoc ipso facto non legem dedit &c. *Excipio* nunc *in specie*, respondendo ad *Majorem* propositionem, nullam in ea connexionem extremorum a me deprehendi. 1. Fallit argumentatio a positione unius finis ad destructionem alterius, cumprimis, subordinati fines si fuerint. Possunt plures respectus esse, propter quos res unica est; quorum singuli diversos etiam fines constituunt. Horum nullus excludit alterum, nec opponi sibi invicem debent. Quo nomine Sociniani errant concludentes: Christus passus est, ut exemplum nobis statueret obedientiae & patientiae, *1. Petr. II. 21.*; Ergo non, ut satisfaceret pro peccatis nostris. Eundem prorsus in modum *D. Willenbergius:* DEus unam in matrimonio uxorem Adamo ideo dedit, ut ex uno pari omnes posteri descenderent; Ergo non, ut matrimonia monogamica fundaret ac stabiliret. Ecquae inter haec datur pugna? Si nulla; stare simul possunt, neque se mutuo tollunt. 2. Distinguendum igitur inter finem *ultimum* & *intermedium*. *Ille* est, qui non ad alium, saltem in suo genere vel ordine, refertur; *hic*, qui ad alium refertur, vel ita est finis, ut ejus alius quoque finis detur. Ita finis lectionis Scripturae Sacrae ultimus est aeterna salus; intermedius fides in Christum &c. Quae 3. ad praesens negotium ita sunt applicanda. Quaeras: quem in finem DEus primo matrimonio non nisi duos coadunaverit? Dico, si de fine *ultimo*, in ordine ad ipsos homines, quaeras: ut legem monogamicam ferret, seu normam poneret generi humano, ad quam se in societate nuptiali componeret. Si de *intermedio:* ut reliqui homines ad unum omnes ex duobus illis descenderent. Intermedium appello, quia ideo volebat omnes ex toro monogamico proficisci, ut communem ideam exhiberet matrimonium inituris. Quod 4. intendisse DEum, probo: (a) quia qualis status

tus a DEo inftitutus eft primum, talem eum, quoad effentialia, femper apud nos oportet effe. (b) quia DEus poft diluvium genus humanum non nifi per monogamos, Noachum ejusque filios, propagari volebat, apertisfimo documento, defcenfum omnium ex uno illo pari finem duntaxat intermedium effe nuptiarum primaevo-monogamicarum. Etiamfi fingulis viris, ex arca fuperftitibus, vel decem uxores concesfiffet, quas cum familia Noachica vindicare in arca ab interitu falvas facile ipfi fuiffet, dictum finem fartum tectumque fervaffet: omnes enim fuiffent progenies primorum conjugum. Aft aliud fapientisfimi Numinis ordo tulit. Refpondere hoc in negotio debebant primordia orbis, ex eluvionibus reftituti, incunabulis primi ex manibus Creatoris prodeuntis. Ceffabat finis ille, cui foli defert nuptias Protoplaftorum monogamicas *D. Willenbergius*; neque tamen monogamia ceffabat, & eo quidem tempore, cum orbis incolis fuis defpoliatus polygamiam cumprimis poftulare videretur. Tetigi hoc ipfum momentum, oppido ponderofisfimum, in *juftit. cauf. p. 65.* quod tamen ab Adverfario meo neglectum, refponfumque fuit NIHIL. Notum igitur teftatumque evadit, falli fcribentem: DEum per unicam fociam, Adamo datam, aliquid fingulare intendiffe, quod ceffet in aliorum virorum fociis. Nimirum in pofteris Adami non contigiffe, fontem humani generis allectione novae uxoris amplius turbari, fed femel per Adami & Evae monogamiam conftitiffe. *iterat. praefid. c. 2. §. 24. p. 32. 33.* Arguo: Aut idem DEus per monogamiam Noachi ejusque filiorum intendit, quod olim per monogamiam Adami; vel non. Si idem; non fuit illud fingulare & proprium Adamo. Si non; cur non jure fuo polygamico ufi, & Bono ifto excellentisfimo potiti fuerunt, fibique arcam ingredientes de plurimis uxoribus mature

prospexerunt? Non enim turbatus fuisset fons humani generis, qui semel per Adami & Evae monogamiam constiterat.

§. 37. *Excipio* porro respondendo ad *Minorem:* Deus ea ex causa unam uxorem Adamo junxit, ut ex uno pari hominum universum genus humanum prodiret, negando illam. 1. In textu *Act. XVII. 26.* unius sanguinis, non unius paris mentionem reperio. Non sum nescius, extare, qui de utroque Parente interpretentur; sed ultra rem & praeter textum. Si Apostolus nude dixisset: *Fecit DEus ex UNO quodvis genus hominum habitare*, subintelligi posset: *pari;* quia τὸ *uno* substantivum aliquod involvit, pro conditione materiae inferendum. Ast *unum sanguinem* duos homines denotare, durior est interpretatio. Supponimus, sanguinem pro homine poni, *Psalm. XCIV. 21. Prov. I. 11. Matth. XXVII. 4.* ideoque unum sanguinem in oppositione ad alios unum significare hominem. Per quem solus Adamus intelligendus erit, habetque ea sententia rationem. Nam (a) constat, ipsam Evam, ex Adamo formatam, inque ortus sui memoriam אשה *Ischah* appellatam esse, quia *de* איש *viro desumta erat. Gen. II. 23. 1. Cor. XI. 8.* (b) Sermoni Apostolico maxime est conveniens: quippe Paulus, concinna gravitatisque plenissima oratione Athenienses, Gentiles, a polytheismo & idololatria revocans, memoria communis nostrae originis docet: hominibus ex uno, qui omnium primus extiterit, descendentibus, omnino indignum esse, plures credere Deos. Unum esse fontem, ex quo omnes sanguinem hauserint, quid impediat, quin unus etiam sit Deus, & praeter illum non alius? Hoc pacto falsa evadit *Minor*, quatenus pro: *uno sanguine*, quod in textu legitur, *uno pari* suffectum habet. Unum atque idem de hoc loco mecum sentiunt *Erasm. Schmidius* in N. T. fol. 904. *D. Scherzerus*, Anti-Socin. p. 180. *D. Seb. Schmidius* verba Pauli: *fecit ex uno*

san-

sanguine universam gentem hominum, ita παραφράζει: *fecit unum sanguinem hominis, & ex eo universam gentem hominum.* Colleg. Bibl. P. 2. p. 24. *D. Dannhawer* Theol. Conscient. Tom. poster. p. 1. *Hominem terrigenam producit Apostolus, qui ex uno Adami semine, ut scaturigine, in immensum Oceanum, suis tamen terminis circumscriptum, exundavit. D. Calovius* ad h. l. *ex uno Adamo originem habent omnes.* System. Tom. 3. p. 1056. 2. Omnes homines omnino ex uno sanguine ortum traxissent, quantumvis Adamus polygamus extitisset. Fuissent enim omnes liberi unius Patris, ex quo censeri posteritas in S. literis solet. Quo jure sexaginta sex animae dicuntur egressae ex lumbis Jacobi, polygami, *Gen. XLVI. 26.* ipsique filii ejus, ex diversis matribus nati, se omnes, *unius viri* filios, nulla matrum facta mentione, appellabant, *Gen. XLII. 11. 13.*; eodem jure etiam universa horum propago originem ad unius Adami sanguinem retulisset, etiamsi vel mille uxores Adamo nuptum locatae fuissent.

§. 38. *Secunda D. Willenbergii* responsio vitio mihi vertit, quod ex *Gen. I. 27.* argumenta matrimonialia petierim, cum tamen matrimonium demum in capite secundo institutum fuerit. Cum inprimis controvertatur, an Gen. I. 27. de instituto matrimonio agatur, ego, qui in Schediasmatis §. 4. id negaveram, nec nunc, cur aliter statuam, video. Praeterquam enim, quod in primo capite, ut jam dictum d. §. 4. rerum tantum & hominum creatorum historia proferatur, nullius vero copulationis conjugalis ratio habeatur, moveor in hanc sententiam, quod, si jam in primo capite, ut dissentientis est opinio, fundatum est conjugium, non demum potuit illud introduci in capite secundo: nam res, quae jam est,

non

non poteſt introductione ſua eſſe poſterior, quia ab hac tota ejus eſſentia dependet. At omnium confeſſione conſtat, conjugium legi introductum in capite ſecundo; itaque de eo, antequam inſtitueretur, non potuit ſermo fieri in capite primo. Fuſius haec perſequitur & juxta ſeriem creationis oſtendit Meyer *in uxore chriſtiana Sect. I. cap.* 3. §. 3. *ſeqq.* figmentum eſſe, in capite primo Geneſeos agi de inſtituto matrimonio.

§. 39. Habet haec reſponſio aliquid novi. In Schediaſmate enim *Dn. Doctor* argumentationes ex hoc textu ſimpliciter repudiaverat, quod hiſtoricus eſſet; nunc vero clarius animi ſenſa expromens, textum virtute probandi ideo defici, ſcribit, quia inſtitutio matrimonii in ipſo non continetur, utpote in capite ſecundo demum facta. Quoniam igitur reſpondet ratiocinando, mihi denuo neceſſitatem imponit ratiocinationes ſuas examinandi. Argumentum ita habebit: In quocunque loco non agitur de inſtitutione matrimonii, in illo non reperiuntur argumenta dijudicandis controverſiis matrimonialibus apta. Atqui in hoc loco Gen. I. 27. non agitur &c. Ergo in hoc loco non reperiuntur argumenta &c. *Majorem* probat, quia de matrimonio, antequam inſtituitur, non poteſt ſermo fieri. *Minorem:* 1. quia *Gen. I. 27.* tantum rerum & hominum creatorum hiſtoria refertur; 2. quia copulationis conjugalis non habetur ratio; 3. quia, ſi jam in primo capite fundatum eſt conjugium, non demum potuit introduci in capite ſecundo: nam res, quae jam eſt, non poteſt introductione ſua eſſe poſterior, quia ab hac tota ejus eſſentia dependet.

§. 40.

§. 40. *Excipio*, respondendo ad *Majorem*, eam esse falsissimam: 1. *Dn. D. Willenbergius* contra se ipsum pugnat. Nam §. *24. p. 32.* de hoc loco agens, concedit, ex ordinatione divina unius uxoris ad Adamum, sequi, in societate conjugali non nisi duas personas esse debere, quoniam primum illud matrimonium ideam det aliis matrimoniis contrahendis &c.; negat vero ex natura matrimonii adversus polygamiam recte concludi: quod quam primum explodam. Respondet ista mihi ex hoc loco ideam petenti societatis nuptialis, quod etiam largitur de matrimonio, dum ne in fraudem polygamiae trahatur. Si vero *Majori* sua constaret veritas; neque pro matrimonio, polygamiae contradistincto, colligi hinc quicquam posset. 2. Christum ipsum ex Geneseos capite primo lites matrimoniales diremisse, exploratum habemus. Quae enim *Matth. XIX. 4.* Judaeis reponebat: *annon legistis, quod is, qui fecit ab initio* (homines,) *masculum & feminam fecit eos*, ex nostro commate petita erant, in quo Moses: *creavit Deus hominem, masculum & feminam creavit eos.* Ex hypothesi Willenbergiana optimus Magister noster, cujus nomen benedictum! crasse impegit, argumentando in negotio matrimoniali ex Scripturae loco, in quo non potuit sermo fieri de matrimonio, atque adeo nec introducti status matrimonialis argumentum reperitur. Hanc sententiam ipsi dicit *D. Willenbergius*, &, si ad arbitrium ejus res conferenda, cecidit Christus causa sua. Hoc vero erat, quod ipsi in animum revocabam in *vindiciis meis p. 15.* placidissime sine acerbitate commonens: *Viderit Autor, ne censura & reprehensione sua, qua nos pungit, ipsum Christum, eadem in causis matrimonialibus methodo praeeuntem, objurgaverit.* Cujus noxae gratiam sibi facturus respondit quidem:

dem: nullius censurae in Christum me reum faciet, qui, ut statim apparebit, a Salvatoris sententia nullus deficio. *praesid. j. d. p. 19.*; sed, cum nec digito ista tetigerit, promissa sua exuit, neque, quae apparitura dicebantur, unquam in adspectum venerunt. Compellavi ipsum hoc nomine, in *justitia caus. p. 85.*; ast sine effectu, meaeque preces incassum sunt missae. Quid vero 3. in Sacris literis frequentius est, quam in antecessum de rebus & negotiis agi, quae in longius tempus differuntur? Utrumque Novi Testamenti Sacramentum, Baptismus & Eucharistia, instituta demum post incarnationem Filii Dei sunt; nihilo secius institutionem illam plurima V. T. vaticinia ita praeoccuparunt, ut indoles eorum perspici inde queat. Conf. *Psalm. XXIX. 10. Hesek. XXXVI. 25. Sach. XIII. 1. Psalm. CXI. 4.* Conterentur & conquassabuntur loca ista, quibus orbis Christianus feliciter semper est usus, si hypothesi Willenbergiana standum: *frustra argumenta rei ex illis locis derivari, ubi nondum instituta illa fuit.* O quam vana & fallacia sunt principia, ex quibus nobiscum agit! Vide, quae supra §. *21.* de jure regio, ab ipso Deo sancito prius & promulgato, quam Rex aliquis inter Judaeos existeret, monuimus.

§. 41. In *Minore* non plus veritatis reperitur. Quaestionis: num matrimonium capite primo, an secundo institutum fuerit? sensus si est: num utrobique de institutione matrimonii agatur? nil implicat, quin affirmative respondeam; quod, qua caput primum, a *D. Willenbergio* contra manifestam literam negatur. Si vero: num eo temporis ordine rerumque nexu, qui in capite secundo ab Historico tenetur, ordinatum fuerit? simpliciter nego, legesque ac institutum status matrimonialis ad caput primum revolvo. Negat hoc acerrime idem ille, multum huic momento tribuens. Ast ego non langueo in sententia mea.

At-

Attendat Lector, quae pro corroboranda illa sum allaturus. Permagnum sane pondus habet, 1. quod Moses in capite primo, servato dierum hexaëmeri ordine, de die ad diem progressus, quid DEus singulis diebus egerit, distincte enarrat, omnibusque periodis justum suum modum & finem facit: *atque sic facta est vespera & factum est mane; dies primus, v. 5.; dies secundus, v. 8.; dies tertius, v. 13.; dies quartus, v. 19.; dies quintus, v. 23.; dies sextus, v. 31.* 2. in capite secundo Moses interpretando explanat quaedam, quae in primo concisius proposita fuerant; idque 3. neglecto temporis ordine. Quem, qualis apparet, si urgere volueris, dicendum erit, hominem post consecrationem diei septimi & ante plantationem Paradisi creatum, postque horum memoriam institutum demum matrimonium fuisse. Ea enim serie ista omnia se invicem excipiunt.

§. 42. Rationes, quibus *Minorem* suam stabilire tentat *D. Willenbergius*, imbelles nulliusque sunt ponderis. Urget 1. in primo capite rerum tantum & hominum creatorum historiam referri, *p. 28.* *Excipio:* (a) institutionem matrimonii ad res gestas pertinere; eapropter consequentiam esse nullam: in hoc textu rerum tantum historia refertur; Ergo non institutio matrimonii. Describat, quaeso, ipse, qualis ille textus esse & debeat & possit, qui primam matrimonii institutionem, non facta rerum hominumque creatorum mentione, referat? Aut institutio illa non est res facti, quod neget mente captus; aut male duo ista sibi opponuntur: rerum hominumque creatorum historiam; & institutionem matrimonii referre. (b) Homines creati illi ipsi sunt, quos DEus matrimonio primo junxit. Quis igitur fidem habuerit Adversario, concludenti: in capite primo hominum creatorum historia refertur; Ergo non eorum matrimonium? Matrimonium enim ad eorum historiam pertinet. Non melioris com-

matis ſunt rationes, quibus porro pigmenta errori adſpergit. Pergit 2. nullius copulationis conjugalis ratio in capite primo habetur. *p. 28.* Verum ipſi literae contradicit, ſola textus recitatione refutandus. Ita enim Moſes *v. 27.28. Maſculum & feminam creavit eos, & benedixit ipſis DEUS: fructus facite & multiplicamini.* En, copulationem conjugalem! Quid eſt, quod in ipſa jure deſideretur? 3. Dicit: ſi jam in capite primo fundatum eſt conjugium, non demum poterit illud introduci in capite ſecundo. Qui non? Quid de Baptiſmo dicet? Nonne ille jam ante paſſionem Chriſti inſtitutus fuit? Plane atque omnino! Johannes enim baptizans, ex mandato DEI ſe agere, aſſeveranter dicebat: *qui miſit me ad baptizandum aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, &c. Joh. I. 33.* Et Phariſaei baptiſmum ejus reſpuentes dicuntur DEO refractarii fuiſſe: *Phariſaei & Legisperiti conſilium DEI rejecerunt contra ſe ipſos, dum non baptizati ſunt ab illo. Luc. VII. 30.* Implicat etenim medium ſalutis ab hominibus motu proprio, citra Dei mandatum, eligi & uſurpari. At idem ille Baptiſmus a Chriſto in coelos adſcenſuro inſtituebatur, cum inductione obligationis univerſalis; vel lucidius: repetebatur a Chriſto prima inſtitutio cum extenſione ad omnes Gentes. Bene ac nervoſe B. noſter *D. CALOVIUS: Sacramentum Baptiſmi non coepit per baptiſmum a Chriſto ſuſceptum, ſed cum Johannes baptizare coepit, etſi ſolennis inſtitutio in vim normae, univerſaliter obligantis, facta demum ſit poſt reſurrectionem Chriſti. in Synopſi controverſiarum, Art. IX. theſ. 4.* Nullam igitur ſpeciem veri habent, ac vix reſponſionem merentur, quae ſcripta ſunt a *Noſtro:* ſi jam in capite primo fundatum eſt conjugium, non demum potuit illud introduci in capite ſecundo. Opponit ſibi invicem,

in-

inter quae nec umbra datur pugnae. Nuda contradictione talia prosternuntur. Dico confidenter: Si jam in capite primo fundatum est conjugium, potuit omnino illud introduci in capite secundo; idque hoc certius, quo manifestius est, secundum caput ἐξηγητικὸν esse praecedentis. Videtur tamen sibi rationem asserti reperisse: nam res, quae jam est, non potest introductione sua esse posterior, quia ab hac tota ejus essentia dependet. *p. 29.* Verum destruunt haec se ipsa, quam primum audiuntur, tamque manifesto sunt falsa, ut inverti oporteat. Omnis res introductione sua est posterior. Non quidem ab introductione rei ejus essentia; (quae est Adversarii ἀκυρολογία) existentia tamen dependet. Nam essentias rerum aeternas esse logice, non physice, sanior nos docet Philosophia.

§. 43. Quae cum verissime dicta a me esse quisque percipiat, suffragio Ecclesiae nostrae confirmabo. Agenda Ecclesiastica nostrae urbis, quae A. 1708. autoritate publica confirmata typisque accepimus exscripta, ex formula copulationis B. Lutheri, novellis conjugibus commemoratione eorum verborum, in quibus de matrimonio sermonem fieri inficiatur *D. Willenbergius*, divinae benedictionis & consolationis promissa fieri jubent. p. 101. 102. *TERTIUM, haec est consolatio vestra, quod scitis & creditis, statum vestrum Deo probari, & ab ipso benedici. Sic enim scriptum est: & creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus & ait: crescite & multiplicamini, & replete terram & subjicite eam &c.* Zum Dritten/ so ist das euer Trost/ daß ihr wisset und glaubet/ wie euer Stand für GOtt angenehm und gesegnet ist. Denn also stehet geschrieben: GOTT schuff den Menschen ihm zum Bilde/ zum Bilde GOttes schuff er ihn/ und er schuff sie ein Männlein und ein

Fräulein/ und GOtt segnet sie und sprach zu ihnen: seyd fruchtbar und mehret euch/ und füllet die Erden/ und macht sie euch unterthan ꝛc. Quae gratiae & benedictionis divinae spes conjugium inituris abscinditur, in ipsamque Ecclesiam durior pronunciatur sententia per ea, quae habet *D. Willenbergius:* in verbis istis, a Ministro Ecclesiae ex Mose recitandis, non agi de instituto matrimonio, & nullius copulationis conjugalis rationem haberi, neque potuisse de matrimonio sermonem fieri, atque consequenter in illo loco introducti status matrimonialis argumenta non reperiri. *p. 28. 29.* Legentes ista, quid, quaeso, cogitabunt aliud, atque se ab Ecclesia, saltem per errorem aut imprudentiam, falsa spe circumscribi ac decipi? Et res utique ita habet, assertis Willenbergianis si subscribatur.

§. 44. *JOHANNIS MEYERI, Theol. Doctoris & Professoris Batavini,* mentem si percepisset Adversarius, non ausus fuisset, eundem testem commentorum suorum facere. Laborat multum, ut levissime dicam, fides ejus, dum scribit: fusius haec persequitur, & juxta seriem creationis ostendit Meyer *in uxore christiana Sect. I. cap.* 3. §. 3. *seqq.* figmentum esse, in capite primo Geneseos agi de instituto matrimonio. At falso ista & cum probro ac dedecore Meyeri dicuntur. Decepit *D. Willenbergium* sine dubio inscriptio capitis tertii Meyeriani: *utrum Genes. I. 28. conjugium sit institutum, ut contendunt polygami, an vero cap. II. 24?* Quodsi ipsum caput cum superioribus perlustrasset, intelligere facile ipsi fuisset, Meyeri doctrinam suis consiliis occurrere atque obsistere, tantum abest, ut ex illa dimicare mecum ipsi liceat. Facere mecum paria Meyerum, in solis radiis positum arbitror. *Cap. 1. §. 1. p. 6.* dicit: *Deum primam legem de conju-*

jugio tulisse, Gen. I. 28. §. 2. *dictum hoc universale respicere multiplicationem generis humani, ideoque in historia Mosis recurrere, Gen. VIII. 17. IX. 1.* §. 3. *evidens esse, non benedictionem duntaxat, verum etiam praeceptum istis verbis contineri, Deo non dicente: crescetis & multiplicabimini; sed crescite & multiplicamini, in imperativo;* §. 6. *p. 8. Deum ita hominibus foecunditate & multiplicatione generis sui benedixisse, ut simul praecepto eam imperaverit, idque haud aegre se largiri polygamiae Patronis, idem frequenter inculcantibus, cap. 3.* §. 6. *p. 36. se demonstrasse, verba Genes. I. 28. non benedictionis potius, ut nonnulli dicunt, quam jussionis esse.* Arguo: Quicunque de loco Genes. I. 27. 28. in terminis docet, 1. primam in illo legem de conjugio a Deo latam esse; 2. eam ipsam, quam post diluvium repetiit, *Gen. VIII. IX.* 3. non solum benedictionem, sed praeceptum etiam ibidem contineri; seque 4. haud aegre largiri polygamiae Patronis, quod Deus multiplicationem generis humani inibi praecepto imperaverit; illi perperam tribuitur, quod pro figmento habuerit, in capite primo Geneseos agi de instituto matrimonio. Atqui *MEYERUS in Uxore Ebraica* de loco Gen. I. 27. 28. in terminis docet, 1. primam legem &c. Ergo *MEYERO* perperam tribuitur, quod pro figmento habuerit, in capite primo Geneseos agi de instituto matrimonio. Id vero fecit *D. Willenbergius*, & ideo fecit, ut pseudhermenias suas fuco illitas nobis sisteret.

§. 45. Neque tamen praetermittendum neque relinquendum est, quis sensus sit rubri, quod Meyerus capiti tertio praefixit: *utrum Genes. I. 28. conjugium sit institutum, ut contendunt polygami, an vero cap. II. 24.?* Illi scilicet, quibuscum ipsi res est, polygamiae ita militabant, ut dicere nihil vererentur, institutionem matrimonii *integram & plenam* referri in capite primo, falso persuasi, se hoc pacto, quod polygamia primae institutioni non repugnet, fortiori molimine defensuros esse. Quibus

bus Meyerus contradicens, non negat, institutum esse matrimonium in capite primo; sed tantum, institutionem illam ex solo primo capite, remoto secundo, cognoscendam esse, infirmat ac diluit; quin etiam, utrumque debere conjungi, recte arbitratur. Poterat id intelligi vel ex illis, quae in §. *1.* citati a *D. Willenbergio* capitis tertii, *p. 34.* leguntur. Satis aperte *D. Meyerus* mentem suam declarat, accusando Lyserum & alios, *quod dissimulatis fere verbis primi instituti, Gen. II. 24., quae nobis ubique, ipsis nunquam sint praesidio, solummodo inculcent legem illam generalem, Gen. I. 28.: crescite & multiplicamini, in qua propugnaculum omnium firmissimum se habere putent, aliaque id genus, quae propugnandae suae hypothesi maxime inservire judicent.* De secundo capite prudenter monet, ea, quae ad hominem attinent, amplificari in illo & specialius enarrari, non habita temporis ratione; neque relata, quo recensentur, ordine fuisse gesta, ideoque singula suo capitis primi loco inserenda esse. *c. 3. §. 3. p. 35. §. 7. p. 37.* Videsne, ut haec concinant observationibus meis, superius §. *40.* annotatis? Praecipiti vero consilio linguaeque immodicae debentur a *D. Willenbergio* securius scripta: fusius haec persequitur, & juxta seriem creationis ostendit Meyer *in uxore christiana Sect. I. c. 3. §. 3. seqq.* figmentum esse, in capite primo Geneseos agi de instituto matrimonio.

§. 46. *Tertium* distinctionem nobis commendat, cujus ope ex hoc negotio ejusque difficultatibus feliciter emersurum se sperat Adversarius meus, meque proinde suggillat, quod, penetrare illam, datum mihi non sit. Vult conjugium a polygamia, velut peculiari ab ipsoque Deo ordinata societatis nuptialis specie, ita distingui, ut illud plures quidem uxores simul respuat, haec vero admittat. Iterata enim *c. 2. §. 23. p. 31.* quaestione: num in facto creationis hominum lateat lex divi-

na,

na, marem obligans, ut unam tantum uxorem uno tempore sibi matrimonio jungat? factaque rationum mearum, quibus hoc ipsum confirmatum ivi, repetitione, tandem respondet §. *24. p. 32.*: argumentum hoc si respiciam, & primam ejus rationem, adverto, *Dn. D. Weickhmannum* non penetrare, quid conjugium sit, quid item polygamia, quorum tamen accuratus conceptus multum facit ad decidendam litem. Conjugium est unius maris & unius foeminae conjunctio, in individuam vitae consuetudinem. Polygamia vero est plurium conjugiorum concursus. Quando urget, ex ordinatione divina unius uxoris ad Adamum sequi, in societate conjugali non nisi duas personas esse debere, quoniam primum illud matrimonium ideam det aliis matrimoniis contrahendis, non repugno, sed illud plane concedo, & adeo verum esse sentio, ut statuam, pugnare contra naturam societatis conjugalis, si vir uno conjugio plures sibi jungat uxores. Ideo tamen non sequitur: ergo ordinatum est etiam a Deo, quod vir saltem cum una uxore unum conjugium habere debeat, & non possit plura conjugia cum pluribus uxoribus eodem tempore celebrare. Horsum etiam pertinent, quae §. *28. p. 36.* leguntur: Quod vero in textu nostro nihil contra polygamiam contineatur, inde demonstro, quod per duas personas, inter quas primum conjugium fuit insti-

ſtitutum, nihil aliud velit conſtituens, quam in quolibet matrimonio non plures perſonas, quam duas utriusque ſexus eſſe debere, eſſeque naturae matrimonii adverſum, ut vir cum plurimis foeminis ſimul conjungatur. Haec vero polygamiam non attinent. Ea enim non unum matrimonium viri cum pluribus uxoribus eſt, ſed plura matrimonis (matrimonia) cum pluribus uxoribus contracta continet, in quorum quolibet cum iſtius uxore vir una caro fit.

§. 47. Satis verborum; parum rei! Has quoque vanitates confoſſum a me, veritatis praeſidio & copiis innixo, feliciter iri, confido. Eſt ſcilicet tota illa fabella in fraudem veritatis ſine autoritate ſacrarum literarum & veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum adumbrata, atque adeo ipſa diſtinctio inter matrimonium & polygamiam ad eludendas Scripturas recens conficta, ut ſuos habeant receſſus polygamias Patroni, quo, velut ad aram, tuto confugiant. Verum non eſt, quod ab hac Gorgone nobis timeamus. Abſtruſum illud myſterium, quod hebetius meum bardumque ingenium non penetrare, dolet *D. Willenbergius*, verti in his videtur. 1. Diſtinguit, ſub praetextu juris divini, inter matrimonium vel conjugium, (utroque enim vocabulo perinde utitur,) & polygamiam; quae 2. differre ab invicem ipſi ita dicuntur, ut matrimonium conjunctionem unius maris uniusque feminae involvat, ſecus ac polygamia, quam per plurium conjugiorum concurſum unius viri cum plurimis uxoribus deſcribit; 3. dicit, ipſi matrimonii naturae adverſum eſſe, ut vir cum pluribus feminis ſimul conjungatur, quod polygamiae adeo non repugnet, ut potius natura ejus id ipſum depoſcat. Unde jam 4. intelligitur, matrimonium inter & polygamiam tan-

tantam dari distantiam, ut formaliter differant: quia utriusque natura ex contrariis, atque inter se pugnantibus, conflatur. Existimo, me bona fide sententiam Adversarii enumerasse. Quam vero nunc ipse ad praesens negotium ita applicat, ut concedat, primum matrimonium ideam dare omnibus matrimoniis contrahendis, neget autem, hoc ipsum de juribus polygamicis, quae jactat, quicquam detrahere.

§. 48. *Excipio* ad ista: 1. Immemor sui videtur *Dn. D. Willenbergius*, *cum*, quod in quolibet matrimonio non plures personas, quam duas esse debere, asserat, idque quoniam primum illud matrimonium ideam det aliis matrimoniis contrahendis; *p.36.32. tum*, quod formale inter matrimonium & polygamiam discrimen ponat, quorum natura adeo sit diversa, ut, quod uni adversatur, alterum formalitate sua includat. Statuere enim se scribit: pugnare contra naturam societatis conjugalis, si vir uno conjugio plures sibi jungat uxores; *p.32.* quod ipsum tamen essentiale est polygamiae. Ita vero discrepat ipse a consiliis suis. Etenim *praesidia j. d.* si evolvas, ipsum in alia omnia ivisse, ita praesens fiet, ut oculis videri queat. Loquatur ipse: id matrimonium (Protoplastorum) legem & regulam dare, ut quamdiu orbis esset, semper inter duos matrimonium fieret, non probatur, sed fingitur saltem. §. *12. p. 16.* Nota, ipsum non de polygamia, sed matrimonio loqui, ac pernegare, illud, ex idea primi illius, semper debere inter duos fieri. Haec quomodo cum recens dictis conciliabis? Si enim figmentum est, primum matrimonium legem dare, ut semper inter duos matrimonium fiat, ipse nunc figmenta serit, asserendo, Deum, constituentem primum conjugium, velle, in quolibet

matrimonio non plures perſonas, quam duas utriusque ſexus eſſe debere. *iterat. praeſid. p. 36.* Deinde, pro ſtabilienda polygamia, olim ex ipſo matrimonii nomine, nuptiis polygamicis in ſacris literis tributo, argumentatus fuerat: alio tempore, & poſt multiplicatos homines, Scriptura ſacra Abrahami, Davidis & aliorum matrimonia cum pluribus uxoribus dignatur matrimonii nomine, quae ſi ad primum exemplum matrimonii exigenda fuiſſent, omnia contra Dei ordinationem inita fuiſſent. *praeſid. j. d. §. 12. p. 16.* Argumentatio ita habet: nuptias polygamicas approbat Deus; quia nomine matrimonii illas dignatur. Verum enim vero ex doctrina *D. Willenbergii* matrimonii nomen polygamiae ſimpliciter non eſt applicabile, quippe quod ſtatum denotat polygamiae contradictorie oppoſitum. Oportet igitur ipſum receptui canere atque retexere alterutrum aſſertorum ſuorum, vel: naturam matrimonii polygamiae adverſari; vel: matrimonii notionem polygamiae recte impertiri, atque hinc in ſententiam ſuam concludi poſſe. *Uni tantum uxori conjunctum eſſe*, &: *non uni tantum eſſe conjunctum*, (quorum illud matrimonio, hoc polygamiae formalitatem ſuam confert,) contradictorie ſunt oppoſita. Nihil vero tam ἀπροσδιόνυσον eſt, quam ab uno contradictoriorum ad alterum affirmative argumentari.

§. 49. *Excipio*: 2. Adverſarium meum hac ipſa diſtinctione principium petere. Disceptamus de polygamia, jurene divino licita ſit, an minus? Ille ad argumenta, ex Scriptura ſacra ſibi oppoſita, reſponſurus, jubet nos ex mente Dei diſtinguere inter monogamiam & polygamiam; quo ipſo manifeſte petit id, quod eſt ἐν ἀρχῇ, ſupponendo tanquam verum principium, ex quo antithetice agi poſſit, de quo, num exiſtat? quaeſtio volvitur. Non igitur recto judicio, ſed errori diſtinctio

iſta

ista natales debet. Ita casses veritati insidiosissime instruuntur. Quando enim dictis Scripturae, monogamiam firmantibus, constrictum se teneri sentit, illico, ad asylum hoc se recipiens, respondet: dicta illa de matrimonio quidem, non vero de polygamia agere; callideque dissimulat, matrimonium, binario inclusum, nuptias polygamicas e civitate christiana plane atque omnino tollere. Non licet, exorta de existentia rei altercatione, ex ipso themate controverso membra distinctionis fabricare, pro elidendis rationibus thesi impugnandae oppositis. Hoc si licet Disputatori, omnia argumenta sibi opposita sola theseos suae, cui contradicitur, repetitione expedire poterit. Frequens & familiare est *D. Willenbergio* artificium, respondere ex thesi.

§. 50. *Excipio* 3. Si DEus duas quasi species societatis nuptialis ordinasset, *monogamiam* & *polygamiam*, utriusque etiam ideam in ipso primordio dedisset. Cum enim Christus responso suo in controversiis gamicis dato: *ab initio non fuit sic, Matth. XIX. 8.* viam nobis monstraverit addiscendi ex primo illo statu, quid fieri fas aut nefas sit: ipseque *Dn. D. Willenbergius* concedat, primum matrimonium ideam dare aliis matrimoniis contrahendis; merito mireris, quamobrem polygamiae ideam sapientissimus Creator praetermiserit, quam dare & necessarium, ne insigne polygamias bonum invidere hominibus videretur, & perfacile ipsi fuisset, si modo de plurimis Adamo sociabus prospexisset? Ita enim unus ille Parens in omnibus matrimoniis, singillatim spectatis, matrimonii; in cumulo eorum, polygamiae imaginem posteris dedisset. Id quod consilio suo, de amplificandis ex uno sanguine omnibus hominibus, integro manente, facere DEum potuisse, docui. Ille vero, aversari se confictum illum matrimoniorum cumulum, indicium fecit ipse, quando, Interprete Adamo, de Posterorum nuptiis locutus dixit: *Vir adhaerebit* non uxoribus suis, in plurali, sed *uxori suae* in singulari. *Genes. II. 24.* Ex quibus patescit, legem DEI, facto isto

primo promulgatam, ad ſocietatem nuptialem, quomodocunque ſpectetur, pertinere, DEumque ſuam voluntatem declaraſſe, de non conjungendis uni viro plurimis uxoribus. Quod, etſi jure naturae indifferens ſit, ex libero tamen ejus beneplacito humano generi interdictum eſt in prima ſtatus nuptialis inſtitutione, ubi unam feminam aeque ac unum virum creavit, jureque foederali conjunxit.

§. 51. *Excipio* 4. diſtinctionem illam, in qua omnis Adverſarii cauſa nititur, aliquid abſurdi involvere. Ipſi enim naturae matrimonii, quod diſſentiens fatetur *p. 36.*, repugnat: unum virum pluribus uxoribus ſimul conjungi. Implicat vero eſtque inauditum, quae per naturam fieri nequeunt, legibus prohiberi. Fruſtra ponitur lex de re, quae etiam ſine lege aliter ſe habere nequit. Quod de ſapientisſimo Legislatore non praeſumendum. *Noſtro* vero religio non eſt, legem gamicam in ipſa matrimonii inſtitutione latentem uni illi alligare, quod per rei naturam aliusmodi nec eſt, nec eſſe poteſt.

§. 52. Proximum eſt, ut commenta Willenbergiana de loco *Malach. II. 14.* juſtum examen ſubeant, quod vero non ſuſtinebunt. Reperias, me de illo in *vindiciis meis, p. 15. ſeqq.* & in *juſtitia cauſae, p. 86. ſeqq.* egiſſe. Contenditur de verbis Prophetae, *v. 15.* in fonte ita habentibus: ולא־אחד עשה ושאר רוח לו ומה האחד מבקש זרע אלהים quorum ego, veſtigia celeberrimorum Philologorum ac Exegetarum ſecutus, eam dedi verſionem: *Nonne unum fecit* (DEUS) *& nonne reſiduum Spiritus ipſi? Et cur unum illud? quaerebat ſemen DEI.* Quorum ſenſus eſt: Nonne DEus in creatione rerum unum par hominum creavit, virium affatim habens, ad plures producendum feminas, quippe qui Spiritu ſuo omnia creaverat? Quamobrem vero unum tantum par creavit? Quia quaerebat ſemen DEI, h. e. voluit homines ex nuptiis monogamicis autoritate ſua ſtabilitis liberos generare. Probavi mea: 1. quia verſio haec reſpon-

spondet textui originali; 2. quia explicatio ista consentanea est ipsi rei, vel historiae creationis. Fecit enim optimus Creator hominum non nisi unum par, idque haudquaquam ex defectu spiritus seu virium secus agendi, sed liberrimo placito, ut statum monogamicum fundaret. 3. quia Criticorum celeberrimi adstipulantur, quos Theologi & Juris-Consulti magno numero sequuntur. Quo nomine disputationem Jenensem *Dn. M. Henrici Gottlieb Reimii*, in h. l. *pro asserenda ex veteri etiam foedere monogamia*, commendavi, in qua *cum* ex phraseologia sacra, *tum* textus συναφεία sententia nostra confirmatur. Respondi etiam Adversario objectanti: quod non de polygamia, sed repudio uxorum vel divortio agatur; concedi id ipsum a me sine detrimento causae. Rationem enim, qua usus fuerit Propheta, ex prima matrimonii institutione derivatam: quod DEus non nisi unum par creaverit; fortissimum adversus polygamiam argumentum subministrare.

Ex adductis responderi nullo negotio potest ad ea, quae in *iteratis praesidiis c. 2. §. 26. p. 34.* regeruntur. Prosequar singula suo ordine. Respondet *D. Willenbergius:* 1. locum *Malach. II. 14.* brevissimis tangit *D. Weickhmannus*, §. 23. existimans, se omnia dubia cum R. Salomone & Coccejo in vindiciis citatis exhausisse, contra quae nihil responderim, nihil probaverim, nec versionem allatam destruxerim. Crepat oraculum suum Propheticum, quod nunc manus suas exercet, in quo regulam ex hermeneuticis inculcabit: *in explicatione loci Scripturae sacrae recurrendum esse ad fontes.* Ut felices successus laboris *Dn. Doctori* ex animo apprecor; sic quoque, ut ita absolvat eundem, ne aliis spicilegia relinquat, pla-

ne

ne voveo. Fallacia enim sunt puncta vocalia in textu Hebraico, & nulla accentuum certa & constans distinguendi ratio dari potest. Difficile est, vel ipsam patientiam legendis illis non defatigari. Multa hic lego, quae corrigi postulant. *Excipio:* (a) somnia ipsum sua referre, quando, crepare me oraculum meum propheticum, ejusdemque enodationem, in qua regulam hermeneuticam de consulendis fontibus sim inculcaturus, promisisse fingit, ut voto suo pro feliciori successu, ne spicilegia aliis relinquam, illudere mihi possit. Ubi vero ista legit? Mea sic habent: *In oraculo prophetico, quod nunc sub manibus est, regulam ex hermeneuticis non postremam prorsus neglexit: in explicatione cujusque loci Scripturae sacrae recurrendum est ad fontes. Quos si consuluisset, aut, quibus evolvere illos datum est, aliter judicasset. justitia c. P. spec. Sect. 2. c. 1. §. 23. p. 87.* Qui oculis vel leviter uti voluerit, observabit: me, *τῷ sub manibus nunc esse*, non explanationem loci evulgandam polliceri; sed innuere solum, quod de eodem cum Adversario scriptis nunc confligam. Neque, me regulam satis tritam novo specimine inculcaturum, dixi; sed merito indolui, eandem ab ipso prorsus neglectam fuisse. Sed familiare est ipsi, verba nostra pervertere, in alienumque sensum detorquere. (b) In versionibus Scripturae audiendi utique sunt, quibus genius linguae originalis cognitus est atque perspectus. Ipsum vero (c) nihil ad rationes respondisse; suamque sententiam non probasse, nec versionem allatam destruxisse, res ipsa loquitur. Utantur saltem Lectores collatione scriptorum, & habebunt hoc ipsum exploratum. (d) Fallacia vero esse puncta vocalia in textu hebraico, & nullam accentuum certam & constantem distinguendi rationem dari posse; responsio est ex arcanis methodi heroicae petita, carpere permittentis,

quae non capiuntur. Uno hoc ictu lites prolixissimae dirimentur, quae conscribendis integris voluminibus occasionem aperuerunt. Discite Philologi; discite Theologi, si quis versionem vestram ex pharetra vocalium aut accentuum textus originalis impugnaverit, brevi manu omnibus difficultatibus vos evolvere! Satis fuerit dixisse: puncta vocalia sunt fallacia, neque datur certa accentuum distinguendi ratio. Via compendiaria! Conferat *D. Willenbergius*, nisi grave fuerit, quae *Buxtorfius*, *Wasmuthus* & alii pro authentica punctorum autoritate scripserunt, & negotium, quod curet, sibi datum inveniet. Insequitur me: II. *Adversarius* meus per *unum* illum intelligit unum par primorum hominum. Contra ego cum Luthero & Osiandro Abrahamum intelligo, quia ab eo Judaeorum gens descendit, & ab *Esaia LI.* 2. unus appellatur. *Excipio:* 1. Luthero nihil adimo; sed dissentire ab illo, non puto flagitium esse. Qua innocua libertate multi alii ante me usi sunt, & usque adhuc utuntur. Non destituor calculo virorum gravissimorum. Stant hoc loco ex partibus meis *D. Tarnovius; D. Varenius; D. Friedlibius; D. Scherzerus; D. Siricius; D. Majus;* Theologi; illustris *D. Bergerus* & *Brouwerus;* Politici. 2. Descendunt Judaei etiam ab Adamo & Isaaco, utroque monogamo. Nullum vero in textu extat vestigium, ad nationis tantum originem respici; quin potius, altius adscendisse Prophetam ad primum usque totius humani generis caput ac fontem, constat ex v. 10. *annon Pater unus omnibus nobis? nonne Deus unus creavit nos?* 3. *Jesaiae LI. 2.* Abrahamus ac Sara suis nominibus appellantur: *Respicite ad Abrahamum Patrem vestrum, & ad Saram, quae parturivit vos. Nam unicum vocavi eum; sed benedicam illi, & multiplicabo eum.* Ubi tale quid in textu nostro? Fingit parallelismum lo-

corum, qui non adeſt. Non ſunt homogenea. Cur nihil dum reſpondit ad ea, quae ex *Coccejo* ipſi oppoſui: *haec* (quae de Abrahamo huc trahuntur) *nullum pondus habent. Quare Abrahamum* UNUM *diceret? Quare excuſaret factum ejus? Quid in illo reliquum ſpiritus ipſi? Nam* abundaſſe eum ſpiritu, *hac phraſi non dicitur?* Plura dabit *Reimius* in diſſert. ad h. l. ubi probavit: *plane incommodum ac violentum inde oriri ſenſum juxta eorum interpretationem, qui referunt textum ad Abrahamum.* Pergit Adverſarius III. Fallitur ille, quia duo, qui par conſtituunt, non unum ſunt, cujus unius in individuo Propheta mentionem facit. *Excipio:* 1. Niſi Adverſarium memoria falleret, obſervaſſet, ſe nunc ſibi ipſi litem movere. Nam §. *19. p. 27.* perſuadere nobis auſus eſt, *Act. XVII. 26. unum ſanguinem* unum par ſignificare; jam vero in vitio mihi ponit, quod per *unum*, nude poſitum, unum par intelligam. Quid violentius eſt: *unum ſanguinem, an unum* ſine addito, de uno pari interpretari? Omne adjectivum poſtulat ſubſtantivum; quod ſi non expreſſum fuerit, ſubintelligitur tamen & pro conditione materiae inſerendum eſt. 2. Fallitur ipſe, quod tum unum & individuum pro ſynonymis habet, tum in textu unum hominem in individuo intelligi putat, quia unius fit mentio. Ille enim argumentationis nexus eſt. *Quicunque de uno loquitur, ille loquitur de individuo; Atqui Propheta de uno loquitur; E. Propheta de individuo loquitur.* Porro: *Quicunque de uno individuo loquitur, ille non poteſt dici de duobus loqui; Atqui Propheta de uno individuo loquitur; Ergo Propheta non poteſt dici de duobus loqui.* In priori argumento *Major* falſa eſt. Unitas enim eſt affectio Entis ſimplex, quæ cum omni Ente, ſine disjunctione, reciprocatur. Omne Ens eſt unum; neque tamen omne Ens eſt individuum. Concluſio interim vera eſt. Poteſt enim quandoque

ex

ex falso verum sequi, sed per accidens & fortuito. *D. DANNHAUER, id. boni disput. p. 211.* Concedo igitur sententiam conclusionis, quanquam non beneficio Willenbergianae connexionis. Loquitur utique Propheta de individuo. Quod vero mihi frustra opponitur. Nam in posteriori syllogismo *Major:* Quicunque de individuo loquitur, ille non potest dici de duobus loqui, sine limitatione admitti non debet. Possunt nimirum duo vel *divisim*, ut tales; vel *conjunctim*, prout intercedente unione unum par sistunt, considerari. Priori respectu duo illi omnino non sunt unum individuum, sed duo; posteriori tamen duo illi unum individuum par constituunt, quod in plures quidem personas, non vero paria plura dividi potest. Hinc *Major*, si praedicatum de duobus divisim sumtis intelligatur, vera est; atque sic totum argumentum, illaesa causa mea, concedi potest; si de duobus conjunctim sumtis, falsa est. Ita enim duo illi in unum individuum par coëunt. IV. scribit: nec per unum illum Adamus intelligi potest, quia textus sensus monstrat, ob defectum aliarum foeminarum Adamo laudem dari non posse, quod non contemserit suam uxorem, & juxta *v.* 11. non filiam alieni Dei sibi elegerit p. 34. *Excipio:* 1. Noluit mea intelligere. Non commendatur Adamus, sed recensetur factum Dei, cujus in commate proxime praecedente meminerat Propheta: *Sed dicitis: quare? propterea quod JEHOVAH testificatus est inter te & inter uxorem juventutis tuae, contra quam tu perfide egisti; cum illa socia tua & uxor foederis tui.* Sequuntur nostra: *nonne unum fecit?* Quis? Idem ille, qui testificatus dicitur, *Deus.* 2. Qui posteriora: *quaerens semen Dei*, de Adamo interpretantur, quod *D. Varenium* facere dixi, respondebunt: Adamum laudem mereri, non, quod filiam alieni Dei non elegerit; sed quod, una contentus uxore, plures a Deo

non desideraverit. 3. Non satis fuit Prophetae, exprobrasse Judaeis, quod missis filiabus foederis alienigenas duxissent, v. 11; sed etiam insuper illud vitio ipsis dat, quod contra primum Dei institutum egissent, qui unum tantum par olim creaverat, a quo, non impetrata ab ipso Deo dispensatione, discedere licitum non fuerat. Addit V. Itaque nec probat, Prophetam pro uno pari creato dedisse rationem, quod Deo polygamia displiceat. *p.34.* *Excipio:* 1. Etiamsi nulla adesset ratio, non laboraret mea sententia. Sufficit, ex prima institutione: *Deum unum par creasse*, repeti, idque ad convincendum Judaeos ἀταξίας suae. 2. Probavi tamen rationem quoque adesse: quia quaesivit semen Dei; de quo paulo post. VI. Si quid esset, quod polygamiae obstaret, id sane de virorum, non mulierum polygamia intelligendum esset. Nam dicitur: *unum* nempe virum, non foeminam effecit. *p. 34.* *Excipio:* 1. Masculina quandoque apud Ebraeos pro neutro satisfaciunt, quod speciatim de nostro אחד observavit *D. DANZIUS in Interpr. Ebr. & Chald. p. 3. §. 2.* 2. Retineri genus masculinum sine periculo potest. Est locutio elliptica, per nomen substantivum supplenda. Quod vero non est *femina*, velut Adversarius, nostram explicationem deposcere, falso opinatur, sed *par*, Ebraeis dictum עמר quod masculini generis est. Etiam hic mentem nostram percipere aut noluit, aut per iracundiam non potuit. Non enim interpretatio mea est: *Deus fecit unam feminam*, sed: *unum par.* Quorsum igitur ab Adversario dicta? Instat VII. Sane indicat ab exemplo Abrahami inducta justitia, nihil perfidiae contra primam uxorem alere superinductionem alius, seu secundae uxoris, consequenter nec dici posse, polygamiam a Prophe-

pheta hic prohibitam esse p. 34. *Excipio*: 1. Fluunt ista ex hypothesi a me confutata, per *unum* Abrahamum intelligi. 2. Si exemplum Abrahami justitiam, ut loqui amat, inducit, juste etiam fecisse dicendus est, quod ex connubio Hagaris filium promissionis exspectaverit, plane contra mentem Dei promittentis. *Genes. XVI.* 3. Polygamiam prohiberi, probatum a me est. Tandem VIII. Nec dici potest, ex ea nasci impurum semen, seu illegitimos liberos. Nam sicut Abraham in polygamia quaesivit & invenit semen Dei, i. e. justos & legitimos liberos; ita & tales habuerunt alii. Quod patet ab exemplo populi Israëlitici, qui ortum suum polygamiae debuit, sed nullibi tamen ea propter reprehensus, aut ex instituto Dei, ut illegitime natus, a jure & commodis civitatis exclusus legitur. Deut. XXXIII. 2. ut potius magnis semper elogiis celebratus, quando appellatur Primogenitus Dei, Exod. IV. 22. Gens magna, Deut. IV. 7. 8. Populus sanctus Jehovae, Deut. VII. 6. ei peculiaris, Deut. XIV. 2. Psalm. CXXXV. 4. cujus ipse Deus Pater & fortis formator est. Deut. XXXII. 18. *Excipio*: 1. Repeto, quæ supra monui: aut abstrahendum nobis ab exemplis Patriarcharum esse, usque dum lis de existentia legis antipolygamicae perorata inter nos fuerit; aut integrum mihi relinquendum esse, ut parti adversae dispensationem divinam opponam. 2. Solenne cum sit Scripturae sacrae, rebus eminentibus nomen Dei tribuere, v. g. *montes Dei*, *cedri Dei*, non incongruum est, hoc loco semen Dei de liberis intelligere, ex conjugio Deo placente ejusque instituto conformi prognatis.

 3. Er-

3. Errat *D. Willenbergius*, ex encomiis populi Judaici ad approbationem polygamias Abrahamicae concludendo. Si enim dignitates illae nuptiis Abrahami polygamicis tribuendae essent, Deus iisdem si non omnem prosapiam Parentum polygamorum; saltem Ismaëlis, eodem cum Isaaco Patre prognati, cohonestasset. Committitur igitur fallacia causae non-causae. Deinde gens Judaica progenies erat Abrahami ex Sara, quae quoad viveret, apud maritum commorata, superinducta autem Hagar cum filio suo, jussu divino, foras exturbata fuit. Quod ipsum polygamiae causam evertit, tantum abest, ut pro firmanda illa stare queat. Tandem quicquid praeclari de gente Judaeorum dicitur, aut dici potest, id omne promissionibus divinis, foedere confirmatis, non confictae origini polygamicae vindicandum est.

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT IV.

De Genes. II. 24. coll. Matth. XIX. 5. 9. Marc. X. 7. 8. ejusdemque membrum primum:

Utrum his locis polygamia prohibeatur?

§. 1. *D. Willenbergius in Schediasmate enervare ausus est argumenta Ecclesiae, ex Gen. II. 24. collatis Matth. XIX. 5. 9. Marc. X. 7. 8. petita; quibus*

§. 2. *probari solet, polygamiam & prohibitam & adulterium esse. Formantur duo capitis membra, de polygamiae tum prohibitione, tum ratione adulterina.*

§. 3. *D. Willenbergius, prohiberi hic polygamiam, in Schediasmate negavit, responsisque suis prioribus cum ex parte insistit; tum novas subjungit in* iteratis praesidiis.

§. 4. *Autor I. inquirit in defensionem responsionum priorum; ideoque* (a) *repetit argumentum suum ex* vindiciis.

§. 5. *PRIMA D. Willenbergii responsio in* praesidiis j. d. *data.*

§. 6. *PRIMA Autoris exceptio in* justit. c. *ad quam D. Willenber-*

bergius in iteratis praesidiis *respondit NIHIL.*

§. 7. *SECUNDA exceptio Autoris in* justitia c.

§. 8. *Responsio D. VVillenbergii in* iteratis praesid. *quam*

§. 9. *Autor exceptionibus diluit.*

§. 10. *SECUNDA D. VVillenbergii responsio in* praesid. j. d.

§. 11. *Autoris exceptio in* justitia causae.

§. 12. *Responsio D. VVillenbergii in* iteratis praesid. *Quae*

§. 13. *examini subjicitur.*

§. 14. (b) *exceptionem suam, responsioni D. VVillenbergii, in Schediasmate datae, oppositam repetit.*

§. 15. *PRIMA D. VVillenbergii responsio in* iterat. praesid. *frustra probari matrimonium ex duabus tantum personis constare. Exceptio Autoris.*

§. 16. *SECUNDA D. VVillenbergii responsio cum exceptione Autoris: ex verbis Christi recte adversus polygamiam concludi.*

§. 17. *Examinatur responsio VVillenbergiana in* iteratis praesid. *Christus interpretando legem connubialem non evasit novus Legislator.*

§. 18. *TERTIA D. VVillenbergii responsio, cum exceptione Autoris, ex cujus hypothesi non sequitur, unum tantum in mundo matrimonium tolerandum esse.*

§. 19. *Examinatur responsio D. VVillenbergii in* iter. praesid. *de cujus sophisticatione Autor queritur.*

§. 20. *QUARTA D. VVillenbergii responsio, cum exceptione Autoris.*

§. 21. *Examinatur responsio VVillenbergiana in* iterat. praesid.

§. 22. *II. Digreditur Autor ad nova responsa D. VVillenbergii, quorum PRIMUM est, a matrimonio ad polygamiam non debere concludi. Excipit Autor.*

§. 23. *SECUNDUM: si in institutione polygamia prohibita fuit, omnia conjugia polygamica, & simultanea & successiva, damnanda esse. Excipit Autor.*

§. 24. *TERTIUM probationem exhibet theseos suae, a fine matrimonii petitam.*

§. 25. *Respondet Autor.*

§. 26. *QUARTUM enervare debet verba Legis: duo erunt in carnem unam.*

§. 27. *Excipit Autor in* genere, *confusam D. VVillenbergii Disputationem aegre ferens.*

§. 28. *Excipit* in specie: *D. VVillenbergium* (1) *textum mutilare.*

§. 29. (2) *soli praedicato inhaerere.*

§. 30. (3) *bis sibi contradicere.*

§. 31. (4) *formam conjugii cum fine conjungere.*

§. 32

§. 32. (5) *male, ex indissolubilitate vinculi & generatione liberorum cum secunda uxore, pro polygamia concludere.*

§. 33. (6) *communitatem mariti cum communitate uxoris confundere.*

§. 34. (7) *colligendo asserta sua, principium petere.*

§. 1.

HActenus mihi videor de textu Mosaico *Gen. I. 27.* ita dixisse, ut, quibus momenta rerum ponderare datum est, intelligere possint, me non animi pertinacia, sed ipsius veritatis lumine praepediri, ne in sententiam *D. Willenbergii* adducar: de instituto scilicet matrimonio haudquaquam hoc in loco agi, atque adeo causam antipolygamicam nullum inde auxilium experiri. Nihil enim nisi vana verba dedit, quae non possunt non incassum cadere. Proximus ab hoc, in quem impetum fecit, locus est *Gen. II. 24.* collatis *Matth. XIX. 5. 9. Marc. X. 7. 8. Derelinquet Vir patrem suum & matrem suam: & adhaerebit uxori suae: & erunt in carnem unam.* Quae a Christo, supremo Ecclesiae Doctore, in N. T. ita recitantur: *qui ab initio masculum & feminam fecit, dixit: propterea deseret homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carnem unam. Dico vobis, quod, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committat; & quicunque dimissam ducat, adulterium committat.*

§. 2. Duo hinc orbis Christianus, quantum ad praesens negotium attinet, una voce ac mente semper confecit. Quorum *prius* est: polygamiam a DEo, in ipsa status conjugalis institutione, prohibitam, ipsamque prohibitionem a Christo, legum divinarum instauratore, revocatam fuisse; *posterius:* eandem speciem adulterii esse. Videantur, quae in ipsis anni fluentis auspiciis triumphanti Ecclesiae adscriptus, nostrisque in desideriis adhuc haerens, *D. SAMUEL SCHELGUIGIUS, de polygamia ab universa Christi Ecclesia constanter profligata*, Nostro opposuit. Qui vero Ecclesiam DEI frustraneorum arguens cona-

na-

natuum, utrumque negat, in *Schediasmate* §. 5. & 6. ac negare pergit; in *praesid. j. d. p. 14.* §. 9. *seqq.* tandem & negata longius insequitur, in *iteratis praesidiis c. 2.* §. 27. *seqq. p. 35. seqq.* Quapropter, ut rem pro instituti ratione probe teneamus, neque disceptando huc illuc cursemus, in duo praesens caput distribui membra, primum de *probibitione polygamias* hic existente, deinde de *nota adulterii* polygamo impacta acturus.

§. 3. Domini *D. Willenbergii*, nulla prohibitionis divinae vestigia admittentis, sententia ita habet: frustra contra polygamiam adducitur *Gen. II.* 24. quia pluralitas foeminarum ibi non interdicitur, sed vinculi conjugalis indissolubilitas injungitur. Quam iterum ex hac lege Salvator *Matth. XIX.* 9. *Marc. X.* 7. 8. inculcat, & Pharisaeis interrogantibus divortiorum levitatem improbat. Qui sibi aliam foeminam jungit, non discedit a priore, sed cum utraque in individuam vitae consuetudinem conjunctus vivit, *Schediasm.* §. 5. Quibus in iteratis praesidiis partim videri vult inhaerere, partim nova inventa subtexit.

§. 4. Ordiar denuo a prius responsis, & ad nova dehinc progrediar, utrinque, quantum per indistinctam Adversarii misturam licuerit, compendiosissime rem acturus. In *Vindiciis* meis reperias, me aeque probatum dedisse existentiam legis prohibitivae, ac responsionem Willenbergianam exceptione mea repulisse. Probatio ita habebat: *in quocunque statu, ex mandato divino, non nisi duo homines diversi sexus una debent esse caro, in illo non licet marito plures una simul ducere uxores. Atqui in statu conjugali, ex mandato divino, non nisi duo homines diversi sexus una debent esse caro; Ergo in statu conjugali non licet marito plures una ducere uxores.* *Major* fidem me-

retur, ſimul atque legitur. Qui enim ſtatum inſtituit, in quo non niſi duos unam carnem eſſe jubet, quid, quaeſo, vult aliud, quam unum tantum cum una eſſe unam carnem? A quo polygamus diſcedit, non cum una tantum, ſed cum plurimis una evadens caro; etſi plurimae illae non niſi cum uno ſint una caro. Quod vero legi non ſatisfacit. Nam terminus *duo* utrumque complectitur, & virum & feminam, neutri concedens cum pluribus, ac uno & una, fieri unam carnem. *Minorem* probavi, quia 1. nonniſi duo erant, de quibus iſta Deus dixit; 2. quia Chriſtus binarium inſeruit: *duo*; & quidem 3. praefixo articulo, numerum determinante; imo 4. polygamum, ob ſuperinductionem alterius conjugis, adulterii accuſavit. Conf. *vindic. p. 18. 19.*

§. 5. *Dn. D. Willenbergius* in *praeſid. j. d. §. 9. p. 14.* bifariam reſpondit. *Primum:* ſe in his textibus non invenire, quod polygamiae repugnet. Quippe qui complexu ſuo nihil aliud contineant, quam 1. Deum par hominum creaſſe; 2. Deum eſſe Autorem conjugii, & conjugibus prolixam gratiae promiſſionem feciſſe; 3. ab Adamo & Eva primis duobus hominibus primum conjugium initum fuiſſe; 4. matrimonio datam eſſe legem, ut ſit inter conjuges individuum, divortio non ſeparandum. Plura in locis illis ſe non reperire. Non ibi monogamiam praeceptam, aut polygamiam ſimultaneam prohibitam eſſe.

§. 6. Adverſus quae ego duo excepi. *Primum:* Adverſarium meum, neglectis praemiſſis, ad concluſionem argumenti reſpondere, eamque ſola ſui ipſius autoritate impugnare. Concluſio erat: *in ſtatu conjugali non licet marito plures una ducere uxores.* Reſpondet ille per contradictoriam: omnino li-

licet. Nam monogamia in his textibus non est praecepta, nec polygamia prohibita. Cur vero non? Quia ego in textu non reperio. Verum, extare in textu, syllogistice probatum a me fuerat. Quae probatio per nudam contradictionem, autoritate contradicentis munitam, non evertitur. Jure igitur illum soloecismi Logici, quod ad conclusionem responderit, postulavi. Id quod sensisse ipsum oportuit, quia ad hanc exceptionem in *iteratis praesidiis* obmutuit, respondituque *NIHIL*.

§. 7. *Secunda* mea exceptio erat: non deesse JCtos illustres summaeque autoritatis, qui in textibus citatis & plura, quam *D. Willenbergius*, & ea ipsa, quae ego inde elicui, reperisse se fateantur. *Generosissimum* Reipublicae nostrae *Prae-Consulem*, qui adhuc, & utinam diu! in vivis est, *Dn. JOHANNEM ERNESTUM de LINDA, in Tractatu de Incestu, c. 3. p. 47.* ex phrasi legali: *derelinquet vir patrem & matrem suam,* acute conclusisse; nuptias in linea recta prohibitas esse. Quin etiam, praeter Illustrem *BERGERUM; CARPZOVIUM, BEYERUM, WERNHERUM, GRIEBNERUM,* Antecessores celeberrimos, pluresque alios, uno ore mecum docere, loca quaestionis legem nuptias polygamicas prohibentem nobis proponere. Vid. *justit. c. P. spec. Sect. 2. c. 2. §. 6.*

§. 8. Grave fuit Adversario, his censoriae suae severitatis notam non inurere. Quid vero in *iteratis praesidiis* dedit responsi? Recitabo ipsa ejus verba: facile prosterni possunt *Weickhmanniana*, quae ex tanta farragine verborum unicus paragraphus includet. Videant alii plura in textibus nostris, *§. 6. p. 92. justit. causae;* video & ego; sed quae non argumenti nostri, aut merae allegoriae, non argumenta. Allegoriis vero nihil

hil probatur, ſi non modum & medium probandi ipſa Scriptura Sacra ſuppeditet. *c. 2. §. 32. p. 38.*

§. 9. *Excipio:* 1. farraginem verborum mihi tribuit, ſine ullo indicio, ubi, & quando ego a legibus methodicis deflexerim. Ad farraginaria, ut molliſſime loquar, rectius forte retuleris elegantias, quibus ipſe in periodum ſubſequentem ingreditur: OBSECRETUR *Dn. D. Weickhmann* Lectorem per omnem veritatis amorem, *& c. p. 39.* 2. Qua vero fronte aſſerere ſuſtinet, plura illa, quae alii in textibus noſtris viderunt, non eſſe argumenti noſtri, aut meras allegorias? Provoco ad αὐτοψίαν; provoco ad ipſam ejus conſcientiam, num tueri a ſe ſcripta poſſit? Nonne noſtri argumenti ſunt, quae *BERGERUS: Bigamia ſimultanea omni jure divino vetita eſt, cum ob primam inſtitutionem & legem, Gen. I. 27. Malach. II. 18. tum ob textus Matth. XIX. Marc. X.* Nonne argumenti noſtri, quae *BEYERUS: probibetur polygamia jure divino & humano Matth. V. 32. XIX. 9.* Nonne argumenti noſtri, quae *WERNHERUS: polygamia probibita eſt, non quidem jure naturali; ſed tamen jure divino univerſali Matth. XIX;* Nonne argumenti noſtri, quae *GRIEBNERUS: Neque Daphnaeo, aut quibuscunque Polygamiae Patronis, concedo, non niſi humana lege hujusmodi conjugia illicita haberi, licet noviſſime BRUCKNER. Deciſ. matrim. c. 14. atque HOPPIUS cauſam hanc tuendam ſibi ſumſerit in Comment. ad §. 6. I. de Nuptiis. Nam vel unum illud Servatoris monitum, quod apud Matth. XIX. 9. exſtat, omnem nobis cauſam dubitandi de voluntate Dei ademiſſe videtur. Ex quo & virilem & muliebrem polygamiam vetitam eſſe, non obſcure, opinor, licet colligere. Add. Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Marc. X. 8. 1. Cor. VII. 4.* ſcripſerunt? Aut ſunt haec noſtri argumenti, aut ipſe *D. Willenbergius* inſcius eſt argumenti, quod in contentionem noſtram per-

pervenit. Prohibitio nuptiarum in linea recta non quidem nostri argumenti est, juste tamen Adversario a me opposita fuit, quia se plura, praeter recensita capita, in utriusque foederis textibus reperire, simpliciter negaverat. Neque hoc de illis tantum, quae solam monogamiam & polygamiam concernunt, capere poteram, cum plura alia, v. g. *Deum esse Autorem conjugii; primum matrimonium Adamum inter & Evam intercessisse &c.* recensuisset, de quibus nulla mihi cum ipso altercatio fuerat exorta. Cum igitur meas conclusiones sola autoritativa contradictione respuerit, necessitatem mihi impositam sensi provocandi ad alios, qui plura ac ille, in textibus repererint, & ex parte ea etiam, quae a me ad mentem Ecclesiae elicita inde fuerunt. 3. De allegoriis quae habet, interprete indigent. Loquantur Rhetores, quibus tamen fata, si sperare licet, mitiora, quam Logici sunt experti, apprecor. Referunt illi allegoriam ad affectiones troporum, quia a tropis primariis non forma, sed magnitudine differt, & plurimum continuatio est metaphorae. Conf. *Vossius.* Ostendat mihi consultissimus meus *Adversarius* vestigia saltem allegoriarum in omnibus textibus, quos ex aliis Scriptoribus ipsi opposui; & victas dabo manus. Gaudent omnes propria & perspicua dictione. Prohibitio nuptiarum in linea recta evincitur hoc argumento. *Quaecunque societas & derelictionem Parentum, & conjunctionem cum parte sociata in unam carnem, infert, illam coire Parentes cum liberis nequeunt. Atqui societas nuptialis & derelictionem Parentum &c. Ergo.* Libera hic fidem tuam, mi *Domine Doctor*, & proba: meras allegorias, non argumenta esse. Reliqui ex partibus meis stantes JCti uno ore ita concludunt: *Quaecunque societas, jure divino, non nisi inter unum & unam esse debet, illa non admittit polygamiam. Atqui societas nuptialis jure divino non nisi &c. Ergo.* Libera hic fidem tuam, mi *Domine*

Doctor, & proba: meras allegorias, non argumenta esse. Quod nisi probatum dederis, agnosces, liberiori te, ac Doctorem veritatis decet, calamo scripsisse: videant alii plura in textibus nostris, video & ego; sed quae non sunt argumenti nostri, aut merae allegoriae, non argumenta. 4. Non debent sine lima dimitti, quae sequuntur: allegoriis vero nihil probatur, si non modum & medium probandi ipsa Scriptura Sacra suppeditet. Confundit enim, quae sunt distinctissima, *medium* scilicet & *modum* probandi. Illud utique suppeditare debet Scriptura Sacra. Nam in quaestionibus, fidem & mores Christianorum concernentibus, medius terminus non nisi ex Sacris literis est derivandus. *Jesaiae VIII. 20. Gal. VI. 16. 2. Tim. III. 15.* Hunc vero, modum scilicet, quo ex medio illo vera elici debeat conclusio, non suppeditat Scriptura Sacra; sed habitus ille instrumentalis, quem Logicam appellamus.

§. 10. *Secunda* Adversarii responsio in *praesid. j. d.* §. *14. p. 20. 21.* concedere se, Christum mentionem facere duorum, & optare, ut tantum negotii mihi non fecissem in eo numero vindicando; nihil tamen videre, quo melius ex dicto Christi juvari possim, quam effato Patris coelestis. Indubiam rem esse, Genes. II. 24. tantum de indissolubilitate matrimonii agi. De eadem etiam & non alia agere Salvatorem Matth. XIX. 5. & 6. Marc. X. 7. 8. - - Christum ad mandatum divinum, quo in Statu conjugali non nisi duo homines diversi sexus conjuncti esse jubentur, provocare non video: nam ci-

citata verba Christi non ultra, quam se referunt ad praeexistentem legem, nec ultra controversiam Pharisaeorum extendenda sunt, quarum utraque saltem erat de insolubili vinculo matrimoniali, non de mulierum plurium copula.

§. 11. Ego excipiendo obsecravi Lectorem per omnem amorem veritatis, ut justum disputationis Willenbergianae aestimatorem ageret. Omne causae nostrae punctum in *numero personarum*, nuptialem societatem ineuntium, positum esse. Mearum igitur partium fuisse, docere, numerum binarium: *duo*, exclusive oportere capi; ex quo manifestum fieret: societatem illam, ex instituto divino, non nisi duas diversi sexus personas admittere. Quod unum de ponte Adversarium praecipitet. Qui perversissima ratione id ipsum, in quo cardo rei versatur, parvi faciens, non opus fuisse arbitretur, ut tantum negotii in eo momento vindicando mihi fecerim. *justit. causae P. spec. Sect. 2. c. 2. §. 8. p. 94.* Solent, qui respondendo inferiores se sentiunt, id agere, ut, rationes sibi oppositas in minimis ponendo, Lectoribus persuadeant, non esse, quod illis occupentur.

§. 12. Respondet jam ille in *iteratis praesidiis c. 2. §. 32. p. 39.* Obsecretur (obsecret) *Dn. D. Weickhmann* Lectorem per omnem veritatis amorem, ut agnoscat, quanta sit opera sua in vindicando numero duali pro *Gen. II.* ex interpretatione Christi apud Evangelistas, §. *8. p. 94.* Nam hoc ipso prodit ignorantiam suam, quod nesciat dualem numerum in diversis materiis tam arcte includi, ut sine sua opera constare possit, alium numerum excludi. *Matth. XXI. 31. XXV. 17. XXVII. 21. ad Galath.* (Galat.) *IV. 24. Eph. II. 15.*

15. Phil. I. 23. hinc multo magis dualem numerum perſonarum in primo conjugio ſtrictisſime accipiendum eſſe.

§. 13. *Excipio :* Ignorantiam mihi objectanti impenſe gratulabor, ſi tam locupletes vaſtiſſimae eruditionis gazas ipſe posſederit, ut nunquam dicere cum magno *HEINSIO* neceſſum habuerit : *quantum eſt, quod ignoramus !* Mihi vero hoc in negotio, praeter rem, ignorantiam exprobrari, ex dicendis ſatis planum evadet. 1. Minus accurate *dualem numerum* cum *binario* confundit. Graecis enim dualis numerus non binarium, cardinalem illum, ſed qui inter Singularem & Pluralem, in nominibus pariter ac verbis, medius eſt, ſignificat. 2. Falſa mihi tribuit, fingendo, me Lectorem obſecraſſe, ut agnoſcat, quanta ſit opera mea in vindicando numero duali. Ubi haec leguntur ? Rogavi Lectorem, ut de modo disputandi Willenbergiano ſententiam ferat. Ita enim mea habent : *obſecro Te, mi Lector, per omnem amorem veritatis, juraque, quae inter Eruditos vigent, in conflictibus eorum obſervanda, eſtne hoc disputare ?* Optime Vir ! Itane cum proximo, quantumvis ignorantiſſimo, agere fas eſt? Ubi fides; ubi conſcientia tua ? 3. Quando neſcire me ſcribis, dualem numerum (binarium) in diverſis materiis tam arcte includi, ut ſine mea opera conſtare poſſit, alium numerum excludi, minus accurate locutus videris. Nam in legibus divinae poſitionis, qualis & illa, de qua litigamus, erit, non materia numerum includit; ſed numerus materiam, hoc eſt, membra ſocietatis formandae determinat, ut, tertium quid ipſis addere, licitum non ſit. Caeteroquin me non latet, ex conditione materiae quandoque eluceſcere : num numerus excluſive, an ſecus, explicandus veniat ? Sed te quoque non fuge-

re

re debet, cum, non ſemper numeralia excluſive uſurpari, quin potius quandoque certa numeri ſpecie indeterminatam multitudinem denotari; tum, in noſtro negotio a Patronis polygamiae de eo inprimis litem nobis moveri: num in verbis Chriſti: *duo erunt in unam carnem*, τὸ duo ſenſum excluſivum habeat? Quo ipſo jugulum petitur cauſae polygamicae. Probe hoc intellexit *THEOPHILUS ALETHEUS*, ideoque magno conatu excluſivam impugnare laboravit *in polygam. triumph. th. 28. p. 168*: *Quod vero regeritur ex verbis illis*: erunt duo (*non tres, non 4. 5. 6.*) in carne una; *ſciendum eſt primo, Deum inſinuare his verbis, quod duo ad minimum faciant conjugium, ſicut duo amicitiam, tres collegium ad minimum. Secundo notandum, numeralia: duo, tres, aliaque non ſemper excluſive ſumi in Scriptura* &c. Quid? quod ipſe olim te hoc negare memineris, in *praeſidiis j. d.* asſerendo: verba Chriſti: *duo erunt in unam carnem*, tantum inſolubile vinculum matrimoniale inferre, non vero mulierum plurium copulam prohibere. Et, paucis interjectis: jam nuda ſtat Autoris aſſertio, in ſtatu conjugali tantum duos homines eſſe debere. *p. 21.* Porro: neceſſitas conjunctionis duorum in conjugio non apparet ex mente Chriſti, cui non erat intentio novam legem de ſervanda monogamia Scripturae inſerere, ſed legem jam a Patre ſuo latam interpretari. Talis autem non extabat de conjunctione duorum tantum in matrimonio, (nunc vero contradictoriam amplecteris & defendis,) ſed de conjungendis conjugibus inſolubili vinculo. *p. 23.* Haec ipſa ſunt, quae me compulerunt, ut pro excluſiva binarii ſignificatione militarem,

quod praeterire te non potuit, in *vindiciis* meis legentem: *de exclusiva*, scilicet binarii, *litem nobis motum iri video. p. 19.* §. *8. Ast in vado sumus &c.* Tu vero, quod negatione tua mihi extorsisti, ex ignorantia a me factum esse, contra conscientiam comminisceris, saltem, ut ipse tibi occasionem fingas ludibrio mihi illudendi. Cogita tremendum supremi Judicis tribunal, coram quo, nisi resipueris, quod ex animo apprecor, de inanibus his atque probrosis verbis ratio tibi erit reddenda. *Ecce! Judex ante fores stat! Jacobi V. 9.* Postquam vero nunc, novo exstructo asylo, quod distinctio inter matrimonium & polygamiam praestare tibi debet, idem illud, quod olim negaveras, a te ipso discedens largiris: binarium *duo* pluralitatem uxorum excludere, Christumque duorum mentionem ideo fecisse, ut matrimonii naturam repeteret, quod ea plurium, quam duarum personarum societatem respuat, *p. 39;* sponte fateor, me onere probandi relevari. 4. Exemplis, ex sacro Codice collectis, quibus succurrere ignorantiae meae videri cupis, supersedere prorsus potuisses. Duo enim eorum, nempe *Gal. IV. 24. Phil. I. 23.* a me ipso jam indicata fuerunt, & cum reliquis omnibus articulum sibi praefixum habent, cujus officium esse, numerum definire & determinare, in *Vindiciis* ipse docui. *p. 19.*

§. 14. Hactenus de argumento meo probante. Quia vero *Dominus D. Willenbergius in Schediasmatis* §. *5.* ad *Gen. II. 24.* responderat: pluralitatem foeminarum non ibi interdici, sed vinculi conjugalis indissolubilitatem injungi. Quam iterum ex hac lege Salvator *Matth. XIX.* 9. *Marc.* 7. 8. inculcet, & Pharisaeis interrogantibus divortiorum levitatem improbet. Qui sibi aliam foeminam jungat, non discedere a priore, sed

cum

cum utraque in individuam vitae consuetudinem conjunctum vivere; excepi ego: indissolubilitatem matrimonii cum monogamia non pugnare, ut a positione illius ad destructionem hujus concludi, fas sit; quin potius utramque subsistere simul posse, & actu hoc loco subsistere, palam esse, quia non modo maritus jubeatur adhaerere uxori, sed numerus etiam definiatur colentium societatem, in qua adhaesio fieri debeat. Nec obstare, quod Pharisaei non de polygamia, sed divortio Christum interrogaverint: posse enim responsum amplius quandoque esse ac quaesitum, id quod exemplis illustravi. Neque nos ex quaestione Judaeorum; sed ex responsione Christi argumentari. Adversarii vero causam nihil juvari, quod polygamus non discedat a priori conjuge, sed cum utraque conjunctus vivat: quippe quod a reatu divortii quidem, non vero violati tori immunem ipsum praestare possit. Vide haec latius deducta in *Vindiciis p. 19. seqq.* & *justit. caus. p. 95. seqq.*

§. 15. *D. Willenbergius*, si unquam, hoc profecto loco, non ratione, sed tumultu res suas egit. Quapropter non singula ex meis, sed ea tantum repetam, quae rodenda hinc inde evulsit, modeste ad illa responsurus. *Prima* ejus responsio ad numerum personarum spectat. Probaveram in *justit. c. p. 96. §. 10.* argumento in formam redacto, Christum de matrimonio utrumque asserere, quod & indissolubile & monogamicum esse debeat. Respondet ad ista in *iteratis praesidiis:* probet, quot velit, argumentis, matrimonium tantum ex duabus personis consistere debere, §. *10. p. 96.* his enim non infringit jus polygamiae, quae constat ex pluribus simul contractis matrimoniis, quorum quodlibet duas tantum jungit personas. *c. 2. §. 32. p. 39.* *Excipio* 1. olim vero negaverat, vi sanctionis di-

vinae matrimonium ex duabus tantum perſonis conſiſtere, Lectori perſuaſurus, verba legis: *duo erunt in carnem unam*, praeter vinculi indiſſolubilitatem, nil quicquam inferre aliud: indubia res eſt, *Gen. II.* 24. tantum de indiſſolubilitate matrimonii agi. *praeſid. j. d.* §. *14. p. 20.* Probanda igitur mihi contradictoria erat; nec eſt, quod jam probationem, tanquam otioſam, mihi exprobret: probet, quot velit, argumentis &c. 2. Jus polygamiae utique infringitur, ſi concedatur, quod nunc ab Adverſario conceditur, matrimonium, ex inſtituto divino, tantum inter duos dari; id quod plus ſimplici vice probatum a me fuit. Qualis enim ſtatus a Deo primum inſtitutus eſt, talem in eſſentialibus ſemper eſſe oportet. Conf. quae *capite praecedente* §. *47. ſeqq.* pro explodenda diſtinctione, inter monogamiam & polygamiam, tanquam duas diſtinctas ſocietatis nuptialis ſpecies ab ipſo Deo ordinatas, diximus; & quae porro §. 22. hujus capitis dicturi ſumus.

§. 16. *Deinde* regerit: reſponſionem Chriſti, Phariſaeis datam, ad prohibitionem polygamiae extendi non poſſe, quia haec in prima inſtitutione non prohibeatur. Scilicet negaverat in *Schediasmate p. 5.* & in *Praeſidiis p. 20.* ex reſponſo Chriſti: *duo erunt in carnem unam*, concludi contra polygamiam poſſe; quia Phariſaei de divortio, non de polygamia ipſum interrogaverant. Argumentum erit tale: *De quacunque re non egit quaeſtio Phariſaeorum, de illa etiam ex reſponſione Chriſti nihil concludi poteſt. Atqui de polygamia non egit quaeſtio Phariſaeorum; Ergo etiam de polygamia ex reſponſione Chriſti nihil concludi poteſt. Majorem* fallere, probavi, quia 1. reſponſio, dummodo quaeſito ſatisfecerit, culpanda non ſit, quod plura complectatur, quam ipſa quaeſtio; 2. frequenter tale quid obſervetur in colloquiis Chriſti; 3. unus medius terminus applicabilis ſit multis concluſionibus; 4. omne concluſum mereatur

tur admitti, inter quod & verba, ex quibus elicitur, nexus demonſtrari queat. *Juſtit. cauſ. p. 100. 102.* Reſpondebat *Adverſarius:* Chriſtum non provocare ad mandatum Dei. *Excepi:* 1. non opus hoc eſſe, cum ipſe ſit Legislator, cui manus dare, ejusque autoritati concedere litigantes oporteat. 2. Adverſarium hac ipſa reſponſione docere, ſe verbis Chriſti convictum eſſe, neque habere, quod in nexu conſequentiae deſideret; 3. falſum tamen eſſe, Chriſtum non provocare ad legem, *annon legiſtis*, inquientem, *quod is, qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecerit eos. Et dixit: propterea deſeret homo patrem ſuum & matrem, & adhaerebit uxori ſuae, & erunt duo in carnem unam.* Denuo reſpondit Noſter: Chriſto non fuiſſe intentionem, novam legem de ſervanda monogamia Scripturae inſerere; ſed legem, jam a Patre ſuo latam, interpretari. Talem autem non extitiſſe de conjunctione duorum tantum in matrimonio, ſed de conjungendis conjugibus inſolubili vinculo. *Praeſid. j. d. p. 23.* *Excepi:* multum hic quoque fallere virum conſultiſſimum, ſibique ipſi eſſe contrarium. Hoc ipſo enim, dum fateatur, Chriſtum legem connubialem a Patre ſuo latam interpretatum fuiſſe, ipſum teneri, ſenſum admittere, verbis interpretationis conformem, minime ideo rejicibilem, quod non in lege expreſſis verbis contineatur. Si contineretur, non opus eſſe interpretatione. *Juſtit. c. p. 103.*

§. 17. His vero ita adverſatur in *iteratis praeſid. p. 39.* Cum ex prima inſtitutione conjugii nullam nec ex verbis, nec per conſequentiam protulerit legem contra polygamiam, fruſtra Chriſti reſponſum ultra quaeſitum Phariſaeorum ad prohibitio-

tionem polygamiae extendit, §. *11. p. 100.* nam nova lex esset a Christo lata, quam Salvator non tulit. Textura haec est: aut Christum dicendum esse novum Legislatorem; quod analogia fidei non admittat: aut ex responso ejus male contra polygamiam concludi. Ratio: quia ego ex prima institutione conjugii, nullam nec ex verbis, nec per consequentiam protulerim legem contra polygamiam. *Excipio* 1. Quaero ex Adversario: num ex praecepto decalogi sexto: non moechaberis, probatum mihi dare posset, aspectum mulieris libidinosum, sub adulterii notione, a Deo prohiberi; nisi Christus *Matth. V. 28.* dixisset: *quod si quis aspexerit mulierem alienam, ita ut concupiscat eam, jam adulterium cum illa commisit in corde suo?* Num ex praecepto quinto: non occides; iram, convicia gestusque iracundos parem cum homicidio reatum contrahere, nisi Christus v. 22. id docuisset, & quidem verba legis interpretando? Quae harum legum est ratio, eadem etiam primae illius: *erunt in carnem unam.* 2. Ejusmodi in casibus non dicendus est Christus novam tulisse legem; sed sensum legis circumcisae, primo intuitu non omnibus obvium, evolvisse. Quae studiosius adauxi in *justitia c. p. 98.* *Quis rectius tabulas judiciarias interpretabitur, quam ipse Legislator? Interpretationi ab ipso factae non licet legem opponere, quam interpretandum sibi sumsit, etsi in illa tam perspicue contineri nobis non videatur, quod contineri interpretatio docet.* Verum Antagonista meus, quae adversari sibi sentit, nec vidisse, nec legisse se callide simulat. 3. Me nullam ex prima institutione contra polygamiam legem protulisse, gloriose tricatur. Probavi aliquot argumentis, quorum ne unicum vel digito tangere ausus est. Argumentor denuo: *In quacunque institutione sancitur, unum tantum cum una esse unam carnem, in illa lex, prohibens polygamiam, latet; Atqui in prima societatis nuptialis in-*

institutione sancitur, unum tantum cum una esse unam carnem; Ergo in prima societatis nuptialis institutione lex, probibens polygamiam, latet. Major probatur: quia in polygamia unus, non cum una, sed cum pluribus, una evadit caro. *Minor:* quia vi sanctionis primaevae, interprete Christo, *duo*, & quidem exclusive, debent esse una caro. Respondeat formaliter, aut desinat impacto probationis defectu mihi insultare.

§. 18. *Tertium* negat: ex eo, quod status a Deo ordinatus ad universum genus humanum pertinuerit, sequi: polygamiam prohiberi. Quae vero ἀτοπώτατα, prorsusque a scopo aliena sunt. Quod ut intelligatur, observandum, *D. Willenbergium* eruditam, ut ille appellat, observationem ex *Bruckneros* citasse, qua omnia acta mea convulsum iri putavit: Christi argumentum, *Matth. XIX.* 8. ab initio non fuisse sic, ultra intentionem ejus de indissolubilitate conjugii extendendum non est, alias etiam sequeretur, plura, quam unum matrimonium in orbe non toleranda, sed reliqua omnia ex orbe proscribenda esse, quia ab initio etiam non fuit sic, ut plures, quam duo essent in una carne. *Praesid. j. d.* §. *14. p. 21. Excepi:* me vix credere posse, & *Brucknerum* & *D. Willenbergium* serio ita sentire. Ipsum enim Deum declarasse, se, Evam Adamo jungendo, Statum ordinare non duos illos tantum concernentem; sed universum genus humanum. Quod probavi, quia 1. finis praestitutus, nempe multiplicatio hominum, per unum illud matrimonium obtineri non poterat; 2. quia maritus jubetur Patrem & Matrem deserere, suaeque uxori adhaerere, cum tamen Adamus Parentes non habuerit. Quapropter hominis non leviter insanientis fore, si quis verba Christi: *ab initio non fuit sic*, ipsi matrimonii institutioni, divinaeque super illa factae

de-

declarationi opponere vellet. Quodsi Deus pari ratione mentem suam in prima institutione de polygamia declarasset: Protoplastorum quidem matrimonium monogamicum esse, non vero hoc quicquam de juribus Posterorum polygamicis detracturum, quippe quae integra ipsis reservari debeant; nemini concedendum, verba Christi: *ab initio non fuit sic*, in fraudem hujus explanationis interpretari. Nihil vero horum in historia creationis legi. 3. Posse matrimonia multiplicari sine polygamia; non vero mundum hominibus, usque dum ad finem seculi, expleri, sine multiplicatione matrimoniorum in diversis paribus. *Justit. caus. p. 108.* Addo 4. me non solum ex hoc ipso epiphonemate: *olim non erat sic*; sed cumprimis etiam ex illo: *duo erunt in carnem unam*, contra polygamiam pugnare.

§. 19. His vero *Dn. D. Willenbergius* in *iteratis praesidiis* ita contradicit: Valeant ejus commentationes Bruckneró & mihi oppositae, quod status matrimonialis a Deo non ad primos duos homines ordinatus fuerit, sed ad universum genus humanum, §. 13. p. 108. valebunt tamen, ipso *Adversario* meo non diffitente, quod tantum excludant plures personas a quolibet matrimonio, quam duas. Polygamia seu multiplicatio matrimoniorum hoc ipso non excluditur. *c. 2. §. 32. p. 39.* Tu vero, cordate Lector, sententiam feres, num hoc disputare sit, an ludere? Ego absurdum mihi impactum: ex doctrina mea secuturum, *unum tantum matrimonium in orbe tolerandum esse, quia olim unum tantum fuit*; a me depulsurus, dixi, conformitatem matrimoniorum omnium cum primario non trahendam esse ad ea, quae ipsi institutioni repugnent. Palam enim esse, quod in Protoplastis societas nuptialis omnibus eorum posteris ordinata a Deo fu-

fuerit; Ergo ſartam tectamque manere, quam vi verborum Chriſti urgeo, matrimoniorum cum primo convenientiam, etſi illa in plurimis paribus multiplicentur. Ille reſpondet: ordinationem divinam, in gratiam poſterorum factam, valere qua excluſionem plurium perſonarum a quolibet matrimonio, non vero a polygamia. Prorſus non ad rem. Nunc enim non de polygamia diſquiritur; ſed de eo, utrum ex doctrina: quale olim inſtitutum fuit matrimonium, tale etiam ſemper eſſe apud omnes in mundo debet; ſequatur: Ergo etiam non niſi unum matrimonium in univerſo orbe tolerari debere? &: numne axioma illud firmum maneat, etſi ad ea, quorum contrarium in ipſa inſtitutione manifeſto continetur, ſe non exporrigat? Quam longe ab his reſponſione ſua *D. Willenbergius* diſcedit? Qui cum inhaerere deberet abſurdo, cujus me per principia mea inſimulaverat, ejusque nexum cum his demonſtrare, miſſo illo, relabitur ad polygamiam, toties dicta recoquendo: ordinationem divinam plures, praeter duas, perſonas a quolibet quidem matrimonio excludere; non vero a polygamia: idque ſe, me non diffitente, ſcribere jactat. Quis vero in ſpem Adverſarium adduxerit, me id ipſum non negaturum eſſe, conjectura aſſequi non poſſum. Ex hucusque dictis & porro dicendis ſpe iſta deturbatum ſe jam ſentiet.

§. 20. Ultima non melioris ſunt aeſtimanda. Conatus porro eſt *Adverſarius* meus cum *Brucknero* ſuo, Eccleſiam ad abſurdum deducere: Si omnia & in omnibus ſic, & non aliter, eſſe poſſunt ac debent, quam ſicut fuerunt ab initio inſtitutionis, Sacra Coena quoque non pluribus, quam duodecim maribus ſimul, & quidem non ſecularis, ſed eccleſiaſtici ordinis, diſtribuenda eſt. *Praeſid. j. d.* §. *14. p. 21.* *Excepi:* negando,

me, vel alium quemcunque ex noſtris, docuiſſe: omnia & in omnibus ſic, & non aliter, eſſe poſſe ac debere, quam ſicut fuerunt ab initio inſtitutionis. Conformitatem illam in *eſſentialibus* tantum ponendam eſſe, quale quid numerus in uno complexo & in genere moris ſit. Neque Chriſtum unquam dixiſſe: *duodecim debent intereſſe Sacrae Coenae*, ſicut dixit: *duo debent eſſe una caro.* Quodſi autem collatione matrimonii cum Sacramentis uti voluerimus, multum ponderis doctrinae monogamicae acceſſurum. Quemadmodum enim non liceat in baptiſmo aquam, in S. Coena panem & vinum, cum alia materia permutare; ita nec determinatam a Deo bigam in trigam, aut quadrigas pervertere; docente B. meo Praeceptore, *D. VALENT. ALBERTI*, in *Compend. J. N. P. 2. c. 10. p. 179.*

§. 21. His ſequentia in *iteratis praeſidiis c. 2. §. 32. p. 39.* opponi videas: Sit, quod inſtitutio Sacramenti non norma ſit in circumſtantiis, *d.* §. *13.* nobis ſufficit, quod per inſtantias illas refringatur vis argumenti, ab Adverſariis ex verbis Chriſti deſumti: *ab initio non erat ſic.* Illae enim clare demonſtrant, verba illa ultra intentionem Chriſti citra abſurditatem extendi non poſſe, ut verba habent Bruckneri, *Deciſ. matrim. c. 13. n. 46. in f.* *Excipio* 1. Quia Conſultiſſimus *Dominus Doctor* Logica phraſi: *per inſtantias infringi vim argumenti,* uſus eſt ipſe, mihi etiam veniam dabit, Logice haec exploraturo. Argumentum meum eſt: *Quicquid ad eſſentiam ſtatus nuptialis pertinet, illud ſemper ab hominibus in hoc ſtatu obſervari debet. Atqui binarius perſonarum ad eſſentiam ſtatus nuptialis pertinet; Ergo binarius ſemper ab hominibus in hoc ſtatu obſervari debet.* *Majorem* probo: quia qualis ſtatus vel actus in eſſentialibus a Deo inſtitutus eſt primum, talem eti-

am

am apud nos ſemper eum eſſe oportet. Homini enim, tanquam inferiori, conceſſum non eſt, inſtitutionem Dei commutare. *Minorem* probo: quia perſonae materia ſunt hujus ſtatus. Materia autem & forma, tanquam cauſae interna, ad eſſentiam rei pertinent. Quisquis jam vim argumenti inſtantiis infringere vult, is tenetur exempla proferre actus vel ſtatus alicujus, ab hominibus juſto titulo, ita immutati, ut qua eſſentialia alius evaſerit, ac primum a Deo fuit inſtitutus. Idne praeſtitit *Dn. D. Willenbergius?* Nihil minus! Provocat cum *Brucknero* ad Euchariſtiam, hoc modo: aut concedendum eſſe, nos a prima ſacrae Coenae inſtitutione longius diſceſſiſſe, obſervando non amplius eundem Convivarum numerum; neque diſpenſando illam ſolis maribus, iisque eccleſiaſtici ordinis, ſed & Laicis, quin feminis etiam; quae omnia aliter ſe olim habuerint in prima inſtitutione: aut largiendum eſſe, nos nulla neceſſitudine compelli, ut ſtatum aliquem aut actum talem ſemper teneamus, qualis a Deo primum fuit inſtitutus. Ecquis vero tam vecors, tamque demens eſt, qui non videat, inſtantiam illam axioma meum nihil ferire, quippe quod non de circumſtantiis, ſed illis, quae eſſentiam rei ingrediuntur, agit, & in hisjus reformandi hominibus denegat? Quo jure igitur ille ſcribere eſt auſus: Sit, quod inſtitutio ſacramenti non norma ſit in circumſtantiis, nobis ſufficit, quod per inſtantias illas infringatur vis argumenti, ab Adverſariis ex verbis Chriſti deſumti: ab initio non erat ſic? Idem eſt, ac ſi dixerit: etiamſi tu de eſſentialibus, ego de circumſtantialibus; tu de alliis, ego de cepis, ſimus locuti; tamen gloriabor, me tibi contradixiſſe, vimque argumenti tui infregiſſe. Belliſſima diſputandi methodus! 2. Intentio Chriſti verbis ejus non debet opponi, neque ſenſus, quem haec nativa ſua uſitataque ſignificatione inferunt, eo ſub praetextu rejici,

quod intentioni ejus non respondeat. Ille vero sensus, uti compluries probavi, totus pro me militat.

§. 22. Ordo jam deducit me ad reliqua, quae repetitioni priorum responsorum praemisit in *iteratis* suis *praesidiis*. Initium fecit a testimonio Theologi Regiomontani, *D. Zeidleri*, quo hastam sibi ministrari, falsus animi opinatur; de quo in Parte Apologiae nostrae posteriore dicendi erit locus. Inter ratiocinationes *primum* occurrit distinctio illa, qua etiam supra ex difficultatibus, *Genes. 1. 27.* evolvere se frustra fategit, inter polygamiam & monogamiam; quas distinctas species Deus statui nuptiali adornasse ipsi dicitur. Loquatur ipse: Deus nihil aliud voluit, quam in quolibet matrimonio non plures personas, quam duas utriusque sexus esse debere, esseque naturae matrimonii adversum, ut vir cum pluribus foeminis simul conjungatur. Haec vero polygamiam non attinent. Ea enim non unum matrimonium viri cum pluribus uxoribus est, sed plura matrimonia cum pluribus uxoribus contracta continet, in quorum quolibet cum istius uxore vir una caro fit. -- Haec cum ita sint, constat, nihil polygamum contra primam institutionem agere, sed per quodlibet matrimonium unam conjugem accipere, ac unam carnem fieri cum eadem, quod naturae conjugii non adversum esse, jam ulterius deducendum erit. *c. 2. §. 28. p. 36. Excipio:* Copiose de hac distinctione a me actum, omnisque machina complanata est in capitis proxime praecedentis §. *27. seqq.* Obsecro te, mi Bone, quem meliorem Deus reddat! amplectere, quicquid ejus

rei

rei eſt, animo tuo aliquanto amplius! Eo te redegit veritas, ut mihi olim a te negata concesseris, primum nempe illud matrimonium ideam dare omnibus aliis matrimoniis; cur igitur Deus non pari ratione polygamiae, cui tu tantum conſtituis pretium, ut vel ſanctiſſimo Numini de macula invidiae metuas, ſi eandem mortalibus prohibuiſſet, ideam dedit in primo illo matrimonio? Numquid credendum de ſapientiſſimo optimoque Deo, ipſum in ſtatus fundatione, ad quam, tanquam normam, Chriſtus homines allegavit, ideam unius tantum ſpeciei dediſſe, praeterita altera illa, in qua tantum hominis bonum verſatur, ut abſit, Deo prohibitionem tribuiſſe? Quid multis? Ipſa Chriſti reſponſio confictum illud polygamiae jus radicitus evertit. Niſi enim animum induxiſſet jura monogamica confirmare, cur numero uſus fuiſſet *duo?* Et quaeſito ſatisfeciſſet, & jura polygamica putatitia ſervaſſet integra, dicendo: *Conjuges debent eſſe una caro.* Binario autem uſus, quid, quaeſo, innuit aliud, quam in ea ipſa ſocietate, cujus vinculum ſolvi ab homine, non eſt licitum, unum tantum cum una debere eſſe unam carnem? En! profligatam polygamiam! Accedit & hoc: ſi polygamia divinitus conceſſa fuiſſet, Chriſtum Phariſaeis, de repudio uxoris odioſae ſciſcitantibus, rectius fuiſſe conſulturum, ſuadendo polygamiam: ſi a conjuge faſtidio & ſatietate abalienatum te ſentis, non eſt, quod illam dimittas; ſed ſuperinducito aliam. Ita & legi & votis maritorum cautum ſatis fuiſſet. Sed optimus Magiſter multo ſapiebat diverſiſſima. En! proſtratam polygamiam! Tandem nec illud praetereundum: etſi polygamus non ſingulis uxoribus ſeorſim ſpectatis peculiare conſtituat conjugium; totam tamen uxorum cohortem cunctaque conjugia complexive ſumta compoſitam formare ſocietatem nuptialem, in qua unus non cum una, ſed pluribus eſt una caro. En! everſam polygamiam!

§. 23. *Deinde* probare tentat, in matrimonio Protoplastorum monogamico nullam latere legem, polygamiae adversam: Statim vero removendum dubium, quod, cum una tantum fœmina Adamo in conjugium oblata, lex imposita videatur, ne habeat vir, nisi cum una fœmina, societatem conjugalem. Verum hanc consequentiam ideo infirmam esse puto, quia post Adamum, reliquorum hominum plura cum pluribus uxoribus conjugia omnia damnanda essent, tam monogamica, quam polygamica, quia omnium eadem est ratio, quod unus vir plura habuerit conjugia cum pluribus uxoribus, cum unaquaque tamen separatam societatem conjugalem. Itaque Deus per unam illam Adamo adjunctam uxorem ultra hoc nihil intendit, quam ne per unum matrimonium uni plures, quam una, uxores jungantur, non quoque, ut vir plura cum pluribus non contrahat matrimonia. *iter. praesid. c. 2.* §. *29. p. 36. 37.* Persequitur eandem viam, qua supra jam se consecuturum putavit, ad quae nititur, deductione nimirum ad absurdum. Ex mente ejus ita concludendum erit: *Ex quocunque principio sequitur, omnia conjugia cum pluribus uxoribus, tam monogamica, quam polygamica, damnanda esse, illud ipsum fallax est & improbandum. Atqui ex principio Ecclesiae, a me defenso: quod scilicet in conjugio Protoplastorum monogamico lex lateat, polygamiae adversa, sequitur: omnia conjugia cum pluribus uxoribus, tam monogamica, quam polygamica, damnanda esse; Ergo principium illud Ecclesiae, quod scilicet in conjugio Protoplastorum monogamico, &c. fallax est & non*

ad-

admittendum. *Excipio:* quia hic commiſcet diſtinctiſſima, nuptias nimirum polygamicas ſimultaneas cum ſucceſſivis, de ſingulis ſeorſim agam. 1. Matrimonia polygamica ſimultanea diſtinguo in ea, quae ex diſpenſatione divina & ſine illa fuerunt contracta. Poſteriora ſimpliciter ſunt damnanda, & damnantur etiam *Malach. II. 15;* priora minus, utpote omnis culpae vacua. *Major* igitur, ſi de polygamia, per Dei diſpenſationem tali, loquatur, admittenda omnino eſt. *Minor* vero eo ſenſu fallit: quia diſpenſatio eſt relaxatio legis, obligationem ejus removens ab illo, cui facta eſt. Ad diſpenſationem dum recurro, non merebor reprehendi. Æquo enim jure, quo ille, lite nondum compoſita, ad facta hominum, velut ad aram confugit, mihi quoque diſpenſationem Dei opponere ipſi licebit. Quod ſi *Major* de polygamia, privato contrahentium auſu praeter divinam diſpenſationem inita, intelligatur, tota laborat, nec quicquam veritatis habet. 2. Polygamia ſimultanea & ſucceſſiva eſſentialiter differunt. In ſimultanea Maritus adhuc tenetur vinculo cum prima uxore, quod in ſucceſſiva, morte uxoris, exſpiravit, cum qua olim quidem fuit, non vero amplius eſt una caro, adeoque novam ducere poteſt, neque in legem impinget: *duo debent eſſe una caro.* Si ἀκρίβειαν ſecteris, ſucceſſiva non eſt polygamia, ſed ἑτερογαμία, facta ab ipſo Deo per mortem ſeparatione. Dicat forte: non tamen Adamus factus eſt ſucceſſive ἑτερόγαμος? *Reſpondeo:* Neque Adamus duxit uxorem genitam ex Parentibus, ſed ex coſta ſua a Deo formatam; Ergone Poſterorum conjugia damnanda erunt, quia nemo eorum ejusmodi uxorem nactus eſt, ſed quae utrique Parentum ortum ſuum generatione naturali debet? Vides igitur, polygamum in eo allidere, quod vivente, cum qua una adhuc exiſtit caro, uxore, cum alia, praeter illam, etiam una fit caro, contra inſtitutum Dei, nolentis, ut uno temporis tractu unus cum

plu-

pluribus sit una caro. Qui vero post fata uxoris una esse caro cum illa desiit, non incurrit, si de integro cum alia fiat una caro, utrinque Adamo monogamo, ipse monogamus, similis. Hinc 3. de nuptiis polygamicis successivis *Minor* Propositio simpliciter negatur. Perversa est interpretatio principii, quo Ecclesia nonnisi in essentialibus Status nuptialis, quoad ille ab ipso Deo non dirimitur, usa semper est. Accidit huic, alterutrum conjugum mori, suaque morte locum aperire novis votis contrahendis. Quae institutioni divinae repugnare, tantum abest, ut potius ipsius Dei declaratio eadem comprobaverit: *Lex dominatur homini, per quantum tempus vivit. Quae namque sub viro est mulier, viventi viro obligata est lege: quodsi moriatur vir, absoluta est a lege viri. Quare vivente viro moecha vocatur, si fiat alius viri: quodsi mortuus fuerit vir, libera est a lege, ita ut non sit moecha, etiamsi facta fuerit alteri viro. Rom. VII. 1. 2. 3.* Conf. *1. Cor. VII. 39.* Atque adeo ipse Apostolus Autor suasorque est viduis junioribus, ut nubant, *1. Tim. V. 14.* Tale quid nusquam de polygamia simultanea legitur. 4. Per unum matrimonium uni plures jungi, & physice & moraliter est ἀδύνατον. Moraliter, de quo forte quis dubitet; quia ea relatio, qua maritus polygamus ad unam uxorem refertur, & haec ad illum, est alia ab ea, quae inter ipsum & alteram vicissim datur, neque una eademque relatione ad plures referri potest. Quae vero per naturam rei aliter se habere nequeunt, non cadunt sub legem prohibitivam; sicuti non legimus, Deum prohibuisse, ne oculis audiamus, aut auribus videamus. Ex quo ultro fluit, Deum juncta Adamo una uxore omnino intendisse, ne vir viventi uxori aliam superinduceret. Vid. *cap. 3. §. 51.*

§. 24. *Tertium* probat *Dominus Doctor* thesin suam, quam & probaturum se in margine promittit. Recitabo integrum textum: De hac relicta (marito) facultate (contrahendi plu-

plura cum pluribus uxoribus matrimonia) inde constat, quia officia, ad quae maritus erga uxorem per matrimonium se obligat, quaeque sunt conjugalis amor, conjugale debitum & uxoris defensio, unicuique plurium uxorum praestare potest. 2. quia Deus foeminam in auxilium viri creavit, eamque ita illi soli associavit, ut semper in ejus consortio sit, & faciat ad generis sui propagationem, *Gen. I.* 28. ad plures vero auxiliatrices, hoc fine in sui consortium assumendos (assumendas,) Lex nostra in contrarium nihil definit. 3. quia ob imperium, quod marito in uxorem tributum est, ipsi negari nequit, quando plures uxores isti suo imperio subjicere velit, dummodo id faciat, quod a marito divina lex reposcit, nempe ne ulli uxori officia conjugalia detrahat. *iterat. praesid. c. 2. §. 29. p. 37.*

§. 25. Si officio suo satisfacere voluisset, respondere ad argumenta mea formaliter debuisset. Nunc enim Respondentem agens, omnibus suis probationibus nil quicquam efficiet, nisi rationes meas eliserit. Ne tamen, causae meae diffisus, respondendi partes defugisse videar, veritatem adversus oblocutiones ejus defendam. Argumentum ejus ita habebit: *Cujuscunque societatis ineundae facultatem Deus ipse viro reliquit, illam inire ipsi licet. Atqui societatis polygamicae ineundae facultatem Deus ipse viro reliquit; Ergo inire illam ipsi licet. Minorem*, quae nulla ratione admitti debet, probat, quia finis matrimonii obtineri per polygamiam potest, nempe conjugalis amor, conjugale debitum & uxoris defensio, nec non auxilium viro praestandum, ut & imperium in uxorem exercen-

dum. Quae ſequentem pariunt ſyllogiſmum: *Per quamcunque ſocietatem finis matrimonii obtineri poteſt, illius ineundae facultatem Deus viro reliquit. Atqui per ſocietatem polygamicam finis matrimonii obtineri poteſt; Ergo ſocietatis polygamicae ineundae facultatem Deus viro reliquit. Reſpondeo:* Jam dudum ex ſcholis Moraliſtarum exploſa & ejecta eſt ea philoſophandi ratio, qua a conſecutione finis ad rectitudinem actionis colligitur. Id vero *D. Willenbergium* facere, in aperto eſt. Hac enim via procedit ejus oratio: *per polygamiam vir ad finem matrimonii pertingere poteſt; Ergo polygamia ipſi licet.* Repudietur hoc genus argumentandi, quo etiam maxime impia conficientur! Ex nuptiis in linea recta inter patrem & filiam omnes illos recenſitos fines ſperare licet, conjugalem amorem, conjugale debitum & uxoris defenſionem, nec non auxilium viro praeſtandum, ut & imperium in uxorem exercendum; Ergone nuptiae ejusmodi licent? Per furtum finem acquiſitionis bonorum fortunae, qui eſt ſuſtentatio propria & auxilium egenis praeſtandum, aſſequi datur; Ergone furari licet? Dicat: *nuptiae in linea recta & furtum legibus prohibita ſunt!* Largior; ſed vel ex hoc debilitatem argumenti ſui agnoſcat, quod applicabile ſit actionibus, manifeſto prohibitis. Quin etiam hoc loco de exiſtentia legis, polygamiam prohibentis, diſceptatur, ipſeque Diſſentiens in indice marginali rationes ſe daturum pollicetur, cur viro plura matrimonia cum pluribus feminis contrahere liceat? Ergo non praeſupponere, ſuasque rationes examinanti regerere poteſt: polygamiam nulla lege eſſe prohibitam. Inſerit quidem rationibus ſuis: *Lex noſtra in contrarium nihil definit;* ſed perperam. Hoc ipſum enim materia litis eſt, ideoque rationibus immiſceri non debet.

§. 26. Commiſſo hoc ſaltu regreditur ad illa, quae obſtare opinioni ſuae animadvertit, reſponſurus ad verba legis: *duo debent eſſe in carnem unam.* Verba ejus pluſcula ſunt, quae

ta-

tamen, quia confundendo Adversario satis apta, transcribere integra non pigeat. Contra haec tamen opponi video verba textus nostri: *adhaerebit uxori suae & erunt una caro*, quae unam uxorem in unitatem carnis praecipere & prohibere videntur, ne vir duabus aut pluribus adhaereat, ac simul cum illis una caro fiat. Obstare possent ea, si indubitata ratione constaret, quid ibi per unitatem carnis intelligi debeat: sed cum sensus horum verborum non adeo liquidus, nec ista conclusio procedit. Ego missis aliorum opinionibus, de quibus videatur Seldenus *in Uxore Hebraea L.* 1. *c.* 3. *in f.* Brunsman. *de monogam. victric. c.* 24. & alii, optima ratione video niti hanc explicationem, quod unam carnem esse, vinculum conjugale arcte contractum denotet, ex quo conjuges pro una carne, fonte & scaturigine habentur intuitu liberorum, ex ipsis prognatorum, qui duabus illis personis debent unam carnem, unam scaturiginem ac fontem, inque eodem fonte illi uniti prostant ac reperiuntur. Enimvero ita haec unitas carnis polygamiae non obstat. Etenim vir, secundam ducens uxorem, etiam cum ea indissolubile vinculum contrahit, cum eadem una caro est, unus fons liberorum ex se & ista secunda uxore, aeque ac ex prima, procreatorum. Et quia uxor secunda personis, primo conjugio copulatis, communis

nis non fit, nec illis adjungitur, ſequitur, quod nec horum unionem tollat, ſed maritus una caro cum prima uxore maneat, & una quoque caro cum altera uxore fiat. *iter. praeſid. c. 2. §. 30. p. 37. 38.*

§. 27. O rudem rerumque inordinatarum confuſam congeriem! Magnus mihi erit Apollo, quisquis ex his certum adaequatumque conceptum formare ſibi potis fuerit. Cur textum mutilat? Cur, neglecto ſubjecto, in quo nervus probandi cumprimis poſitus eſt, ſoli praedicato inhaeret? Cur unam, uti loquitur, carnem liberorum confundit cum una Parentum carne? Quid ſibi vult negando: uxorem ſecundam perſonis, primo conjugio copulatis, communem non fieri? Poteſtne ſecunda uxor primae communis fieri? Quid haec ad rem? Quis unquam ſomniavit, polygamiam ideo prohibitam eſſe, quia in illa una uxor perſonis, primo conjugio copulatis, communis fiat? Sed non taedeat ſingula iſta perſequi.

§. 28. *Excipio:* 1. quia ipſe argumentum meum, quod nunc volvimus, aggreſſus, textui *Gen. II. 24.* duo loca ex Novo Teſtamento *Matth. XIX. 9. Marci X. 7. 8.* junxit, ibidemque Chriſtum legem connubialem interpretatum eſſe, conceſſit, non fas ipſi fuit, in reſponſione ex ſolo Geneſeos loco verba recitare: *adhaerebit uxori ſuae & erunt una caro:* & in margine pro verbis ſcripturae venditare propoſitionem: *conjuges erunt una caro*, quae ſub hac formalitate inibi non extant. Homo ingenuae veritatis candido dicendi genere utitur, maxime in ſyrraxi, ubi argumenta aſſumenda ſunt, qualia a diverſa parte formantur. Ita vero Chriſtus: *duo*, non indefinite: Conjuges *erunt in carnem unam.*

§. 29. 2. Non levis eſt error, quod omne hujus negotii momentum in praedicato: *unam eſſe carnem*, verſari arbitratur. Nemo noſtrum unquam ita argumentatus eſt: Conjuges debent

bent esse una caro; Ergo una uxor (utor verbis ejus) in unitatem carnis praecipitur, & prohibetur, ne vir duabus simul adhaereat. Verum nostra argumentatio nititur propositione biblica tota: *duo erunt in unam carnem.* Non concludimus: In quacunque societate conjuges simpliciter; sed hoc modo: in quacunque societate *duo tantum* debent esse una caro, in illa non est concessum viro, plures sibi adsciscere uxores.

§. 30. 3. Ipse sibi contradicit. Si enim, quod fatetur, sensus verborum non adeo liquidus est, ut indubitata ratione constet, quid per unitatem carnis intelligi debeat, neque suam explicationem mihi obtrudere, eademque nervum argumentationis meae incidere poterit. Aut constat indubitata ratione, explicationem Willenbergianam veram esse; aut non constat. Si constat; falsum est prius ejus assertum, non constare indubitata ratione, quid per unitatem carnis intelligi debeat. Si non constat; nihil contra me efficiet. Porro: Largitus est, si indubitata ratione constaret, quid per unitatem carnis intelligi debeat, haec ipsa verba opinioni suae obstitura. Arguo: *Quaecunque explicatio, quid per unitatem carnis intelligi debeat, indubitata ratione sibi constat, illa obstat sententiae Willenbergianae. Atqui explicatio Willenbergiana, quid per unitatem carnis intelligi debeat, indubitata ratione* (scribo haec ex mente ejus) *sibi constat; Ergo explicatio Willenbergiana, quid per unitatem carnis intelligi debeat, ipsius sententiae obstat. Major* est *D. Willenbergii* in terminis. Neque ille dixit: Si indubitata ratione constaret, dissentientium explicationem veram esse; sed in genere: quid per unitatem carnis intelligi debeat. *Minorem* oportet illum admittere, quoad honori suo consultum cupit. Si enim explicatio ejus non indubitata ratione constat, ipse in re seria ludit.

§. 31. 4. Ipſa ejus explicatio haec eſt: quod unam carnem eſſe, vinculum conjugale arcte contractum denotet, ex quo conjuges pro una carne, fonte & ſcaturigine habeantur intuitu liberorum, ex ipſis prognatorum, qui duabus illis perſonis debeant unam carnem, unam ſcaturiginem ac fontem, inque eodem fonte illi uniti proſtent ac reperiantur. Enimvero ita hanc unitatem carnis polygamiae non obſtare. *Excipio:* Haec accuratius merentur examen. (a) Permiſcet formam conjugii cum fine ejus. Ad formam pertinet, duos eſſe unam carnem; ad finem, utrumque concurrere ad procreationem ſobolis. (b) Sunt & manent conjuges una caro, etſi conjugium eorum ſterile fuerit, nec exſtiterint liberi, qui in illis, ſicut loquitur, velut eodem fonte uniti proſtent ac reperiantur. Quodſi vero hoc ad unitatem carnis conjugum pertineret, hi ſine liberis non eſſent una caro, nec conjugium inter illos exiſteret ob defectum formae, quae rebus dat eſſe ſuum. (c) Ad unitatem carnis, duobus conjugatis tributam, quae in προςκολλήσει, vel mutuo perpetuoque nexu morali utriusque poni debet, ob quem aeſtimio divino pro una carne habentur, non pertinet unitas carnis liberorum. Sunt conjuges actu una caro, antequam liberi ex illis deſcendunt, quique eſſentiam ſuam, poſt Deum, illis debent. Vocantur igitur una caro, non intuitu liberorum; ſed ſtatus, in quo ex ordinatione divina verſantur. Interim (d) non nego, illos unam carnem ideo fieri, ut liberos progenerent. Haec vero ad finem ſpectant, cum quo forma non eſt confundenda. (e) Talis unitas carnis polygamiae omnino obſtat. Qui enim propter προςκόλλησιν, vel mutuum perpetuumque nexum moralem una ab ipſo Deo vocantur caro, eorum neutri licet cum alio vel alia fieri unam carnem.

§. 32.

§. 32. Quae cum ita ſint, concident 5. ultro reliquae ejus copiae. Etenim vir, ſecundam ducens uxorem, etiam cum ea indiſſolubile vinculum contrahit, cum eadem una caro eſt, unus fons liberorum, ex ſe & iſta ſecunda uxore, aeque ac ex prima procreatorum. *p. 38.* Polygamum cum ſecunda uxore unum fontem eſſe liberorum, quos haec enititur, concedo; largitus & hoc, ipſum cum illa indiſſolubile vinculum contrahere, & unam cum ea carnem fieri; verum his omnibus doctrina antipolygamica non movetur. Omnia iſta contra jus & fas fiunt, nexusque cum prima laeditur, quia Deus unum non niſi cum una fieri & eſſe unam carnem voluit; de quo mox in ſecundo capitis membro plura.

§. 33. *Tandem* 6. Et quia uxor ſecunda perſonis, primo conjugio copulatis, communis non fit, nec illis adjungitur, ſequitur, quod nec horum unionem tollat, ſed maritus una caro cum prima uxore maneat, & una quoque caro cum altera uxore fiat. *Excipio:* 1. Peto hic ab Adverſario informari, cum quo pugnet, docendo, ſecundam uxorem perſonis, primo conjugio copulatis, communem non fieri. Sincipite laboraret, quisquis ex hoc principio polygamiam improbaret. Neutri fit communis. Non uxori, quae nec duxit illam, nec nupſit illi: non marito, quia illi ſoli nubit, non pluribus. 2. Falſum vero eſt, ipſam non adjungi illis. Adjungitur primae uxori tanquam con-ſocia tori, cujus jura ſibi ſoli vindicare illa poterat & debebat. Adjungitur etiam marito tanquam nova uxor. Quo ipſo 3. etſi non ipſa unio, proprietas tamen & unitas unionis tollitur, lege ſancita. Maritus enim communis evadit pluribus, qui uni uxori proprius eſſe debebat. *1. Cor. VII, 2.*

§. 34.

§. 34. *Denique* summam cogitationum suarum faciens ad calculos, sparsim huc usque positos, revertitur §. *31. p. 38.* Quos jam tum a nobis rejectos denuo examinare, supervacaneum esset. Totam machinam hoc structam solo videas, quod *Gen. II. 24.* & *Matth. XIX. 9.* nulla lex contra polygamiam contineatur. Quo funditus a me everso, ipsam quoque corruere oportet.

SECTIONIS SECUNDAE
CAPITIS IV.
De Genes. II. 24. coll. Matth. XIX. 9. Marc. X. 7. 8.
Membrum secundum:

Num polygamia species sit adulterii?

§. *1. Quaestio: num polygamia species sit adulterii? ex Matth. V. 32. XIX. 9. decidenda est.*

§. *2. Cum Matth. XIX. 9. polygamus adulter appelletur, quaeritur: num id ratione dimissionis, an novarum nuptiarum fiat? D. VVillenbergius prius, Autor posterius statuit.*

§. *3. I. Repetuntur, quae D. VVillenbergius, in* iteratis praesidiis, *de adulterio in genere disseruit. Subjicit Autor, D. VVillenbergium*

§. *4,* (a) *confictam a se adulterii significationem autoritate Scripturae sacrae infucare.*

§. *5.* (b) *Christo affingere, quod Virum ob repudium uxoris adulterii accusaverit; item*

§. *6.* (c) *quod adulterium viro Matth. XIX. 9. impactum pro eodem specie habuerit, ac si quis Conjugum aliud qualecunque officium neglexerit;*

§. *7.* (d) *in enarrandis Mariti officiis primarium praetermittere;*

§. *8.* (e) *male negare: maritum cum soluta consvescentem adulterium, stylo Scripturae, committere. Quod Autor defendendum recipit, cum quo*

§. *9. celeberrimi JCti consentiunt,* Stryckius, Klockius, Brouwerus, Carpzovius, Zieglerus.

§. *10. Quid sit adulterium?*

§. *11. Adulterium repugnat formae matrimonii.*

§. *12. Commercium mariti cum soluta adulterium esse, probatur: quia 1. repugnat formae matrimonii;*

§. 13.

§. 13. 2. *violat fidem conjugalem mutuo datam;*

§. 14. 3. *quia Christus in eo rationem adulterii ponit.*

§. 15. *Ex doctrina D. VVillenbergii fluit, concubitum mariti cum soluta levius delictum esse, quam si aliud quodcunque officium neglexerit.*

§. 16. *Examinantur rationes Willenbergianae, & respondetur ad primam;*

§. 17. *ad secundam;*

§. 18. *ad tertiam;*

§. 19. *ad quartam.*

§. 20. *II. urget Autor argumentum suum, quo probatum dedit: polygamum a Christo non ob dimissionem uxoris, sed novas nuptias adulterii postulari.*

§. 21. *Testimonium Melanchthonis.*

§. 22. *Excipit Autor ad primam D. VVillenbergii responsionem in* iterat. praesid.

§. 23. *ad secundam;*

§. 24. *ad tertiam;*

§. 25. *ad quartam;*

§. 26. *ad quintam;*

§. 27. *ad Matth. V. 32.*

§. 1.

ALterum, ad quod loca probationum ipsiusque controversiae ordo nos deducunt, illud est: utrum nomen polygami juste ac legitime de adulterio deferatur? Qua de re ipse Christus audiendus erit, cujus assertis omnis nostra argumentatio nititur. Duo conjungenda veniunt loca, in uno Matthaeo extantia. Priorem reperias *cap. V. 31. 32. Dictum est, quod, quisquis dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. At ego vobis dico, quod, quisquis dimiserit uxorem suam, extra causam scortationis, faciat eam moechari, & quisquis repudiatam duxerit, moechetur.* Posteriorem exhibet *cap. XIX. 9. Dico vobis, quod, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committat: & quicunque dimissam ducat, adulterium committat.*

§. 2. Largitur Adversarius, Virum, qui uxore dimissa aliam ducit, adulterii a Christo argui. Cum vero Subjecto propositionis, Marito nempe adulterii delato, duo apponantur: *dimittere uxorem*, &: *aliam ducere*; in disceptationem venit: utrum

ille ob dimissionem uxoris, an ob novas nuptias cum alia, adulterii reus peragatur? Ecclesia rationem adulterii in novis votis, durante vinculo priore, semper posuit, cujus sententiam ego quoque modeste tueor; *Dn. D. Willenbergius* vero in dimissione uxoris prioris. Asserta mea probavi, & solide porro sum probaturus, atque omne omnino, quicquid ipsis obfuturum videtur, propulsaturus. Sed priusquam hoc attingam, justae subjiciam censurae, quae Adversarius meus responsioni suae in *iteratis praesidiis* praemunivit.

§. 3. Productiora quidem sunt duobusque paragraphis inclusa; quae tamen bona cum Lectoris venia, ne mutilasse videar, integra referam. Jam alterum membrum hujus capitis aggredior, quod est, in adulterium incidere polygamum, quod pari facilitate enervari poterit, cum prius constiterit, quid pro adulterio habeatur in sacris literis. Committitur adulterium vel *stricte* & quodam modo crassiori, per concubitum cum alterius uxore, quod DEO adeo exosum, ut morte vindicandum jubeat, *Levit. XXI.* (XX.) 10. *Deut. XXII.* 22. vel *late* & in genere per quamcunque ruptionem vinculi conjugalis, quod fit, quoties alteruter conjugum ab officio suo recedit, quo casu quidem vinculum internum quoad DEum, qui matrimonium insolubile esse vult, salvum manet, sed tamen externum quoad conjuges, quod mutuo eorum consensu contractum erat, de facto dissolvitur. Species hujus adulterii *Matth. XIX.* 9. *Matth. X.* 11. (error est calami, quia in integro capite X. nil quicquam ea de re legitur,) *Marc. X.* 11. *Luc. XVI.* 18.

18. apparet in viro repudiante uxorem non fornicariam, ubi verbum μοιχᾶσθαι legitur, quod dirimere, aut a conjugio discedere denotat. Utraque species statum conjugalem respicit, utraque etiam consideranda, qua juri humano subjecta est. Extra illas adhuc adulterium datur, quod cordiale vocatur, & impura mentis cogitatione committitur, patetque solius DEI cognitioni & vindictae. *Matth. V. 28. XV. 19. Marc. VII. 21. 2. Petr. II. 14.*

Cum diximus adulterium committi ac rumpi vinculum conjugale, quando officia conjugalia, sine quibus officium istud consistere nequit, & ad quae se conjuges mutuo obligaverant, detrectata fuerint, explicari jam debet, quod alia officia sint, ad quae uxor, & alia, ad quae maritus se obligavit. Uxor marito obligatur ad obsequium, conjugalem cohabitationem & auxilium; maritus e contrario uxori ad conjugale debitum, defensionem ejus & perpetuum amorem. - - Uxor ab hac obligatione recedit, & adulterium committit, quando vel marito debita conjugalia, obsequium & amorem denegat, vel eadem in alium virum transfert; maritus tantum adulter fit, ac conjugium suum rumpit, quando ista officia sua uxori denegat. Hinc quaeritur, an maritus consvescens cum soluta foemina, in nullo tamen officio exhibendo erga suam uxorem deficiat, (deficiens) adulter fiat,

& rumpat conjugale vinculum? Sane hujusmodi adulteri in SS. exemplum non occurrit, occurrunt vero multa eorum, qui in hunc reatum ex isto concubitu non impegerunt, & sunt omnes illi, qui multas uxores & pellices habuerunt. Sicut e contrario David, postquam cum Bathseba alterius uxore concubuerat, statim adulter vocatur. Itaque cum substantialia vinculi conjugalis a tali marito non tollantur, nec adulter dici poterit. Discrimen vero inter virum & uxorem concumbentem cum alio manifestum est, quod ex illius commixtione cum alia parentes sobolis certi sint, nec confundantur familiae. Ab uxoris commixtione ista certitudo deficit. Maritus potest plures quam unam uxorem tueri, uxor vero saltem uni obedire. *iter. praesid. c. 2. §. 33. 34. p. 39. seqq.*

§. 4. Multa hic reperio pari facilitate, qua conglutinata sunt, divellenda. Sententiam distincte & distribute dicam. 1. Fabulam suam in gratiam hypotheseos adornatam confictis Scripturae sacrae praesidiis munit atque firmat, Lectori persvadere conatus, in sacris literis quamcunque vinculi conjugalis ruptionem, v. g. quando uxor marito non obsequitur, aut hic illam non defendit, adulterium vocari. Confundit *formalitatem* conjugalis vinculi cum *consectariis* ejusdem. Illa in προσκολλήσει, vel, eo animorum nexu in unam carnem consistit, quo alter alteri jus reciprocum ac perpetuum in corpus suum concedit. vid. *membrum capitis hujus primum*, §. *31*. Haec, consectaria nimirum, varia sunt ex utriusque Conjugum parte. Adulterium quando in ruptura vinculi conjugalis ponitur, hoc ipsum qua for-

formalitatem ſuam, non qua conſectaria qualiacunque conſiderari oportet. Niſi igitur falſo praetentae autoritatis Scripturae dare ſe reum voluerit, oſtendat vel unicum ex Codice divino locum, in quo aut neglectus officiorum, quae ad formam matrimonii non pertinent, nomine adulterii appelletur, aut adulterium ita deſcribatur, ut illius notio ejusmodi neglectui tribui poſſit.

§. 5. 2. Falſum eſt, quod Chriſtus *Matth. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. virum, qui uxorem non fornicariam repudiat*, adulterii reum pronunciet. Mutilavit textum, committendo *fallaciam compoſitionis & diviſionis*. Alia res, alia ratio judicii eſt. Vir ille, quem Chriſtus adulterii poſtulat, non modo uxorem dimittit, ſed & aliam ſuperinducit, quod iisdem fere verbis in omnibus illis locis exprimitur: ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα ἀυτȣ̃, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται, ita *Matthaeus* & *Marcus*, niſi quod hic particulam ὅτι omiſerit & pro ἂν ἐὰν poſuerit; *Lucas* participialiter: ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα ἀυτȣ̃, καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει. Cur, poſterioribus: *& ducit aliam*, praetermiſſis, priora tantum: *repudiat uxorem*, repetiit? Ita cohaerentia vellere & diſtrahere eo minus licuit, quo certius ex *Matth. V. 32.* conſtare poterat, a Chriſto virum, ob ſolam uxoris dimiſſionem, crimine adulterii non accerſiri. Quod ipſum pluribus perſequar §. 20.

§. 6. Falſum eſt, 3. a Chriſto adulterium, cujus maritum *Matth. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18.* inſimulat, pari momento ſceleris aequari cum quocunque conjugum ab officio diſceſſu. Ita cenſet *D. Willenbergius*: Adulterium late & in genere committitur per quamcunque ruptionem vinculi conjugalis, quod fit, quoties alteruter conjugum ab officio ſuo recedit &c. Species hujus adulterii *Matth. XIX. 9.* apparet in viro repudiante

uxorem non fornicariam. *p. 40.* Perquam male! Mariti officium est: *non acerbum esse contra uxorem, Coloss. III. 19. ipsique, tanquam infirmiori vasi muliebri, tribuere honorem. 1. Petr. III. 7.* Numquid vero maritus, acerbior contra uxorem existens, neque ei honorem semper tribuens, reatu tenebitur adulterii, & quidem specie ejusdem, quale a viro, judice Christo, committitur, qui repudiata uxore novam ducit? Ita omnino ex principiis Willenbergianis pronunciandum erit. Sed praeter rem & rationem. Pervertitur mens Christi. Is enim eodem vocabulo, quo tum adulterium uxoris injuste repudiatae aliique nubentis, tum viri illam ducentis, appellaverat, *Matth. V. 32.* illud ipsum quoque scelus, cujus vir uxorem dimittens, aliamque ducens, reus agitur, nuncupat: *Matth. XIX. 9.* μοιχᾶται. Argumentor: *Quicunque in accusandis hominum delictis, eodem termino utitur de adulterio mariti, repudiata uxore aliam ducentis; & de adulterio uxoris, alteri nubentis, virique se cum hac consociantis, illi improbe affingitur, quod factum mariti, uxore repudiata aliam ducentis, pro eodem specie adulterio habeat, ac si quis conjugum ab officio suo ceteroquin recesserit. Atqui Christus, in accusandis hominum delictis, eodem termino utitur de adulterio mariti, repudiata uxore aliam ducentis; & de adulterio uxoris, alteri nubentis, virique se cum illa consociantis; Ergo Christo improbe affingitur, quod factum mariti, uxore repudiata aliam ducentis, pro eodem specie adulterio habeat, ac si quis conjugum ab officio ceteroquin recesserit.* Fecit hoc Adversarius meus.

§. 7. In recensendis officiis mariti 4. *Dn. D. Willenbergius* hypothesi suae multum est velificatus. Maritum, scribit, uxori ad conjugale debitum, defensionem ejus & perpetuum amorem obligari. §. *34. p. 40.* Primarium vero praeteriit, nimirum, copiam corporis sui soli isti uxori, cui semel fidem dedit, facere. Quod juris divini esse, probavi, & in

ca-

capitibus ſequentibus denuo corroborabo. Quapropter ille argumentis meis, hypotheſin ſuam toties regerendo, nihil roboris detrahet; quin potius petitione principii non mediocriter allidet.

§. 8. Quaerit vero 5. an maritus conſveſcens cum ſoluta foemina, in nullo tamen officio exhibendo erga ſuam uxorem deficiat, (deficiens) adulter fiat, & rumpat conjugale vinculum? Reſpondet negative: Sane hujusmodi adulteri in SS. exemplum non occurrit, occurrunt vero multa eorum, qui in hunc reatum ex iſto concubitu non impegerunt, & ſunt omnes illi, qui multas uxores & pellices habuerunt. Sicut e contrario David, poſtquam cum Bathſeba alterius uxore concubuerat, ſtatim adulter vocatur. Itaque cum ſubſtantialia vinculi conjugalis a tali marito non tollantur, nec adulter dici poterit. §. *34. p. 41.* Affirmativam ego ſicut arcte teneo, ita ſollicite etiam defendam. Meretur enim haec quaeſtio ſumma cum cura ſtudioque evolvi.

§. 9. Ne autem, quam defendendam ſumo, doctrina: *maritum, cum ſoluta conſveſcentem, ex ſententia Scripturae S., adulterum evadere*, ab Adverſario vilipendio mei, quem ad conſortium Pedantarum & Ignorantium relegavit, rejiciatur, omnique refutatione indigna judicetur, praemuniam illam ante ex calculo celeberrimorum JCtorum, quibus mitiorem forte ſe dabit, ac mihi meique ordinis hominibus. Primum locum occupet *B. D. SAMUEL STRYCKIUS*, qui in Opuſculo *de diſſenſu ſponſalitio*, *Sect. 5.* §. *7. p. 201.* de jure uxoris, cujus maritus rem cum ſoluta habuerat, locutus: So viel / inquit, das neue Teſtament betrifft/ ſind wir der Meynung/ daß das *formale*

le adulterii nicht eigentlich *in violatione tori alieni*, sondern vielmehr *in violatione fidei conjugalis* bestehe / und daher eine Ehefrau / wenn ihr Mann untreu wird / ferner nicht verbunden sey / demselben ehelich beyzuwohnen / indem die obligatio ex pacto matrimoniali inter conjuges reciproca ist / und also ein Ehemann / wenn er selbst die Ehe bricht / von seiner Frauen die eheliche Pflicht nicht erfordern kan / *quando enim altera pars a fide contractus discedit, non potest alterum adigere ad violati contractus fidem servandam, L. si diversa 14. C. de transact. & ibi Dd.* Audimus hic JCtum in terminis docere, quod formale adulterii in violatione non speciatim tori alieni, sed fidei conjugalis consistat. Quae in thesi docuit, applicat ipse ad casum mariti commiscentis se cum soluta, cujus factum adulterium nominat, quia est violatio fidei conjugalis, etsi non tori alieni. Huic addo alios: *KLOCKIUM, de Ærario l. 2. c. 141. §. 31. 37. fol. 1044. 1045. Edit. Norimb. A. 1671. Sunt, qui existimant, conjugatum non committere adulterium, si cum soluta rem habeat, sed tantum stuprum. - - At sensim Christianorum institutis, propter legis divinae sanctimoniam & veterum Ecclesiae primitivae Doctorum autoritatem, receptum est, ut adulterium dicatur indistincte in eo vel ea, qui quaeve suum vel alienum conjugium contaminavit. BROUWERUM,* qui *de jure connubiorum l. 1. c. 26. §. 4. p. 262.* fatetur quidem, ex consvetudine loquendi JCtis usitatiore, proprie adulterium in nuptam committi, propter partum ex altero conceptum composito nomine, stuprum vero in virginem viduamque; ipse tamen aliter sentit: *nobis*, inquiens, *mariti coitus cum vacante muliere adulterium est, non stuprum.* Et alio in loco: *est nobis adulterium mariti ad extraneam mulierem accessio; sive ea nupta sit, sive virgo, sive vidua, concubina, meretrix, publicum scortum. Cum singulis enim consvetudo rumpit unitatem carnis, quae est inter maritum & uxorem.*

cap.

cap. ult. §. *9. p. 696.* *CARPZOVIUM*, qui, confirmata ſententia: uxoratum *ex concubitu cum ſoluta*, in crimen adulterii juſte vocari, rationes diſſentientium copioſe ſimul & ſolide refellit, quin etiam non diffitetur, mirari quemquam poſſe, tot JCtos praeclari ingenii atque judicii in contrariam abiiſſe ſententiam, quos forſan rationes & argumenta ex legibus petita, &, uti putent, ponderoſa excuſare poſſent. Quorum hypotheſin inde emanaſſe arbitratur, quod exiſtimaverint, in crimine adulterii peccari ſolummodo per ſuppoſitionem partus & inſitionem ſtirpis ſpuriae in alienam familiam, quod quidem grande nefas ſit, male tamen inde inferri, ultra hunc reatum in adulterio neutiquam peccari. *Criminal. P. 2. Q. 52. fol. 7. ſeqq.* Hinc in Electoratu Saxonico commixtio mariti cum ſoluta adulterium appellatur: Wenn ein Ehemann mit einer ledigen Dirne und unverehlichten Weibe ſeine Ehe vorſetzlich gebrochen/ ꝛc. Darüber erklähren wir uns hiemit / daß wir den Ehebrecher ꝛc. conf. *Corpus juris eccleſiaſtici Saxonici p. 108.* Agmen claudat JCtus pientiſſimus, *B. D. CASP. ZIEGLERUS*, quo Viro mei, cum viveret, amantiſſimo, vix quicquam in terris ſanctius habui. Ille vero totus hoc in negotio meus eſt, *ad Lancellot. p. 984.: deſcriptio adulterii, quod in nuptam committatur, nimis eſt ſtricta, & totam adulterii materiam non exhaurit, ſed ſpeciem tantum aliquam explicat, cum tamen etiam in ſponſa alterius committatur adulterium, imo etiam in ſoluta, ſi cum ea conſveverit maritus. Rectius igitur deſcribitur, quod ſit fidei matrimonialis per fornicationem violatio.*

§. 10. Sed non attinet, plures commemorare. Pergam ad inſtitutum. Ne ambiguo ludamur, diſtinguimus inter adulterium in *foro ſoli*, quod ex definitione juris Romani; & in *foro poli*, quod ex definitione jurium divinorum judicandum eſt. *Illud* violationem tori alieni infert, adeoque non niſi cum ligata committitur, *l. 6. §. 1. ff. ad l. jul. de adult. & l. 34. §. 1.*

Hoc non ad alienum torum reſtringitur, ſed cum ſoluta quoque a marito contrahi poteſt. Fatetur *ANTON. MATTHÆI, de criminibus L. 48. ff. Tit. 3. ad l. jul. de adult. c. 1. §. 12. p. 366. Edit. Veſalienſis A. 1679.* JCtos magni nominis ſtatuere, quod adulterium non niſi cum nupta committatur; ipſe vero diverſimode, *ex diſtinctione fori DEI & hominum*, pronunciandum eſſe autumat: *p. 368. licet, ſi primam conjugii inſtitutionem reſpiciamus, maritus quoque, cum innupta rem habens, adulter videri poſſit, id tamen in foro, ut loquuntur, poli, non ſoli procedet. Etenim aliter coeleſtis Judex, aliter Judex humanus ſeculi exigit crimina.* Et, interjectis paucis: *coram coeleſti quidem tribunali adulter erit, qui ſua non contentus in aliis rumpit latus, non tamen coram tribunali ſeculi irrogabitur poena capitalis, niſi ruperit latus in aliena matreſfamilias.* Quod in foro poli tale audit, vel *animo*, vel *opere* aut actu externo admittitur. *Illud* internum, *hoc* externum recte dixeris. De *illo* Chriſtus *Matth. V. 28.*; de *hoc* in praeſenti diſceptamus. Appellatur vero *adulterium* in foro poli *crimen illud, quod formae matrimonii, in unitate carnis conſiſtenti, immediate repugnat*, vel, ſecundum *B. Zieglerum: violatio fidei matrimonialis per fornicationem.*

§. 11. Hoc ipſum vero eſſe intelligo, quod probandum mihi incumbet. Argumentor: *Quicquid ex ſententia ipſius DEI, cauſa eſt divortii, illud formae matrimonii repugnat. Atqui adulterium, ex ſententia ipſius DEI, cauſa eſt divortii; Ergo adulterium formae matrimonii repugnat. Major* probatur: quia DEus foedus inter conjuges vult indiſſolubile eſſe, quoad uterque vixerit. *Gen. II. 24. Matth. XIX. 6. Rom. VII. 1. ſeqq.* Quicquid igitur nexum dirimit, quem DEus vult perpetuum eſſe, illud ipſum rei naturam atque eſſentiam evertat, oportet. Nam discrepantia in circumſtantiis eodem pondere eſſe nequit, ut

DE-

DEus dissoluta pronunciet, quae perennia mansura ipse contexuit. Non dissentit *B. D. Sam. Stryckius*. Postquam enim, de divortio agens, ex *B. D. Gerhardo* citasset: ideo DEum adulterium excepisse, quod vinculum matrimoniale disrumpatur per adulterium, cum uxor, quae fornicetur, sit una caro cum adultero, & maritus, qui fornicetur, sit una caro cum scorto; *1. Cor. VI. 16.* tandem ipse subjungit: *Ex quo apparet, adulterium esse tale delictum, per quod* *immediate vinculum conjugale dirimitur*, *dum scilicet* *fides conjugalis*, *per quam quis se uni saltim addixerat personae, plane* *a conjuge fornicante laeditur*. *Neque enim, unam carnem fieri cum adultero vel adultera, aliud significat, quam ita dissolvere priorem unionem legitimam, ut inde nova unio oriatur.* Et paulo post: *Ergo & adulterium verum seu proprie dictum consistit in laesione vinculi conjugalis, seu actu tali, per quem dirimitur unio inter conjuges. In Pandect. Libr. 24. Tit. 2. §. 26. p. 274.* Veritas *Minori* constat ex *Matth. V. 32. XIX. 9.*

§. 12. Jam commercium mariti cum soluta adulterium veri nominis tale esse, solidis consequar rationibus. Nam 1. rumpitur per illud vinculum conjugale in formali suo: quia vir non amplius cum una manet una caro, sed praeter illam cum alia etiam in unitatem carnis descendit. Accipe argumentum: *quacunque actione vinculum conjugale rumpitur in formali suo, illa actio est adulterium; Atqui actione ista, qua maritus consvescit cum soluta, rumpitur vinculum conjugale in formali suo; Ergo actio ista, qua maritus consvescit cum soluta, est adulterium. Major* probata est in paragrapho praecedente undecima. Cessante enim forma, ipsa res cessat, cujus forma est. Hinc, quicquid destruit formam matrimonii, id etiam destructivum est ipsius matrimonii: quale quid adulterium vocatur. *Minor* probatur: quia unitas carnis inter duos rupturam patitur, si alteruter ho-

rum cum tertio vel tertia una caro fiat. Dicas: *fieri hoc tantum, ſi maritus cum nupta vel conjugata rem habuerit.* Reſpondeo negando excluſivam. Si enim ſcortum illud conjux alterius fuerit, rumpitur ſimul vinculum tori alieni; proprii vero vinculum laeditur etiam per qualemcunque commixtionem cum alia. Neque ruptura vinculi domeſtici a conditione peregrinae, ſed a commercio cum illa pendet, qualiscunque ipſa ratione ſtatus fuerit, ſive ſoluta, ſive alteri devincta. Status illius caelebs an conjugalis fuerit, ad formam adulterii perinde ſe habet. Nihil ille confert ad deſtructionem unitatis carnis inter alios exiſtentis, quae ſola conjunctione cum perſona extranea nititur.

§. 13. Idem illud 2. probo, quia jure connubiali uterque conjugum totum ſe alterutri ita dicavit, ut facultate communicandi corpus ſuum alteri plane atque omnino ſe exuerit: *1. Cor. VII. 4. Maritus proprii corporis poteſtatem non habet, ſed uxor.* Conf. *D. SPENERUS in Galat. p. 778.* & quae nos cap. ſequ. ad hunc locum daturi ſumus. Quia igitur conſvetudo mariti cum ſoluta fidei adverſatur, quam is uxori ſuae ſpopondit, jure illa crimine adulterii notatur.

§. 14. Accedit 3. ipſius Chriſti aſſertum, *Matth. XIX. 9.* in aſſociatione novae conjugis, facta prioris dimiſſione, adulterium ponentis, ſive recentior illa conjugata ſive ſoluta fuerit. Indefinite loquitur: *quisquis aliam duxerit, adulterium committit.* Alia illa, quam ducit, innupta juxta atque conjugata eſſe poteſt. Argumentum eſto tale: *Omnis, qui dimiſſa uxore aliam ducit, adulterium committit. Quidam, qui dimiſſa uxore aliam ducit, conſveſcit cum ſoluta; Ergo quidam, qui conſveſcit cum ſoluta, adulterium committit. Major* eſt ipſius Chriſti. Ad *Minoris* veritatem ſufficit, accidere potuiſſe, ut Vir, facto repudio, virginem nemini hucusque deſponſatam, vel viduam duxerit. Quid? quod frequentius id apud Judaeos contigerit. Obſervat *GROTIUS* in *Matth. V. 32.* ſaepius mulierem, ignominia divor-

tii

tii notatam, apud Judaeos maritum alterum non inveniſſe. Nec eſt, quod ad dimiſſionem confugiat Adverſarius: quia, adulterium hoc ex mente Chriſti non dimittendo, ſed novam ducendo admitti, abunde probavi, measque rationes protinus vindicabo §. 20.

§. 15. Quodſi ex principiis *Dn. D. Willenbergii* ſententia ferenda, levius habendum erit delictum, ſi maritus conſveverit cum ſoluta femina, quam ſi de defenſione uxoris, aut haec de obſequio ipſi praeſtando, quicquam remiſerint. Nam duo iſta: uxorem defendere, & mariti voluntatibus obtemperare, ad officia refert conjugalia, a quibus recedentes macula adulterii, *late* ita dicti, ſe contaminent; a qua vero immunem pronunciat maritum, amoribus ſolutae litantem, quippe de quo multo ſentit levius: itaque cum ſubſtantialia vinculi conjugalis a tali marito (conſveſcente cum ſoluta foemina) non tollantur, nec adulter dici poterit. Atque ſic, ex mente Spiritus S. in divino codice revelata, docere ſe gloriatur. vid. *iterata praeſidia p. 37. 38. 39.* ex quibus ipſiſſima ejus verba *in* §. *3. bujus membri* legenda exhibui.

§. 16. Producamus jam in ſcenam rationes, quibus doctrinam ſuam commendare, Lectorumque animos adducere in illam molitur. Dicit *primum*, hujusmodi adulteri (qui ipſe uxoratus ob commercium cum ſoluta adulter vocetur,) in SS. exemplum non occurrit; ſicut e contrario David, poſtquam cum Bathſeba alterius uxore concubuerat, ſtatim adulter vocatur. *p. 41.* Argumentum ita habebit: *Cujusmodi adulteri exemplum in Scriptura S. non reperitur, ille non accuſandus eſt adulterii. Atqui hujusmodi adulteri, nempe mariti conſveſcentis cum ſoluta, exemplum in ſacris literis non reperitur; Ergo hujusmodi adulter, nempe maritus conſve-*

ſcens cum ſoluta, non eſt accuſandus adulterii. Reſpondeo: *Major* non eſt concedenda. 1. Numquid ideo crimine inceſtus ſolvemus Lothum, quia tanquam exemplum inceſtu ſe polluentis non ſiſtitur? Factum ejus recenſet Moſes, ſed ſine ulla reprehenſione & facti & perſonarum. *Gen. XIX.30. ſeqq.* 2. Plurimae exiſtent furtorum ſpecies, quarum nullum exemplum in ſacris literis repereris. Ecquis vero ideo furta eſſe inficias iverit? 3. Peccata cognoſcuntur & judicantur ex lege, *Rom. III. 20. IV. 15.* non ex exemplis, aut perſonis, inuſta criminis nota infamatis. Lex erat Judaeis data, ne Rex multiplicaret equos; *Deut. XVII.16.* neque tamen Salomon, qui quadraginta millia praeſepium equorum pro curribus ipſius, & duodecim millia equitum habebat, *1. Reg. IV. 26.* reprehenſus hoc nomine legitur. Indene colligemus, ipſum aliosque Reges multiplicando equos non peccaſſe? Prorſus in rem meam *Dn. D. BERGERUS* alio in negotio: *quod de poena in gentilibus additum fuit, eo tamen non valet, uti, ſi poena in gentilibus non probetur, lex deſinat eſſe univerſalis poſitiva, modo lex requiſita eſſentialia conſtitutiva habeat. Sic nusquam oſtendetur, ob Polygamiam, vel omiſſionem cultus Sabbathici, quoad Sabbathum unum ex ſeptem hebdomadae diebus notat, gentiles in codice ſacro vel reprehenſos vel punitos eſſe, nequaquam tamen ideo hae leges ex numero legum poſitivarum univerſalium ſunt ejiciendae, quemadmodum deinceps fiet manifeſtum.* In *ſupplem. ad Electa juriſpr. criminal. P. 2. p. 545.* Excipit Noſter: Davidem, poſtquam cum Bathſeba alterius uxore concubuerat, ſtatim adulterum vocatum fuiſſe. Id vero nemo negat; ſed quid inde? Alienus ſane a vero fuerit, quisquis hinc concluſerit: omnes adulteros pari ratione objurgari debuiſſe; & qui non fuerint, aut non legantur objurgati, neque pro adulteris habendos eſſe. Joſuas ſacrilegii arguebat Achanum; *Joſuae VII.* praeter

ter hunc vero, quin plurimi alii & ejusdem & alius sceleris contra legem *de non auferendo* rei in Republ. judaica exstiterint, dubio vacat, quos tamen carbone in tabulis sacris notatos non legimus. Haudquaquam inferre ideo licebit: facta eorum de recta regione non deflexisse. 4. *Minorem* quoque vero non consentaneam esse, intelliget, quisquis pensiculatius secum exegerit, quae ad verba Christi *Matth. XIX. 9.* supra §. 14. dedimus.

§. 17. Pergit Adversarius atque *novam* erroris sui *caussam* prodit, quod nimirum multa in Sacris eorum exempla occurrant, qui in hunc reatum ex isto concubitu non impegerint, & esse omnes illos, qui multas uxores & pellices habuerint. *p. 41. Respondetur:* 1. Recurrit denuo ad exempla, a quibus aut rectius abstinuerit, quoad res nostra ex asse fuerit discincta, aut integrum mihi reliquerit exemplis, quae non allisisse ipsi dicuntur, dispensationem divinam ex adverso ponere. Veterem enim cantilenam dum repetit, a me quoque saepius dicta iterari, non aegre feret. 2. De pellicibus Patriarcharum *B. D. HOEPFFNERUS* judicat, quod revera uxores fuerint, licet secundariae, *Gen. XVI. 3.* in *disput. theolog. disp. 7. §. 28. p. 202.* Quam in rem nec ingratum, nec inutile fuerit, ex *B. D. SEBAST. SCHMIDIO* adduxisse, pellices in V. T. non meretrices, in famoso significatu, sed veras uxores, sine pactis dotalibus ductas, fuisse. Transcribam ipsa Theologi verba: *in veteri Testamento duplicis generis fuerunt matrimonia: quaedam cum pactis dotalibus, quaedam vero sine pactis dotalibus. Uxores sine pactis dotalibus ductae domum, non tantum* פילגשים *Pellices, sed &* זונות *Meretrices appellabantur. vid. Lexicon Schindleri Rad.* זנה. *Hinc D. Kimchius ad Judic. XI. 1. scribit, Jiphtachum vocari filium mulieris* זונה *Meretricis, quod fuerit filius pellicis Gileadis: matrem autem ejus vocari* זונה *Meretricem, ideo quod non fue-*

fuerit cum marito suo per pacta dotalia & sponsalia; qua in re par fuerit meretrici, etsi sola cum solo vixerit. Putamus itaque אשת זנונים *mulierem scortationum h. l.* (Hos. I. 2.) *nihil aliud esse, quam pellicem sine pactis dotalibus & sponsalibus ductam. Cujus liberi dicuntur itidem liberi scortationum, quod ex ejusmodi indotato matrimonio nati fuerint. Sic revera aliquid similitudinis inter hanc pellicem & scortum, ut cum D. Kimchio loquamur, fuit, si civiliter considerentur: licet in foro Theologico verum matrimonium fuerit. In Hoseam p. 6.* Quo pacto controversia nostra ad principia sua revocabitur.

§. 18. *Tertium*, quo opinioni suae speciem quandam veritatis conciliare machinatur, est, quod substantialia matrimonii nullam vim patiantur, etiamsi maritus cum soluta misceatur: itaque cum substantialia vinculi conjugalis a tali marito non tollantur, nec adulter dici poterit. *p. 41.* Hoc, quaeso, quid est aliud, quam errorem errore defendere. Peccat talis in matrimonii *materialia*, quia numerum personarum, nuptiali societati divina positum lege, adauget; peccat in *formalia*, quia unitatem carnis, non nisi cum una concessam, cum peregrina multiplicat. Nonne hoc est, substantialia vinculi conjugalis tollere?

§. 19. *Quartum*, quod ipsum decepit, profitetur fuisse, quod ex ejusmodi commixtione proli non metuendum de incertitudine Parentum: Discrimen vero inter virum & uxorem concumbentem cum alio manifestum est, quod ex illius commixtione cum alia parentes sobolis certi sint, nec confundantur familiae. Ab uxoris commixtione ista certitudo deficit. Maritus potest plures quam unam uxorem tueri, uxor

vero

vero ſaltem uni obedire. *p. 41.* Fluunt iſta ex falſa hypotheſi, qua forma conjugii partim cum fine, partim cum officiis Conjugum confunditur. *Cum fine*, nempe generatione liberorum, quorum ſingulis expedit exploratam Parentum ſuorum habere rationem. *Cum officiis mutuis*, qualia ſunt: *tueri uxorem*, &, *marito obedire.* Ita vero cum larvis pugnat. Nusquam offendet me ita argumentantem: Maritus ex amplexibus ſolutae adulter evadit: quia liberi hinc naſcendi ignorabunt Patrem ſuum; vel: quia non poteſt plures uxores tueri. Operam igitur perdit, ex his fontibus adverſus me pugnando. Nexus argumentationis meae is eſt: Maritus ſolutam deperiens adulterio tenetur: quia facit, quod repugnat formae matrimonii, fidemque conjugalem mutuo datam violat, denique & a Chriſto in crimen adulterii vocatur. Quae non reſcindet, etiamſi millies, decurſo ſpatio, ad nauſeam usque renovaverit ſua: *liberis tamen conſtare poſſe, quibus Procreatoribus vitam debeant*; & porro: *Maritum novam illam ſociam non minus ac priorem tueri poſſe.* Ictus iſti non me, ſed aëra vibrant. Ita operam quidem theatro ſuo gratam facit; verum non diſputatio, ſed nugatio eſt. Plurima ſunt abſurda, quae *conſultiſſimum* meum *Antagoniſtam* premunt, ejusque ſententiam approbatione indignam reddunt. Pone enim, conjugatam ex amoribus furtivis non fieri gravidam, ideone adulterii culpa vacabit? Utique, ſi maritus idcirco adulter dicendus non eſt, quod ex commixtione ejus Parentes ſobolis certi ſint, nec confundantur familiae; ab uxoris autem commixtione iſta certitudo deficiat. Remota enim cauſa, removendus quoque erit effectus. Ita jam olim reſpondit *CARPZOVIUS*, JCtus, dignus omnino, qui ipſe audiatur *in Praxi Criminal. P. 2. Q. 52. fol. 15. 16.: Committitur fallacia cauſae; non enim propterea vir cum alterius uxore concumbens adulter eſt, quia partum*

 ſpu-

spurium supponit alteri, sed quia ejusdem matrimonium violat, ac vinculum conjugale rumpit, l. 1. C. ad leg. Jul. de adult. ut supra pluribus fuit demonstratum; Quod quia maritus virgini aut scorto se agglutinando aeque facit, ac conjugium suum frangit, utique & is adulter erit. At, licet insitio stirpis spuriae in alienam familiam casu priori, quo vir cum uxore alterius se miscet, delictum non parum aggravet, poenamque exasperet, ita ut in adulterio in nupta commisso dupliciter peccetur, tum violatione tori, tum insitione partus spurii, quo forsan respexit Papinianus JCtus in d. l. 6. §. 1. exinde tamen nequaquam inferri potest, per solam tori violationem adulterium non committi; Quid enim, si ex ejusmodi commixtione cum alterius uxore liberi non procrearentur, anne propterea adulterium fuisse commissum, negari poterit? Non certe, quia de violata fide conjugii vir adversus uxorem adulteram agit, l. si uxor. 13. §. judex. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 1. C. eod. tit.

§. 20. Illuc me nunc refero, unde sum abductus. Disquiritur inter nos: num Christus marito, legitimam uxorem dimittenti aliamque ducenti, *Matth. XIX. 9.* dicam adulterii scripserit, propter dimissionem prioris, an propter superinductionem novellae conjugis? Posterius ego, contra *Dn. D. Willenbergium*, Prius asserentem, ex ipsa Scriptura probavi. Refert, nostra summatim intelligi. Argumentatus sum: *Christus maritum, qui dimissa uxore novam ducit, adulterii insimulat, aut ob dimissionem, aut ob nova vota cum alia. Atqui non ob dimissionem; Ergo ob nova vota cum alia. Assumtum* probatur, 1. quia, si dimissio dimittentem adulterii redderet reum, Christus pro firmanda accusatione non opus habuisset, addere: *& ducit aliam.* 2. quia Christus *Matth. V. 32.* de marito, uxorem injuste dimittente, agens, ejusque culpam exaggerans, dicit quidem, illum

lum uxorem dimissam periculo adulterandi exponere, ipsum vero adulterii commissi non incusat. Quae in ordinem redacta hoc modo concludunt: *Quicunque in exaggeranda culpa maritorum perfidorum 1. maritum, qui uxorem tantum repudiat, adulterii reum non agit; agit vero 2. reum, qui uxore repudiata aliam ducit; ille marito non propter dimissionem uxoris, sed superinductionem novellae conjugis dicam adulterii scribit. Atqui Christus in exaggeranda culpa maritorum perfidorum 1. maritum, qui uxorem tantum repudiat, &c. Ergo Christus marito non propter dimissionem uxoris, sed superinductionem &c. Major* probatur, quia, si maritus nuda uxoris dimissione reatum adulterii contraheret, Christus atrocitatem delicti evolvens id non praeteriisset; eo maxime in loco, ubi de adulterio dimissae uxoris, si alii nupserit, egit. Alia igitur ratio, cur Christus in virum, qui uxorem dimittit, adulterii culpam non impingat, dari nequit, quam, quia adulterium non in repudio uxoris, sed laesione vinculi per violationem tori consistit, a qua dimittens maritus usque liberum se praestat, dum novam non duxerit. *Minorem* ipsa textuum Biblicorum verba tuentur, quod vel sola αὐτοψία, nobis etiam tacentibus, docebit. 3. quia dimissam ducens, adulter audit, quanquam vel solus fuerit, vel ligatus, uxorem vero non dimiserit. Necto terminos: *Quodcunque scelus Vir aut uxorem non habens, aut, si habet, eandem retinens, ducendo injuste dimissam admittit, illud non in dimissione uxoris, sed in connubio consistit. Atqui scelus adulterii Vir aut uxorem non habens, aut, si habet, eandem retinens, ducendo injuste dimissam admittit; Ergo scelus adulterii non in dimissione uxoris, sed in connubio consistit. Major* probatur, quia ejusmodi vir, a peccato dimissionis se tenens, non alio nomine in crimen adulterii incurrere potest, quam quod dimissam ab alio, cum quo illa in nexu adhuc versatur, sibi jungit uxorem. *Minor* est Christi, indefinite de quocunque viro, repudiatam ducente, agentis *Matth. V. 32.* 4. quia

adulterium & dimiſſio diverſa habent Objecta. Dimiſſionis, qualis nunc in cenſum venit, Objectum eſt propria & legitima uxor; adulterii non niſi aliena. Equidem, ſi quis forte cum propria concumbens, rem ſibi, ex compoſito, cum aliena eſſe, exiſtimet, in foro divino reus adulterii erit; at ſpectabitur, eo in caſu, propria tanquam aliena. Arguo: *Cujuscunque actus marito tributi Objectum propria ejus ac legitima uxor eſt, in illo actu non poni poteſt adulterium. Atqui actus dimiſſionis marito tributi Objectum propria ejus ac legitima eſt uxor; Ergo in actu dimiſſionis non poni poteſt adulterium. Major:* quia adulterii Objectum eſt peregrina femina. *Minor:* quia dimiſſa non erat aliena, ſed propria & legitima dimittentis uxor.

§. 21. Quo in negotio a partibus meis habeo JCtos celeberrimos, quorum teſtimonia leguntur *in juſtitia cauſae p. 115. 119. 120.* Quibus nunc jungo ex Theologis *MELANCHTHONEM* de Quaeſtione: Ob Chriſten vergönnet ſey/ auff einmahl mehr denn eine Ehe-Frau zu haben? Chriſtus/ inquit, ſpricht vom Ehe-Scheiden: Wer ſein Ehe-Weib verläſt und freyet eine andere/ der bricht die Ehe mit ihr. Wenn er allein das Scheiden straffet/ ſo wäre es kein Ehebruch/ ſondern wäre ſonſt eine *injuria* an der Verlaſſenen. Item, ſo es unrecht/ freyen nach Verlaſſung der erſten/ ſo iſt es auch unrecht/ freyen ohne die Verlaſſung. *DEDEKEN. Conſil. Theol. Tom. 3. fol. m. 42. Edit. Jenenſ. A. 1671.*

§. 22. Audiamus de his *Dn. D. Willenbergium* in *iteratis praeſidiis c. 2. §. 30. (§. 35.) ſeqq. p. 41. ſeqq.* Reſpondet 1. repetendo diſtinctionem ſuam inter adulterium late & ſtricte ſumtum: Examinemus, an ex Chriſti dicto *Matth. XIX. 9. Dico vobis, quod, quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committat*, crimen adulterii incurrat, qui durante vincu-

culo cum priore conjugio aliam uxorem ducit? *D. Weickhmannus* hoc affirmat, quia ſuperinductione novae uxoris, vinculo cum priore adhuc durante, violatur thorus, haec vero violatio thori crimen adulterii conſtituit, & quia Chriſtus dicit: *dimittit & ducit aliam.* Si ſola dimiſſio crimen adulterii inferret, non opus habuiſſet Chriſtus addere: *& ducit aliam.* §. *14. p. 109. ſeqq.* Reſpondeo, recedit Adverſarius nimium quantum a mente SS. qui nunquam ſuperinductionem novae uxoris pro violatione thori, & nunquam pro ſpecie adulterii aeſtimat. Duplici in ſenſu adulterium in SS. definiri, dictum *h. c.* §. *31.* (§. 33.) Neceſſe eſt id in noſtro textu appellatum, habere ex duplici illo ſenſu & definitione aliquem. Non vero habet prioris definitionis ſenſum. Ergo Chriſtus in poſteriori ſenſu hoc loco adulterium definit, quod ſit, qui priorem uxorem ſuam dimittit, & adulterii ſpecies dimiſſio ejus, non ſuperinductio novae uxoris. *iter. praeſid. c. 2.* §. *35. p. 41.* *Excipio :* Non bona fide, nec ſerio, nec vere rem ſuam facit Adverſarius. Nam 1. non de qualitate adulterii, ſed de fundamento & principio ejus nunc disquiritur. 2. Diſtinctio Willenbergiana inter adulterium *late* & *ſtricte* dictum, idque ex uſu Scripturae, ad eum modum exploſa a me eſt, §. *4. ſeqq.* ut ne quidem repeti mereatur, tantum abeſt, ut quicquam adverſus me efficiat. 3. Vide vero hic ludificantem, non diſputantem Adverſarium. Argumentatio mea eſt : *Si dimiſſio uxoris maritum dimittentem adulterii arguere poteſt , Chriſtus pro firmando ἐγκλήματι non opus habuit, addere : & ducit*

aliam. Quod adjungens teſtatur, in dimiſſione non conſiſtere adulterium. Reſpondet Ille: quia maritus ejusmodi non committit adulterium ſtricte tale, h. e. cum alterius uxore; Ergo cauſa adulterii eſt dimiſſio. Quae vero reſponſio rationem argumenti mei ne tangit quidem, praeterque repetitionem theſeos nihil continet. Perinde, ac ſi dixiſſet: quantumvis Chriſtus maritum de adulterio ideo accerſat, quod non modo priorem dimiſerit, ſed & novam duxerit uxorem; ego tamen dico, non in ſuperinductione novae, ſed dimiſſione prioris conjugis adulterium poni.

§. 23. Pergit 2. Patet de hoc (Patet hoc) plenius ex *Marc. X.* 11. ubi dicitur: *moechatur adverſus eam,* conjugem ſcilicet priorem, moechari vero non poteſt alio modo, quam ſua ſeparatione, qua defraudat eam ſuo marito, eamque ita vitiat. *ibid. p. 41.* *Excipio:* haec, ſi quid valent, theſin Adverſarii confirmare, non vero argumentum meum ſolvere, videri poſſunt. Argumentum erit hujusmodi: *Quicunque maritus dicitur moechari adverſus uxorem, ille adulterium committit, non ducendo aliam, ſed illam dimittendo. Atqui maritus ille, qui uxorem dimittit & ducit aliam, dicitur moechari adverſus uxorem; Ergo maritus ille, qui uxorem dimittit & aliam ducit, adulterium committit, non ducendo aliam, ſed illam dimittendo. Majorem* probat: quia moechari non poteſt alio modo, quam ſua ſeparatione, qua defraudat eam ſuo marito, eamque ita vitiat. Reſpondeo: 1. Non deſunt, qui per αὐτὴν recens ductam intelligunt, ἐπὶ pro ἐν accipientes, pro quo etiam *Rom. V. 12.* & alias plurimum ponitur, hoc ſenſu: adulter fit in ea, ἣν ἐγάμησε, ut innuatur, perſonam ductam, ſi ignoret, poſſe eſſe innocentem. *Eraſm. Schmidius in h. l.* Sed con-

concedam Adversario, dimissam intelligi. Ita vero 2. nego *majorem* Propositionem. Nam nullum adulterium cum propria, sed omne cum aliena committitur. vid. supra §. 20. 3. Probatio, quam addidisse videri vult, nulla est. Idem enim probavit per idem. *Major* est: *quicunque maritus dicitur moechari adversus uxorem, ille adulterium committit, non ducendo aliam, sed illam dimittendo.* Probatio: *quia moechari non potest alio modo, quam sua separatione, qua defraudat eam marito suo, eamque ita vitiat.* Est mera tautologia. Idem, ac si dixeris: hoc instrumentum est gladius; quia non aliud esse potest quam ensis. Idipsum enim in Quaestione versatur: num dimissio adulterium constituat? quod quisquis inde probat: quia non alio modo quam separatione committi adulterium potest; nae is circulari lusu ipse delectatur aliosque circumducit? 4. defraudari dimissam marito suo, largior; vitiari vero juxta nego, atque ipsum dimittentem dimissione adulterum fieri. 5. quia *Subjecto* duo annexa leguntur: *dimittere uxorem*, &: *aliam ducere*, praedicatum: *adulterum fieri*, restringendum non erit ad illud annexum, cui per naturam repugnat. Hinc argumentum inverti potest. vid. §. *20. num. 4.*

§. 24. *Tertium*, quod urget, ne quidem simulacrum rationis exhibet: Notanter dicit Christus: *qui se separat & ducit*, non, *qui se separat vel ducit*, ut excludat ab adulterio superinductionem alius foeminae, & illius naturam in sola separatione constituat. *p. 42.* Aut destituit me omnis ratio, aut penetrare nequeo, quemadmodum haec concludant. Peponem habuerit pro corde & fungum pro cerebro, qui eam connectendi rationem admiserit: *quia Christus copulative loquitur:* qui se separat & ducit, *excludit ab adulterio τὸ ducere aliam feminam, & illius naturam in sola separatione constituit.* Quae tantopere fallunt,

lunt, ut contradictoria ſit verior: *quia Chriſtus copulative loquitur: qui ſe ſeparat & ducit, utique non excludit ab adulterio τὸ ducere aliam feminam, & illius naturam non in ſola ſeparatione conſtituit.* Dicet forte: me eosdem offendere ſcopulos, excludendo ab adulterio dimiſſionem, idque ſoli ſuperinductioni referendo. Verum ſalva res eſt. Ita ſentire me, non abnuo; aſt multo ex altiori principio. Non argumentor ex copulativa: Chriſtus dicit: *qui dimittit* ET *ducit; Ergo ab adulterio dimiſſionem excludit, & illius naturam in ſola conjunctione conſtituit.* Longe ſecus mea fluunt. Quorum is eſt nexus: Quia 1. Chriſtus marito uxorem dimittenti, neque ad nova vota deſcendenti, dicam adulterii non impingit; 2. Objectum adulterii non eſt congruens dimiſſioni, nec dimiſſionis adulterio: ſequitur, quod inculpatio adulterii non dimiſſione, ſed novis votis nitatur. Praeſtolor reſponſioni.

§. 25. *Adhaec* opinatur, Chriſtum aliter locuturum fuiſſe, ſi, novum connubium rationem adulterii habere, exiſtimaſſet: Si ſuperinductio ad conſtituendum adulterium ſufficeret, potuiſſet Salvator illud Phariſaeis aliis verbis definire, & dicere: eum ſolvere conjugium, qui aliam uxorem ducit, non opus fuiſſet tanta prolixitate verba de divortiis facere. *iter. praeſid. c. 2. §. 35. p. 42.* Reſpondeo: 1. Potuiſſe Chriſtum commutata dicendi ratione uti, eundemque ſenſum aliis phraſibus veſtire, quis negare auſit? Verum *quis Conſiliarius ejus fuit? Rom. XI. 34.* 2. Ego vero affatim prorſus partes meas explevi, ſi, quam Chriſto mentem tribuo, verbis ejus reſpondere demonſtratum dedero. Quod praeſtitum a me eſſe, res ipſa docebit. Reſpondeat formaliter ad argumenta mea, aut ſentire me ita patiatur. conf. §. 20. 3. Nihil abundare in reſponſione Chriſti, docui in *Vindiciis* meis, rationes, cum ex textu, tum ex natura ipſius rei, derivatas

vatas dilucide explicans, cur Christus dimissionem simul commemoraverit. Fecisse nimirum id 1. quia Judaeorum Quaestio dimissionem involverat, casum Christo proponens de uxore, per repudium dimissa; 2. quia dubitari poterat, quin, facta dimissione, recentius matrimonium in suspicionem adulterii juste vocaretur. Commercium enim Viri cum duabus uxoribus manifestius pugnare cum regula connubiali: duo debent esse una caro; quam, si quis, priori dimissa, cum nova, eaque sola, consvescat. Fecit quidem periculum *D. Willenbergius* in *praesid. j. d. p. 23.* elabendi, eaque re verba mea corrumpens falsa mihi tribuit; ego vero ex laqueis ejus ita me exui in *justit. causae p. 111. seqq. 117. seqq.* ut prorsus conticescens omnia ista Lectorem celaverit. Ne tamen victus appareat, dicit, Christum ideo tanta prolixitate verba de divortiis facere, ut doceat, dimissione, non nova copula adulterium committi; veras autem hujus rei rationes, a me indicatas, negligit, quia subactos iisdem esse conatus suos sentit.

§. 26. *Praeterea*, ne vaniloquentiae Christum arguere videatur, ipse rationes fingit, quare secundarum nuptiarum commeminerit. Quod ideo factum arbitratur, ut constet, ejusmodi intelligi dimissionem, quae pro perfecta deliberatoque animo facta, non vero nulla, haberi potuerit. Caeterum quod & mentio secundarum nuptiarum in istis verbis fiat, ideo factum est, quod documentum praebeant deliberati animi de facta separatione, & uxori, a qua divertit maritus, omnem spem reconciliationis adimant. Quamdiu enim de isto animo non evidenter constat, separatio adhuc nulla erit, consequenter nec adulterium dici poterit, ut perpe-

ram ea prolata appareant, quibus circa *fin.* §. 17. *p.* 115. Adversarius meus in contrarium disputat. *iter. praesid. c. 2. §. 35. p. 42.* Respondeo: haec praeter rem dici, meraque esse figmenta. Loquitur Christus 1. de tali separatione, qualis ob praecedaneum uxoris adulterium alias fiebat. *Omnis, qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committit.* Est enunciatio exceptiva, qualem appellant *de Subjecto:* quia sub Subjecto: *dimittere uxorem*, aliquid: *dimittere ob fornicationem*, per signum exceptivum: *nisi*, tangitur. Requiritur vero ad exceptivam enunciationem, ut Subjectum, sub quo fit exceptio, commune sit, utque terminus exceptus sub communi illo subjecto contineatur. Argumentor igitur: *qualis dimissio est, quae fit ob fornicationem, talis etiam est, quam Christus extra casum fornicationis intelligit. Atqui dimissio, quae fit ob fornicationem, talis est, quae pro perfecta, non pro nulla, haberi poterat; Ergo dimissio, quam Christus extra casum fornicationis intelligit, etiam talis est, quae pro perfecta, non pro nulla, haberi poterat.* Sicut *Minorem* nec ipse Adversarius in dubium vocabit: ita *Majorem* quoque concedere per regulas receptas, in ipsaque enunciationis exceptivae natura fundatas, cogitur. Sin; dimissio, sub qua fit exceptio, non communis erit illi, quae excipitur, neque haec sub illa continebitur: quod implicat. 2. Intelligitur separatio intercedente repudii libello facta, qualis lege Mosis si non praescripta, saltem permissa erat. *v. 7. 8.* Neque Judaeis separatio qua torum & mensam, quam hodie appellamus, cognita aut recepta fuit. Hinc *B. D. SAM. STRYKIUS* vel ex interrogatione Judaeorum constare putat, Christum totalem dimissionem quoad vinculum intelligere: *Christum tentare voluerunt Pharisaei, cit. cap. XIX. ut animadverterent, cuinam parti inter dissentientes* (Schammaeanos & Hillelianos) *faveret. Ex quibus constat, Christum fuisse interrogatum de dissolutione matri-*

trimonii quoad vinculum, *haec enim tantum inter Judaeos erat cognita, & sic etiam responsio Christi de totali dissolutione intelligenda, dum aperte* libertatem divortiorum ad unam causam, adulterii scilicet, restringit. *de usu moderno Pandect. Continuat. 3. L. 24. Tit. 2. §. 1. p. 251.* 3: Forma separationis secundum *BUXTORFIUM de sponsal. & divortiis p. 80.* consistebat in libello repudii, & scripto & in manum mulieris, vel saltem in potestatem ipsius, tradito, idque vel ab ipso marito, vel a Delegato & Procuratore ipsius. Quo in libello maritus uxori dimissae nubendi alii viro facultatem concedebat, his usus verbis: *ego N. qui vocor N. filius R. N. Sacerdotis, repudiavi, dimisi, atque expuli Te, Te, inquam, uxorem meam, quae vocaris N. filia R. N. Sacerdotis, quae fuisti antehac uxor mea: nunc vero repudio, dimitto & expello Te, Te, inquam, ut facultatem & potestatem habeas, pro lubitu tuo, abeundi & nubendi omni Viro, cui volueris, nec quisquam possit impedire manum tuam, a die hoc & usque in seculum; atque sic ecce* permissa es cuivis. *BUXTORF. l. c. p. 165.* Ultima verba: *permissa es cuivis*, corpus, id est, substantiam libelli vocat *Majemonides*, referente *Buxtorfio, p. 83.* Quid vero hinc? Multum utique, atque omne adeo punctum. Quia enim Christus de tali loquitur dimissione, qualis 1. propter adulterium fieri poterat, & quidem 2. intercedente repudii libello, quo 3. dimissae facultas conferebatur nubendi alii: non opus habuit, dimissioni ideo addere: *& ducit aliam*, ut ex accessione ista de seria dimittentis voluntate constaret, quippe quam ex solo libello cognoscere dimissa abunde poterat. Qui, cum formam daret dimissioni, non permittebat hanc pro nulla haberi, usque dum nova mariti vota documentum praeberent deliberati animi de facta separatione. Quo ipso tota Adversarii structura corruit. Proinde nec perperam a me prolata sunt, quae in *justit. causae p. 115.* leguntur. Respondi

ſcilicet ibidem *Adverſario meo* & *Bruckenero* : ſi in dimiſſione, uti opinantur, adulterium conſiſtit; ſpem ſubſecuturae reconciliationis dimiſſae uxori relictam Virum ab adulterio non immunem reddere, quemadmodum nec ſpes recuperandi bona ablata furem a furto liberet. Ideoque Chriſtum in ſententia de adulterio lata ad ſpem illam non reſpexiſſe. Oſtendat, quid vitii habeat illud reſponſum.

§. 27. *Tandem* attentius nobiscum expendamus, quid reſponſi ad *Matth. V. 32.* dederit. Nihil dexteritatis in nobis deſiderabit, ſi ipſum loquentem audiverimus: Atat nondum omnem vim contrariae ſententiae his noſtris enervaſſe videbimur. Nam *Matth. V.* 32. de ſolo repudiante agitur, & non dicitur eum moechari, ſed tantum occaſionem dare uxori repudiatae, ut moechetur. Contra *Matth. XIX.* 9. de dimittente & ducente agitur, qui dicitur adulterium committere. Ergo ſuperinductio novae uxoris adulterium conſtituit, non ſola ejus dimiſſio. Argumentum hoc *D. Weickhmanni* eſt §. 17. *p.* 114. de quo ibi pluribus. Verum inſpicienti iſtum textum apparet, plane impertinenter illum in hanc ſententiam allegari, cum caſum referat de marito repudiante quidem uxorem, ſed repudiante eam absque evidenti indicio in perpetuum eam deſerendi, & nondum omni ſpe praeciſa ad reconciliationem & reddendam gratiam. Patet de hoc (Patet hoc) ex textu, quando uxor moecha dicitur, quae alii nupſit, cum hujus rei criminis rea dici

non

non posset, si in totum, ex ruptione vinculi conjugalis per maritum facta, ab ipso separata fuisset, quia ad secunda vota illi, utpote innocenti & erga maritum nullo amplius vinculo ligatae, liber de jure transitus pateret. Maritus vero ita repudians procul dubio adulterii reus non est, quia non apparente serio suo divortio, vinculum conjugale inter ipsum & uxorem suam salvum est, in cujus ruptura tamen adulterii natura proprie tantum ponitur. Quod igitur uxor ita repudiata moechari dicatur, fit ea ex ratione, quod nubendo secundo non tantum officia priori marito subtrahat, sed & ea alii exhibeat, quae bonis verbis debebat iratum maritum demulcere & commovere, ne ipsam a se depelleret. Hoc vero quando negligit, & alii nubit, omnino moechari dicitur, quae adulterium in primo & crassiori sensu committit, §. 31. *h. c.* ac repugnante naturae lege, quae non permittit duos simul viros habere unam uxorem. Idcirco etiam in pari sensu ille moechari dicitur, qui tali modo separatam ducit. Nam violat thorum alterius & commiscet se cum ejus uxore, quod & in primo illo sensu adulterium est, & Deo semper abominabile fuit. Maritus ergo assumtione novae uxoris adulter non fit, nam nihil ex vinculo illo, quo uxori suae obligatus est, detrahit, quae detractio demum ipsum a-

 dul-

dulterii reum constituit. *iterat. praesid. j. d. c. 2. §. 36. p. 42. 43.* Quam apte omnia dicta sint, non inquiram, sed, missis reliquis, quae rem ipsam proxime tangunt tantum curabo. Pertinet tota haec *paragraphus* ad secundam & tertiam rationes, quibus in §. *20.* ex *Matth. V. 32.* probavi, intentatam marito adulterii actionem non niti dimissione. Id quod vel ex eo cognoscatur, quod Christus maritum cum uxore divortium facientem adulterii non arguat, repudiatam vero alii nubentem non secus, ac qui illam duxit, hoc nomine in jus vocet. *Dn. D. Willenbergius* negat vim consequentiae, subministrata alia causa, quam actioni adulterii praepedimenta dedisse opinatur. Casum scilicet *Matth. V. 32.* nobis sisti de marito repudiante quidem uxorem, sed absque evidenti indicio in perpetuum eam deserendi, & nondum omni spe praecisa ad reconciliationem & reddendam gratiam: *Excipio:* dimissio effectum juris ex forma sua, non duratione, nanciscitur. Ad formam traditio libelli, quem vocant, repudii, pertinet, ut legere est apud *Buxtorfium l. c.* qui, pene innumeras conditiones, tum circa scripturam libelli, tum circa ejus traditionem, positas fuisse, refert, eum in finem, ut res tanto difficilior & operosior redderetur, ipseque dimittens ad maturiorem deliberationem permoveretur. *p. 82.* Quapropter figmenta Adversarii in ventum abeunt, de serio dimittentis animo non constitisse, nisi ex novo matrimonio. Erat etenim hoc negotium adeo scopulosum totque circumstantiis ac difficultatibus involutum, ut praecipitibus consiliis locus vix esset, aut, si quis forte temere quidquam sibi sumeret, non destitueretur spatio ad receptum sententiae, antequam illam exequeretur. Si vero in illa perstaret, traditio libelli scripti negotium perficiebat, nisi conditionatus ille esset; quo in casu valor hujus rei a complemento conditionum pendebat. Positis his omni-

omnibus, repudium pro conſummato habebatur, neque alio indicio ſeriae, ex parte Viri, intentionis opus erat, utpote de qua ipſe libellus ſatis dare poterat teſtimonii. Cum igitur Chriſtus *Matth. V. 32.* de ejusmodi repudio agat, quod per recepta inter Judaeos jura firmum ratumq; habebatur, atteſtante *commate 31.*, qua fide *D. Willenbergius* perſvadere nobis audet, caſum intelligi, in quo ſerium divortium non apparuerit? Erantne talia divortia libello conſummata? Argumentor: *Aut Chriſtus tale intelligit repudium, quale inter Judaeos validum habebatur; aut non. Si non intelligit, non contradicit Judaeis, quorum tamen mores graviter objurgabat. Si intelligit, non admittenda eſt D. Willenbergii gloſſa de repudio nondum perfecto.* Dicat: *Chriſtum locutum eſſe de libello conditionato.* Hoc vero ipſi nec largiendum, nec quicquam proderit: quia ſecundum jura Judaeorum tale divortium, quoad conditio impleretur, effectu deſtituebatur, neq; repudiata deſponſari cuiquam poterat, niſi conditione adimpleta. *Buxtorfius l. c. p. 84.* Agit vero Chriſtus de repudio ex ſententia Judaeorum firmo ac valido. Somnia recenſet, dum ſcribit: textum hunc impertinenter a me adduci, cum caſum referat de marito repudiante quidem uxorem, ſed repudiante eam absq; evidenti indicio in perpetuum eam deſerendi, & nondum omni ſpe praeciſa ad reconciliationem & reddendam gratiam. Hoc enim ad verum perfectumq; divortium non requirebatur: quia marito integrum manebat, cum repudiata in gratiam redire eamque reducere, quamdiu non alii viro nupſiſſet. *Buxtorf. p. 98.* Velim hic doceri a *Nobiliſſimo Dn. Antagoniſta*, cur & qua ratione novae mariti nuptiae uxori dimiſſae omnem ſpem reconciliationis ademerint, ut perſvaſum ſibi habet §. *35. p. 42.*? Repudium enim, qua tale, ex ſpe iſta dimiſſam non deturbabat, quousque ſe a novis ſponſalibus contineret;

ret;

ret; neque nova uxor obſtitiſſe potuit, quia, ex hypotheſi ejus, polygamia nulla lege erat prohibita. Uti igitur ante repudium licuit marito plures ducere; ita etiam poſt illud, neque novum connubium ſpem reconciliationis uxori dimiſſae dubiam facere potuit. Videat igitur, quanto periculo aſſerta iſta hypotheſin ſuam, de polygamia non prohibita, pro qua omni conatu dimicat, exponant. Profecto dicendum nunc erit, aut: polygamiam prohibitam fuiſſe; aut: nova mariti dimittentis vota non evidens indicium dediſſe deſerendi in perpetuum ſemel repudiatam. Non melioris ſunt, quae *p. 43.* exhibet: uxorem repudiatam debuiſſe iratum maritum bonis verbis demulcere & commovere, ne ipſam a ſe depelleret. Repudium enim ſeparationem & depulſionem inferebat, neque licebat marito ſoli cum repudiata in una domo & conclavi commorari. Si enim, conſummato repudio, ſolus cum ſola maneret, judicabatur de novo eam duxiſſe, ita, ut ſi denuo eam expellere & repudiare vellet, novus ſcribendus & tradendus ei libellus eſſet. *Buxtorf. p. 84.* Reſtat novum argumentum, quo probatum nobis reddere tentat, repudium hoc loco non verum atque perfectum intelligi, dignum, quod in numeros ſuos redigatur. *Quaecunque uxor, nubendo alii, adulterii reatum incurrit, illa nondum plene atque perfecte fuit repudiata. Atqui uxor illa, de qua Matth. V. 32. agitur, nubendo alii, adulterii reatum incurrit; Ergo uxor illa, de qua Matth. V. 32. agitur, nondum plene atque perfecte fuit repudiata. Majorem* probat, quia, ſi in totum ſeparata a viro fuiſſet, criminis hujus rea dici non potuiſſet, ſed ad ſecunda vota illi, utpote innocenti & erga maritum nullo amplius vinculo ligatae, liber de jure tranſitus patuiſſet. *Minor* eſt textualis. Habent haec ſpeciem quandam probabilitatis. Nego tamen *Majorem*, manifeſta inſtantia infringendam ac debilitandam. Ipſe *Dn. D. Willenbergius* firmitu-

mitudinem dimissionis ex nova mariti copula evidenter cognosci, docet. Nihilosecius Christus adulterium nominat, si quis uxorem, cujus maritus factam separationem novo connubio muniverat & corroboraverat, duxerit. *Matth. XIX. 9. Luc. XVI. 18. : Dico vobis, quod, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committit; & quicunque dimissam ducat, adulterium committat.* Quod si extraneus ille, separatam, cui, judice ipso *D. Willenbergio*, utpote innocenti & erga maritum nullo amplius vinculo ligatae, (utor ipsismet ejusdem verbis,) ad secunda vota liber de jure aditus patebat, foedere thalami sibi jungens, adulter evasit; quidni ipsa repudiata? Animadvertet igitur, *Majorem* suam ejusque probationem fallere. Habet etenim exemplum mulieris, praevia separatione omnibus suis partibus expleta, ob novum vinculum conjugale, adulterii delatae. Ergo ex ejusmodi delatione, separationem invalidam fuisse, male conclusit. Ita respondeo indirecte, exspectans, quid pro solvenda hac instantia sit dicturus. Cui si satisfecerit, ego idem responsi ipsi reddam; sin minus, directam responsionem non abnuam.

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT V.

Vindicatio 1. Corinth. VII. 4.

§. 1. *Tertius locus ab impugnatione D. VVillenbergii vindicandus, est 1. Corinth. VII. 4.*

§. 2. *Repetitur argumentum Autoris, ex mente Ecclesiae, pro invadenda polygamia formatum.*

§. 3. *D. VVillenbergio formaliter ad illud responsuro aqua haesit. Qui tamen*

§. 4. *in* iteratis praesidiis *I. probare molitur: polygamiam h. l. non prohiberi, idque (a) ex contextu.*

§. 5. *Respondet Autor.*

§. 6. *(b) ex dominio mariti in uxorem.*

§. 7. *Respondet Autor.*

§. 8. *(c) ex possibili officii conjugalis*

lis praestatione, in statu polygamico.
§. 9. *Respondet Autor.*
§. 10. *II. Responsiones conquirit ad argumentum Autoris. Quarum* prima *est: particulam* ὁμοίως *in qualitate, non in quantitate paritatem inferre; exemplo locorum 1. Petr. III. 1. V. 5.*
§. 11. *Excipit Autor, argumentum suum defendendo, & Adversarium contradictionis convincendo, denique loca Petri vindicando.*
§. 12. Secunda: *Autorem jus uxoris in maritum non probasse.*
§. 13. *Excipit Autor, 1. notando inanem Adversarii jactantiam;*
§. 14. *2. probando: jus plenarium in corpus mariti uxori ex lege divina deberi.*
§. 15. *III. vindicare conatur responsionem suam, (a) quod omne jus uxoris ex pactis connubialibus fluat.*
§. 16. *Autor utrinque de hoc negotio acta repetit, &*
§. 17. *examinat, quae D. VVillenbergius in* iterat. praesid. *in medium profert.*
§. 18. *(b) quod omnis nuptiarum probibitio, ratione consanguinitatis, sit juris naturae. Quo nomine, exercitii gratia, litem Autori indicit; qui illam*
§. 19. *hoc pacto declinat, veritatem tamen tuetur, oppositis*
§. 20. Hubero, *quem Patronum causae suae constituit D. VVillenbergius, testibus veritatis.*
§. 21. *Inquiritur in sententiam Huberi.*

§. I.

T*Ertius* Scripturae locus, quem Ecclesiae Christianae, jus polygamicum impugnanti, extorquere ex manibus *Dn. D. Willenbergius* conatur, est Pauli, *1. Cor. VII. 4.* docentis, maritum potestatem corporis sui non habere, sed uxorem: *uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus: similiter vero etiam maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Quo de loco egimus: Adversarius meus in *Schediasmate* §. 7. & in *praesidiis j. d.* §. 18. *seqq. p. 25. seqq.*; ego in *vindiciis p. 24. seqq.* & *justit. causae P. spec. Sect. 2. c. 3. p. 121. seqq.* Parcam Lectori molesta omnium repetitione, arbitrio & industriae ejus relinquens, ut collatione utrinque dictorum

uta-

utatur. Rem ipſam, ab Adverſario implicatam, dextre evolvam, nihil intermiſſurus, quo & facilior & ſolutior reddatur.

§. 2. In *vindiciis* partim theſin Eccleſiae probavi, partim impetus Adverſarii propulſavi. Probavi theſin, argumentando fidem & firmamentum ipſi adjungens, hoc modo: *Quicunque proprii corporis poteſtatem non habet, ſed uxori illam dedit, ille copiam corporis ſui alteri uxori facere non poteſt. Atqui maritus proprii corporis poteſtatem non habet, ſed uxori illam dedit; Ergo maritus copiam corporis ſui alteri uxori facere non poteſt. Major* probata fuit: quia juſtitia actionis a facultate agendi pendet, qua deſtitutus agens quicquid ſuſceperit, effectu juris carebit. *Minor* formaliter extat in textu.

§. 3. *D. Willenbergius* hic quoque idem eſt, qui olim. Nec ordinem ſervat, nec formaliter ad argumentum reſpondet. Fecerat quidem ſui periculum, applicando diſtinctionem, inter *facultatem proprii corporis pacto ademtam*, & *non ademtam*, ad *Majorem* argumenti mei; ſed adeo improſpere, ut infortunatius nihil ipſi cedere unquam potuerit. Demonſtravi diſtinctionem illam *Majori* per naturam non eſſe applicabilem, illumque hoc ſpecimine ſatis craſſe allidere, in *juſtit. cauſae p. 131. ſeqq.* Quod ipſum alto ſilentio jam praeteriit, quaſi tacendo & diſſimulando aut ſcripta obliterarentur, aut Lectorum oculi caperentur, ne, quicquid obſtat, legerent. Nos nunc progredimur ad ea, quae in *iteratis praeſidiis* partim repetiit, partim recens novavit, juſto examine ponderanda; quod non ſuſtinebunt.

§. 4. *Primum* probare annititur ſententiam ſuam: verba Pauli: *maritus non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor*, non interdicere marito, ne polygamus fiat. Quam in rem jubet commata, quae textui noſtro & a fronte & a tergo ſunt, conſulere: Conjungamus hic praecedentem & ſequentem

tem versiculum textus nostri, & ex collatione tertii, quarti & quinti versiculi videamus, an ex illo quarto aliquid proferri possit contra polygamiam. Apostoli verba sunt: *& vir uxori dilectionem, quam debet, reddat: similiter etiam uxor marito. v. 3. Uxor non habet potestatem in corpus suum, sed maritus ejus; similiter vir non habet potestatem in corpus suum, sed uxor ejus. v. 4. Ne igitur damno afficiatis alter alterum, nisi cum vos ambo consenseritis de tempore, quo affligitis vos jejunio & ad precationem, & rursus ad eandem voluntatem convertamini, ut non tentet vos Satanas propter concupiscentiam corporis vestri. v. 5.* In specie ex *d. v. 4.* conficitur: Vir, a quo tempore corpus suum dedit uxori, non amplius habet ejus potestatem, sed quemadmodum maritus in corpus uxoris suae consequitur potestatem, ita & uxor potestatem accipit in corpus mariti sui. Consequenter, ut uxor corpus suum pluribus viris impertiri nequit, ita nec suum maritus pluribus foeminis. Hic video, potestatem Apostolum dare uxori in corpus mariti, video quoque, potestatem negari marito in corpus suum, non video determinari potestatem, qualis & quanta esse debeat, quae data uxori in corpus mariti, quaeque marito in suum corpus negata. - - Itaque habet uxor potestatem in corpus mariti, sed aliquam, vir non habet potestatem

in

in corpus ſuum, ſed certa aliqua ratione. Nimirum ad certum uſum illa poteſtatem habet corpus mariti exigendi, de quo nervoſe Apoſtolus in tribus noſtris verſiculis agit, *vir*, inquit, *uxori dilectionem, quam debet, reddat*, v. 3. *nec eam fraudet, ſeu damno afficiat*, v. 5. *quia corporis ſui poteſtatem non habet*. v. 4. Fraudare uxorem prohibetur maritus, quod reddidit Lutherus ſich entziehen / quia in corpus ejus uxor poteſtatem habet. Per iſtam defraudationem vel ſubtractionem procul dubio Apoſtolus totalem & omnimodam intelligit, ut nullam dilectionem uxori exhibeat, quoniam appoſuit cauſam finalem: *ne Satanas conjugem tentet, ob concupiſcentiam carnis alterius*, non talem, quando maritus primae conjugi corporis ſui uſum exhibet, eundem tamen etiam cum alia uxore communicet, (communicat) nam ita non contingit primae conjugi ſubtrahi corporis maritalis uſum, ex quo tentamina Satanae metuenda.

§. 5. Quia *Nobiliſſimus Dn. Doctor* gemina ratione probare vult, in dicto citato uxori non plenariam poteſtatem in corpus mariti vindicari, ut huic polygamo eſſe haud liceat; utramque ſyllogiſtica forma indutam examinabo. Argumentum *primum* tale erit: *Quicunque in verbis antecedentibus maritum jubet, debitam benevolentiam uxori reddere, & in conſequentibus cavet, ne uxor fraudetur, ille in verbis intermediis: maritus non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor, non interdicit marito, ne polygamus fiat, ſed tantum, ne uſum corporis*

uxori in perpetuum subtrahat. Atqui Apostolus in verbis antecedentibus maritum jubet, debitam benevolentiam uxori reddere, &c. Ergo Apostolus in verbis intermediis &c. Respondeo: *Majorem* ne quidem umbram habere veritatis. 1. Inverti potest hoc modo: quia in antecedentibus jam satis perspicue id ipsum docuerat Apostolus: τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω; in tam concinna legum connubialium enarratione, verbis immediate subsequentibus non idem illud vitiosa ταυτολογίᾳ afferet. Observavi hoc in *justit. causae p. 137. Anne credemus, Apostolum in recitandis legibus matrimonialibus ταυτολογεῖν? In hoc igitur versiculo eum plura oportet complexum fuisse.* Ad quae nihil responsi dedit *Dn. D. Willenbergius*; sua tamen repetiit. 2. Una eademque phrasis de marito & uxore adhibetur, qua utrique potestas proprii corporis derogatur. Quod si reliqua in textu obstarent, quo minus phrasis: *non habere potestatem proprii corporis*, facultatem communicandi corpus aliis, negaret, neque lex h. l. extaret, quae uxorem polygamia prohiberet. Unus enim nexus est textualis. Neque est, quod diversitatem sexus habitumque physicum interponat: quia nunc non de ratione physica, sed morali, vel, de lege disquiritur. vid. *justit. causae p. 138.* Si collatio commatum tertii, quarti & quinti, sicut arbitratur Ille, non patitur, ex quarto aliquid inferri contra polygamiam mariti; neque patietur inferri quicquam contra polygamiam uxoris. Quae proinde lege non prohibebitur h. l., pluribus nubere. Si vero, ratione uxoris, stare illa lex potest, non laeso nexu textuali; nihil impediet nexus textualis, quin etiam ratione mariti eadem lex stare possit. 3. limitativa Adversarii: itaque habet uxor potestatem in corpus mariti, sed aliquam, vir non habet potestatem in corpus suum, sed certa aliqua ratione, *p. 44.* non legitur in textu, sed fingitur in favorem polygamiae. *Vir non ha-*

bet potestatem corporis sui, est enunciatio negativa, in qua negatio copulae absolute praefixa destruit, quicquid post se invenit. Non licet *Dn. Doctori* limitare, ubi Scriptura ipsa non limitat, & ex absolute negativa formare restrictivam. 4. Ipse sibi non constat, sed vagis cogitationibus agitatus huc illuc cursat. Nunc enim legem nostram: *maritum non habere proprii corporis potestatem*, de potestate uxoris in corpus mariti ad certum usum, ne scilicet eodem prorsus defraudetur, interpretatur, negatque determinari potestatem uxoris, qualis & quanta esse debeat. At in *Schediasmate* §. 7. concedit, potestatem determinari uxorique corpus mariti exclusive vindicari, si scilicet ita in pactis matrimonialibus transactum fuerit: Apostolus de eo intelligendus est, qui in solidum uni uxori corpus suum addixit, non de eo, qui eam ducendo sibi reservat facultatem ad aliam. Quod ipsum etiam in *iteratis praesid. c. 2. §. 40. p. 45. seqq.* defendit. Utraque sententia vera esse nequit: quia unius dicti non nisi unicus est sensus literalis. Si igitur haec verba: *maritus non habet potestatem corporis sui*, hoc volunt: *maritus non subtrahere debet corpus uxori*, alter ille sensus: *maritus non debet polygamus fieri, si in conventione cum uxore juri polygamico renunciaverit*, non est genuinus. Sunt haec distinctissima, & ab Adversario talia agnoscuntur; quapropter vix assequi nobis licet, quemadmodum utrumque illum sensum, uno in loco, defendendum sibi sumat. Ejus rei ipsum commonui in *justitia causae p. 137.*; sed nec hic responsione me dignatus est, interim nec modum fecit, sed male coepta longius est insecutus. 5. Si in textu non determinatur potestas, qualis & quanta esse debeat, qui Adversarius fidem faciet determinationi a se factae: potestatem illam jus tantum inferre, ad certum usum exigendi corpus mariti? Quae restrictio si fundata est in textu, falsum erit, quod antea dixit:

non

non determinari potestatem. 6. Optime vero in textu omnia cohaerere & sponte fluere, facili negotio demonstrabo. Docet Apostolus I. pro evitanda scortatione ordinatum a DEO hominibus esse medium, proprium scilicet maritum propriamque uxorem habere: idque obtinendo fini adaequatum & sufficiens esse. *v. 2. Propter scortationes*, scilicet vitandas, *quilibet suam ipsius uxorem habeto, & quaelibet proprium virum habeto.* II. Qui vinculo societatis matrimonialis coadunati jam sunt, illorum fidem ad praestandum invicem officia conjugalia obligari: *v. 3. uxori maritus debitam benevolentiam reddito: similiter vero etiam uxor marito.* Animus erat Apostolo ad specialiorem casum *v. 5.* descendere, cui vero III. generaliorem thesin praeponit, fundamentum praeceptorum antecedaneorum complectentem: *v. 4. uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus; similiter vero etiam maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Sequitur IV. casus specialior, cujus gratia lex secunda commatis tertii, de reddenda mutuo benevolentia, limitatur. Casus est solenniorum precum cum jejunio conjunctarum, in quo, consentiente utraque parte, abstinentiae a toro locus conceditur. Observatio Adversarii: Apostolum *procul dubio* totalem & omnimodam subtractionem intelligere, quoniam apposuit causam finalem: *ne Satanas conjugem tentet*, superfluens prorsus est: quia ipse addidit: *nisi forte ad tempus;* quo ipso mentem suam adeo perspicue declaravit, ut nec dubio de illa metuendum, nec ex alio principio demonstrare eandem opus sit. En! quam apte omnia cohaereant. Maritus, pro evitanda scortatione, propriam uxorem, haec proprium maritum habeat; uterque vero alterutri debitam benevolentiam reddat. Ratio: quia neuter potestatem proprii corporis habet. Judicet jam ipse, quantopere argumentum ejus vacillet: quia Apostolus

lus in antecedentibus maritum jubet, debitam benevolentiam uxori reddere, & in consequentibus cavet, ne uxor fraudetur; sequitur, quod in verbis intermediis non interdicatur, ne polygamus evadat, maritus. Apposite sibi respondent omnia, etiamsi haec ita interpreteris, neque vel unam rationem, quae speciem habeat, pro firmanda sua opinione, dissentiens ex contextu eliciet.

§. 6. *Secundum* argumentum, quo Adversarius evinci posse autumat, in verbis Apostolicis uxori plenariam in corpus mariti potestatem non tribui, ex aliis Scripturae locis derivatur, in quibus marito in uxorem conceditur dominium, injuncta huic subjectione: Confido tamen, Apostolum non immemorem fuisse illius potestatis, quae a Deo viro in uxorem suam concessa, cujus eum Dominum fecit *Genes. III.* 16. & illum in mente habuisse, quod ad *Ephes. V.* 22. 23. 24. 25. ad *Col. III.* 18. 19. ipse scripsit: *uxores subditae estote viris vestris in omnibus, sicut Ecclesia se subjicit Christo, quoniam vir caput est mulieris. Viri, diligite uxores vestras, & ne sitis amarulenti adversus eas.* Cum hic Apostolus differentiae rationem habeat inter virum & uxorem, & illum jubeat hanc diligere, hanc e contrario illi subjiciat, ex 1. *Cor. VII.* 4. constabit jam, marito aliqua ratione negatam esse potestatem in corpus suum, & in id uxori aliquam, non plenariam, non absolutam, aut, quam haberet in solidum, potestatem concessam esse. Non cohaererent alias dicta, ab eodem Apostolo sibi minime contrario, prolata: Dominum esse uxoris & uxo-

ri ſubjectum eſſe corpus Domini ſui. Uxorem ſubditam debere eſſe viro ſuo, & virum tamen corporis ſui non habere poteſtatem, ſed uxorem, ſi plenariam poteſtatem vindicare ſibi poſſet uxor in corpus mariti. *p. 44.* Quae ſyllogiſtice ita concludunt: *Quicunque, ex inſtituto Dei, Dominus eſt uxoris, illius corpus uxoris poteſtati in ſolidum ſubjectum eſſe nequit. Atqui maritus, ex inſtituto Dei, Dominus eſt uxoris; Ergo mariti corpus uxoris poteſtati in ſolidum ſubjectum eſſe nequit. Majorem* probat: quia non cohaerent iſta: Dominum eſſe uxoris, & uxori ſubjectum eſſe corpus Domini ſui. *Minorem*, ex dictis ſupra citatis.

§. 7. Poſſem Adverſarium meum ad ea relegare, quibus Theologi noſtri famoſo *Lyſero*, pari ratione, in *Diſcurs. polit. theſ. 84.* ex dominio mariti in uxorem, ad jus ejus polygamicum argumentanti, os obturarunt; ſed redarguam illum ex propriis ejus hypotheſibus. *Reſpondeo:* 1. Si dominium, marito divinitus in uxorem collatum, non admittit poteſtatem uxoris plenariam in corpus ejus, ideo, quia ſubjecta ipſi eſt; etiam non admittet poteſtatem exigendi corpus mariti ad certum uſum. Obſtabit etenim & hic ſubjectio ejus. Profecto, quantum poteſtatis uxori tribuitur, tantum detrahetur & de ſubjectione ejus & de dominio mariti, ſi duo iſta: *ſubjectam marito eſſe;* &: *poteſtatem in corpus ipſius habere,* inter ſe pugnant. Neque 2. admittet jus perpetuae commorationis apud maritum. Gaudet uxor plenaria poteſtate in maritum, qua durationem ſtatus matrimonialis; usque dum uterque vixerit. Oſtendat *conſultiſſimus Dn. Doctor,* qui fiat, ut dominium mariti uxorisque ſubjectio integra maneant, etiamſi uxor plenariam poteſtatem in maritum habeat, qua perpetuitatem nexus matrimonialis; non vero integra manere poſſint, ſi uxori ſimile jus in corpus mariti

tri-

tribuatur? Aut dominio illi omnis adverſatur poteſtas uxoris plenaria in maritum, Dominum ſuum; aut ex dominio illo ad negationem poteſtatis plenariae, uxori convenientis, ſimpliciter concludi non poteſt. Dicat forte: *jus illud mulieris, qua indiſſolubilitatem vinculi, niti lege divina, qualem in negotio polygamias non agnoſcat.* Verum dicuntur iſta omnia in vanum. Si enim idem ille Deus, qui marito Dominium contulit, uxori ſubjectae jus plenarium in maritum, ratione perpetuae durationis commorandi apud illum, conceſſit; conſtat, tale eſſe Dominium, quod conciliari cum plenaria quadam poteſtate uxoris in maritum poſſit. Ex quo manifeſtum evadit: exorta diſceptatione: num in hoc vel illo Scripturae dicto polygamia prohibeatur? pro negativa, ex natura dominii Viris conceſſi, non poſſe concludi, ſed ex aliis principiis oſtendendum eſſe, quod verba textus nullam prohibitionem inferant. Quisquis autem ex fonte dominii argumentatur, ſtatum controverſiae vertit; neque tunc amplius diſputatur de eo: utrum lex prohibitiva exiſtat? ſed: utrum ejusmodi lex ferri potuerit ſine laeſione dominii in uxorem ſubjectam? Cominus tangam Adverſarium meum. 3. Docet ille, Virum cum uxore ducenda paciſci ea de re, ſuumque corpus in ſolidum ipſi addicere poſſe: quo in caſu, ob fidem interpoſitam, polygamo eſſe ipſi minus liceat. Quod in *iteratis praeſidiis* §. 39. p. 45. repetiit: Optime procedit, quod dixi tam in ſchediaſmate, quam in praeſidiis meis: *jus uxoris, quod habet in maritum, ex pacto connubiali aeſtimandum eſſe, ut id in ſolidum ejus ſit,* ſi conſenſerit maritus, non item ſi ſecus. Atat, quia ipſe Deus, Autor conjugii, tali dominio Virum inſtruxit, quale, ex ſententia Adverſarii, cum plenaria uxoris poteſtate in corpus illius ſubſiſtere nequit; ipſi non integrum erit, in fraudem legum divinarum cum uxore depaciſci, eidemque ex pacto jura

tribuere, quibus, ordine diſturbato, *cum* dominium, quo pollet; *tum* ſubjectio mulieris evertuntur. Sententia Adverſarii eſt: Apoſtolum, ſi h. l. plenariam in corpus mariti poteſtatem uxori dediſſet, ſibi ipſi contrarium fore, alio in loco ſcribenti: *uxores ſubditae eſtote viris veſtris in omnibus, quoniam vir caput eſt mulieris;* numquid vero Vir contrarius eſſe poteſt Apoſtolo, quid? ipſi Deo? Nonne ſanctiores haberi leges divinas religio poſtulat, quam ut homines, inita pro arbitrio transactione, ſolvere ſe illis queant? En! quo tandem Noſter, ad incitas redactus, ex hypotheſibus ſuis prolabatur? 4. Dominium mariti in uxorem circumſcriptum & limitatum eſt, quia dominari ipſi debet non ut *ſervae*, ſed ut *ſociae ſuaviſſimae*, cum qua una eſt ipſe caro. Quo de ipſum Deum audiamus. Jubet ille, quem uxoris Dominum conſtituit, Maritum, *diligere* ſubjectam ſibi uxorem, atque *fovere*, ut ſuum corpus; *Epheſ. V. 28. 29. neque acerbum eſſe* contra eam; *Coloſſ. III. 19.* quin imo, *honorem ipſi tribuere. 1. Petr. III. 7.* Sicut igitur & dominio mariti & ſubjectioni uxoris nulla ſui parte quicquam derogatur, cum Dominus, ipſius Dei juſſu, ſubjectam diligere, & fovere ut ſuum corpus, neque acerbum eſſe contra eam, atque adeo honorem illi tribuere tenetur; ita & neutri, ex aequalitate juris in corpus alterius, metuendum. 5. Quoad non docuerit, dominium mariti in uxorem, quale in Sacris literis deſcribitur, huic aequalitatem juris in corpus mariti eripere, vani atque irriti ſunt conatus ejus, quibus ex dominio illo ad deſtructionem poteſtatis muliebris in corpus mariti plenariae tendit. Quod moliens tacite concedit, verba Apoſtoli omnino illud inferre, alias, ad impugnandum hunc ſenſum, dominio mariti pro adminiculo & ſuffragio non uteretur. Tali licentia invecta, quid, quaeſumus, in Scriptura ſacra illaeſum & incolume remanebit?

§. 8. *Tertium* pro opinione ſua ita inſurgit: Enimvero

ita

ita Apostolus polygamiam non prohibet. Cum enim statuit: uxori in totum officia conjugalia a marito denegari non posse, non excludit potestatem marito (potestate maritum,) corpus suum cum alia uxore communicandi, cum officio suo priori uxori non desit, sed illi dilectionem, quam debet, reddit. (reddat) *iterat. praesid. c. 2. §. 39. p. 45.* Quae argumento inclusa ita habent: *Quicquid non impedit maritum, quin uxori suae debitam benevolentiam reddat, illud in verbis Pauli: vir non habet potestatem proprii corporis, sed uxor, non prohibetur. Atqui polygamia non impedit maritum, quin uxori suae debitam benevolentiam reddat; Ergo polygamia in verbis Pauli: vir non habet potestatem proprii corporis, non prohibetur.*

§. 9. Respondeo: *Major* simpliciter est neganda & multas patitur instantias. 1. Neque adulterium impedit; Ergone licitum erit? Dicet more suo: *adulterium alia lege est prohibitum.* Largior; nihilosecius instantia mea firma est & valida. Vel ex eo, quod adulterium inter prohibita refertur, constabit, medium terminum: *non impedire virum in exhibendis priori uxori officiis conjugalibus*, imparem esse negandae prohibitioni. 2. Origo erroris est, quod arbitratur, phrasin: *non habere potestatem proprii corporis*, nihil inferre amplius, quam, obligari uxori ad concedendum usum corporis sui. Sed ipse nimium oberrans Lectorem turbat. Multo amplior est dictionis significatus, quae de uxore usurpata, omne polyandrias jus ipsi intercludit, quidni in eodem commate, ad virum applicata ejusdem erit ponderis? vide, quae §. 5. *hujus capitis* monuimus.

§. 10. *Deinde* responsiones parat ad argumentum meum, quarum *prima* significatum particulae similiter evolvit. Si urgeas in contrarium verbum *similiter*, quo in tex-

tu noſtro Apoſtolus connectit jura mariti & uxoris, & paritatem quandam poteſtatis inter utrumque conjugem ex iſto verbo concluſeris, ut, quemadmodum uxor uſum corporis ſui alii marito concedere non poteſt, ita & maritus non poſſit uſum ſui corporis alii uxori; ad id reſpondeo, vocem *ſimiliter* in qualitate, non in quantitate paritatem quandam exhibere, ut hoc conſtat ex 1. *Petr. III.* 1. *V.* 5. ubi in ſubjectione ſervi & uxores, juniores & ſeniores per iſtam vocem connectuntur, & minime in quantitate ſubjectionis ſunt pares. *iter. praeſid. c. 2. §. 39. p. 45.*

§. 11. *Excipio:* 1. Scripſit ita Antagoniſta meus, ſaltem, ut reſpondiſſe ad argumentum meum, videretur; quod tamen intactum evaſit. In argumento meo particulae ὁμοίως nulla facta eſt mentio, ſed omnis ejus nervus in eo eſt poſitus, quod Maritus, teſte Paulo, proprii corporis poteſtatem non habeat, ſed uxor. Ex quo capite fluere neceſſe eſt, maritum corporis ſui copiam alii, ſive ſoluta ſive ligata fuerit, facere non poſſe, ob defectum poteſtatis in illud; & ſi fecerit, actionem effectu juris deſtitui ac nullam eſſe. Hoc argumento, in *vindiciis*, & in *juſtitia cauſae*, locis citatis, conſtanter pugnavi, ſatis firmamenti & roboris habituro, etiamſi particula ὁμοίως in textu non legeretur. Aggredi illud formaliter Adverſarius auſus non eſt, ſed ſuſtinuit ſe ab eodem. Quod enim dixit, nihil indicari aliud, quam uſum corporis non ſubtrahendum eſſe mulieri, non exhaurit phraſin apoſtolicam multo latius patentem, ideoque argumentum meum non movet. 2. Bene tamen memini, me opinionem ejus: paritatem fidei inter conjuges in eo conſiſtere, ut nullus conjugum alteri corpus ſu-

um

um temere ſubtrahat, ſed ad uſum ordinarium conjugi praebeat, deſtruentem in *juſtitia cauſae p. 138.* ſcribere: *quemadmodum in verſiculo tertio exactiſſima paritas fidei conjugalis intelligitur, ita etiam in verſiculo quarto, ubi non ſatis Apoſtolo fuit, in converſione perſonarum eadem phraſi uſum fuiſſe, ſed repetiit etiam ex priori particulam* ὁμοίως *ſimiliter.* Verum, nec quisquam Theologorum noſtrorum, nec ego, ex ſola particula ὁμοίως argumentati ſumus, ſed ex univerſae orationis nexu. Scilicet, loquitur Apoſtolus (*a*) de hominibus unius ſocietatis, quam illi (*b*) conjunctione in unam carnem conſtituunt; iisdemque (*c*) reciprocum jus deſignat, (*d*) una phraſi deſcriptum, & (*e*) eadem particula comparativa notatum, qua paritatem juris mutui ad uſum corporis alterutrius expreſſerat. Quae ſequens pariunt argumentum: *In quocunque textu particula* ὁμοίως *uſurpatur 1. de hominibus unius ſocietatis, quam illi 2. conjunctione in unam carnem conſtituunt, 3. ad deſignandum reciprocum eorum jus, 4. una phraſi deſcriptum, 5. in connexione juris mutui ad uſum corporis alterutrius; in illo textu particula* ὁμοίως *paritatem juris inter utrumque ſocietatis membrum infert. Atqui in hoc textu particula* ὁμοίως *uſurpatur de hominibus unius ſocietatis, quam illi conjunctione &c. Ergo in hoc textu particula* ὁμοίως *paritatem juris &c.* Applica jam, benevole Lector, ad iſta reſponſionem Adverſarii, & quam apta, quamque conveniens ſit, candide judica! 3. Neſcio, quemadmodum ex memoria *conſultiſſimi D. Willenbergii* iteratis vicibus ab eo ſcripta adeo repente evellantur, ut aſſertis ejus ipſomet vix quisquam alius obſtrepere fortius poſſit. Statuit ipſe, ex ſententia Pauli 1. *Cor. VII. 3. ſeqq.* paritatem fidei inter conjuges in eo conſiſtere, ut nullus conjugum alteri corpus ſuum temere ſubtrahat, ſed ad uſum ordinarium conjugi

pr.e-

praebeat. Esseque praebitionem usus corporis utrique conjugum sine differentia sexus *aequaliter* impositam. *praesid.j.d.*§.*20.p.27.* Nunc vero negat, particulam ὁμοίως eo ipso in loco, quem *paritatem fidei inter conjuges inferre, & utrique eorum praebitionem corporis aequaliter imponere*, docuit, paritatem quandam potestatis inter utrumque conjugem inferre. Quis ista componet! Utro ipsi fides habenda? Utro serio rem suam egit? Dicas adversis ipsum frontibus apparere. 4. Fallor, aut loca, quae adversus me citat, ipse non introspexit; profecto non attentius exegit. Observat, vocem *similiter* in qualitate, non in quantitate paritatem quandam exhibere, uti hoc constet ex 1. *Petr.* III. 1. V. 5. ubi in subjectione servi & uxores, juniores & seniores per istam vocem connectantur, & minime in quantitate subjectionis sint pares. *p.45.* Nam non connectuntur in locis illis personae ejusdem societatis, uti in nostro, sed diversarum. Servi ad societatem herilem, uxores ad nuptialem; Presbyteri ad statum ecclesiasticum, juniores ad communem pertinent. Quibus omnibus, pro diversitate conditionis, diversa etiam officia injunguntur. Praeterea non leviter errat, arbitratus *paritatem in qualitate*, non in quantitate hic exhiberi. Sunt singulis officia sibi propria, multumque subjectio servilis a conjugali differt, prout ipsarum societatum non una est ratio; Ergo in qualitate datur diversitas. In quantitate vero paritatem dari, docebit ipsum Paulus, servis pariter ac uxoribus injungens, ut obediant Dominis & subjectae sint Viris *in omnibus*, *Ephes.V.24. Coloss. III.22.* Tandem, ne rima elabendi ipsi relinquatur, dico, his etiam in locis vocabulum ὁμοίως aequalitatem denotare *obligationis*, non *officiorum*. Una est per omnes societates obligatio

cx

ex legibus divinis profluens; etsi officia discrepent, sicut & consociationes hominum inter se distant. Quisquis vero ratione vel mediocriter uti voluerit, animadvertet, male sibi constare eam colligendo rationem: particula ὁμοίως, quando homines diversarum societatum conjungit, non infert paritatem officiorum; Ergo nec, quando membra ejusdem societatis mutua relatione componuntur.

§. 12. *Secunda* ejus responsio est: Adversarius meus non collatis Scripturae locis & ita sine fundamento argumentatur contra me: maritum proprii corporis potestatem non habere, sed jure divino, non ex conventione, illud in solidum uxori addictum esse. §. *2. 8. 10. p. 121. seqq.* Nam contrarium ex ipsis textibus sacris probavi, ut necesse sit, ibi esse pactum sive expressum sive tacitum ad habendum corpus mariti in solidum, ubi non est superioris vinculum. Cum agnoscat distinctionem meam inter jura matrimonii & jura conjugum, §. *5. p. 126.* & ex textu Apostolico nihil demonstret, quod jus uxoris ad corpus mariti sibi soli communicandum divinae institutionis sit, necesse est, agnoscat quoque ex mutua conventione illud dependere. *iterat. praesid. j. d. c. 2.* §. *40. p. 45.*

§. 13. Haec talia sunt, quae nuda inversione Adversario reddi possunt. Qua mente, mi *Dn. D. Willenbergi*, scribere potuisti, me sine fundamento, non collatis Scripturae locis, argumentari? Putasne, omnes in universum Lectores fascinatum a te iri, ut contra testimonium sensuum jactationi satis superbae, qua tueri te cupis, fidem illico sint habituri? Obsecro Te, ploro

atque imploro, quisquis es, Lector ingenue, evolve paragraphos ab eo citatos, &, nisi, collatis Scripturae locis, argumenta probantia, argumenta, dico, quibus manus ille afferre non ausus est, repereris, perierit apud Te omnis mea fides. Si ille pari dexteritate verba mea, ac ego ipsius, recitasset, neque nudos numeros paragraphorum dedisset, ea sine dubio spe, quod paucissimi evolvendis illis operam sint consumturi; tam insolenter scribere conantem: se contrarium ex ipsis textibus sacris probasse, me vero ex textu Apostolico nihil demonstrasse, verecundia deterruisset.

§. 14. Grave ut faciam pudori ejus, omne negotium in nucleo quasi sistam. Materia litis est: utrum Paulus, quam sanctionibus connubialibus annumeravit, legem: *maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor*, ex humana quorundam conjugum conventione derivaverit, intelligendam non de omni, sed eo tantum marito, qui nuptias abdicatione juris sui pactus fuerit? *D. Willenbergius* affirmativam magno conamine propugnat; ego negativam tueor. Rationes meae sunt 1. quia nullum conventionis mutuae in textu vestigium existit. Rotunda est periodus verbis evidentibus, ipsaque luce clarioribus constans. Nihil de conventione, nihil de pacto, nihil de juris renunciatione. Quae omnia, ad conciliandam hypothesi polygamicae gratiam, conficta textui inferuntur. 2. quia verba Apostoli legem Dei nobis offerunt, quales plurimae in compendium redactae recitantur. *Lex Dei* est: pro fugiendis scortationibus proprium maritum habendum esse, propriamque uxorem. *v. 2.* *Lex Dei:* benevolentiam debitam mutuo reddendam esse. *v. 3.* *Lex Dei:* non nisi ad tempus, pia intentione mutuoque consensu, separationem fieri posse. *v. 5.* Non minoris sunt autoritatis nostra his interjecta. Quae vero legibus divinis praescribuntur, humano arbitrio non debent committi, ut

pa-

pacisci de illis liceat. 3. quia sensus ille Spiritu S. est indignus. Non putandus is est, Legem Dei, quam ipse Adversarius, ex parte mulieris, agnoscit, & placita humana, ex parte viri, eadem phrasi vestita uni periodo inclusisse, non facta humanae conventionis mentione. Quis, nisi omni debitae divino Codici pietatis sensu exutus, verba Apostolica ita interpretari ausit: *uxor, jure divino, proprii corporis potestatem non habet, sed maritus: similiter vero etiam maritus*, (non jure divino, sed ex pacto voluntario, quo, in fraudem dominii, quod in uxorem divine sibi concessum habet, juribus polygamicis se abdicavit,) *proprii corporis potestatem non habet, sed uxor?* Habes rationes meas, dissolvendae pseudhermeniae Willenbergianae abunde suffecturas. Quibus tandem subjunxi: *si fas est, cum sanctissimo Dei verbo ita agere, petulantibus illud ingeniis secundum placita sua corrumpendum exponitur, omnisque ejus certitudo periit. Quid non cadat in hunc animum? Quid non recipiet haec temeritas?* conf. *justit. caus. p. 122. 133.* Quod si Adversarius meus candide & ex animo veritatem quaereret, ordine justo ac distincto ad singulas responderet. Cum vero neglecto responso causam suam reclamando tantum egerit: me non collatis Scripturae locis & ita sine fundamento argumentari; it. me ex textu Apostolico nihil demonstrasse, quod jus uxoris ad corpus mariti sibi soli communicandum divinae institutionis sit, &c. ipse certissimo detexit indicio, velle se ex se ipso, & laudum suarum materiam, & veritatis figuram, gignere. Ne igitur pergat causae innocentissimae insultare, en argumentum! *In quocunque textu 1. nulla conventionis humanae fit mentiio, sed 2. lex divina maritum concernens recitatur, & 3. catalogo aliarum legum connubialium inseritur, atque 4. immediate cum lege uxori lata, una in periodo eademque phrasi copulatur; ille textus*

ſanctionem divinae voluntatis, non liberam hominum pactionem recenſet. Atqui in hoc ipſo textu: maritus non habet proprii corporis poteſtatem, ſed uxor, 1. nulla conventionis humanae fit mentio; &c. Ergo hic ipſe textus ſanctionem divinae voluntatis, &c. Reſpondeat *Dn. Doctor* formaliter, aut deſinat divinam veritatem ſuſpectam reddere, mihique illudere, quod non collatis Scripturae locis ſine fundamento argumenter, nihilque ex Apoſtolico demonſtrem. Velim, doceat ex univerſa antiquitate, in orbe Chriſtiano unquam receptum fuiſſe, ut ea res, quaſi jure divino libera, ad pactiones matrimoniales veniret; aut, quam perſvadere nobis feſtinat, interpretationem olim viguiſſe, interjecto ſpatio obſoletam. Ipſine ſoli Deus mentem Apoſtoli afflatu quodam coeleſti patefecit, quam Eccleſiae per tractum ſeptendecim Seculorum occultam atque tectam habuit? Omnem hoc fidem excedit!

§. 15. *Tandem* III. exemplum facit vindicandi reſponſionem ſuam, *cum*, de jure uxoris ex pacto derivando, *tum* de prohibitione graduum ad ſolum jus Naturae ab eo reducta. Utrumque juſto ordine exploraturi, audiendum ipſum ultra non negabimus: Ad duo adhuc reſpiciendum. Unum, quod ille inani ſubtilitate vindicet inſolubilitatem conjugalem non juribus matrimonii, ſed juribus conjugum, ab illis minime diſtinctis, ut contra me obtineat: non omne jus uxoris ex pacto connubiali aeſtimari debere. §. *4. p. 125.* Quando ille deliberatiori conſilio expendiſſet, dari jura rerum, quae demum perſonis applicata perſonarum fiunt, & dari jura, quae rem aut negotium non attingunt, ſed tantum ex ſpeciali conventione perſonis accedunt, lite iſta carere potuiſſet. Illa rei

ſunt

ſunt & ita rei annexa, ut avelli ab ea nullo contrario hominum pacto poſſint, haec arbitrii hominum ſunt & poſſunt mutari. Exempla illius ſunt *in §.5. J. de Societ. &c.* hujus ſunt exempla *in d. §.5. §. fin. J. quib. mod. obl. toll. L. 9. §. 2. ff. Locati.* Prioribus exemplis annumero inſolubilitatem matrimonii, ac dico, hanc eſſe jurium matrimonii. Hoc jus cum conjuges acquirunt, habent id *ex re*, videlicet ex contracto matrimonio, non habent id *ex ſe*, quia non eſt illorum arbitrii de inſolubilitate matrimonii diſponere. Non nego ergo inſolubilitatem matrimonii poſſe jus eſſe conjugum, ſed nego, hoc jus conjugum ex conjugibus eſſe, ſed eſſe ex matrimonio, quod jus ſibi id ineuntes acquirunt. Adeoque & jus quoddam matrimonii contradiſtinctum juribus conjugum, ut nihil diſpoſitionis circa illud conjugibus maneat. Quando ergo dixi *in Schediaſmate th. 7. omne jus uxoris ex pacto connubiali aeſtimandum eſſe*, jus conjugum in ſpecie tale ſuppono, quod ex illis omnem ſuam originem & valorem habet, ac quoniam de prohibita pluralitate uxorum nullam univerſalem legem divinam reperio, dicere potui: uxorum jus in ſolidum erga maritum ex pacto connubiali dependere. -- Praeter haec duo adhuc repetit: communicationem corporis non niſi uni uxori faciendam *ſpecificum eſſe* matrimonii ingredi, adeoque non hu-

mani arbitrii esse. *p. 126.* Sed hoc petit principium, & a me satis enervatum est supra, adeoque nullam amplius remoram injicit. *iterat. praesid. c. 2. §. 43. p. 48.*

§. 16. Expediri ista omnia paucis possunt. Consultissimus *Dn. D. Willenbergius* de jure uxoris in *Schediasmate* liberius scripsit. Quod abscondere solerter annitens, ex praecipiti tam profunde devolvitur, ut, in quam regionem obvertat, destinare ipse vix queat. Hinc non leviter incurrit, partim Subjectum Propositionis ex praedicato limitando, partim ex ipsa thesi, artificio admodum sibi familiari, respondendo. Perfacile & expeditum mihi erit, detegere hoc juste aestimantibus. Scilicet, responderat in *Schediasmate* §. 7. Apostolum *marito potestatem proprii corporis subtrahentem*, de eo intelligendum esse, qui in solidum uni uxori corpus suum addixit, non de eo, qui eam ducendo sibi reservat facultatem ad aliam. Ratio asserti erat: quia omne jus uxoris ex pacto connubiali aestimari debeat. Argumentum ita haberet: *Quicquid ad jura uxoris in societate nuptiali pertinet, illud non ex sanctione divina, sed pacto connubiali pendet. Atqui non pluribus, sed uni soli uxori usuram corporis sui impertire, pertinet ad jura uxoris in societate nuptiali; Ergo, non pluribus, sed uni soli uxori usuram corporis sui impertire, non ex sanctione divina, sed pacto connubiali pendet.* Respondi ego *in Vindiciis p. 25. 26.* negando *Majorem* Propositionem, quod nihil vilius de juribus matrimonialibus dici queat, quam; *omne jus uxoris ex pacto connubiali aestimandum esse.* Quod si admittas, nullum exciturum jus, ex ordinatione divina profluens. Non igitur obligatum iri maritum, ut, Parentibus derelictis, uxori adhaereat; nec indissolubile fore matrimonium, nisi conventum ita fuerit. Paulum uxoris

ju-

jura, quae recenset *Ephes. V. 31.* non ex pacto, sed lege divina derivare. Esse matrimonium statum a Deo ordinatum, in quo quid juris sit, quidque liceat, ipse regulis sanciverit, quibus, velut vinculis, constricti teneantur conjuges. *Ille* nulla alia ratione evolvere se his potuit, quam distingvendo inter jura matrimonii & jura conjugum. Matrimonii jura non esse humani arbitrii, sed divinae institutionis, nec posse a contrahentibus mutari, sed ingredi substantiam matrimonii, quod sine illis inter conjuges subsistere non possit; qualia sint insolubilitas, mutua fides, sangvinis ac cognationis reverentia &c. jura conjugum in arbitrio nupturientium esse, adeoque mutationi obnoxia, ut si sub ingressum matrimonii mutuo consensu alterutri conjugum de his juribus aliquid detractum sit, ille ultra conventa ab altero paciscente nihil petere possit, sed haec ipsi Lex sint. Talia esse aequalitatem dignitatis, inter conjuges & liberos servandam, corporum & bonorum communicationem, in quantum natura non resistat. &c. Quae ad praesens negotium ita applicat, ut, polygamia non ad matrimonii, sed conjugum jura reducta, ab arbitrio mariti pendere putet: vel unam cum una, vel plures familias cum pluribus uxoribus sibi constituere; &, si per pacta fidem non dederit, ut soli illi cohabitaret, non ei injuriam fieri, quando sui corporis usuram alii quoque uxori impertiverit. *praesid. j. d.* §. *19. p. 26.* §. *20. p. 27.* Ego, ex his ipsis principiis confundi Adversarium posse, docui. Cum enim leges distinctionum postulent, ut membra distingventia dissentiant inter se, (*NOLDIUS de legibus distin-*

stingvendi p.m.148.seqq.) ipsum non mediocriter offendere in eo, quod omnia conjugum jura, sine discrimine, liberrimo eorum arbitrio subjiciat. Nam indissolubilitatem matrimonii ad jura conjugum sine dubio referendam esse, quia Deus eadem utrique conjugum cavere voluit, ne ejiciatur aut deseratur; neque tamen placitis conjugum relictam, sed ab ipso Deo, non diffitente Adversario, lege sancitam esse. Argumentum est: *Indissolubilitas non pendet ex arbitrio conjugum. Indissolubilitas pertinet ad jura uxoris; Ergo Quoddam, quod ad jura uxoris pertinet, non pendet ex arbitrio conjugum.* Quae conclusio contradictorie pugnat cum asserto Willenbergiano: *omne jus uxoris ex pacto connubiali aestimandum. Major* est ipsius Adversarii, in *praesid.j.d.p.26.* dicentis: insolubilitatem non humani arbitrii, sed divinae institutionis esse. *Minorem* probavi, quia insolubilitas in commodum & favorem uxoris cedit. *justit. causae p.125.*

§. 17. Jam examinanda se nobis sistunt, quae recentius ab eo in *iterat. praesidiis p.48.* producta, supra §.15. recitavimus. *Primum* est, me inani subtilitate vindicare insolubilitatem conjugalem non juribus matrimonii, sed juribus conjugum, ab illis minime distinctis, ut contra ipsum obtineam, non omne jus uxoris ex pacto connubiali aestimari debere. *Excipio:* 1. Sunt mea, & qua vindicationem loci Apostolici necessaria, &, qua rem ipsam modumque proponendi, adeo facilia & explicata, ut praeter rem inanis subtilitatis me increpet. 2. Nusquam asserui, jura conjugum a juribus matrimonii minime esse distincta, quin potius, dari quaedam Conjugum jura ab ipsius status juribus distincta, lubens largior; quia vero male ab Adversario positam universalem: *omne jus uxoris ex pacto fluit,* impugnare fortius non poteram, quam per instantiam juris cujusdam, quod uxoris

qui-

quidem, & tamen divinae constitutionis erat, in subsidium vocavi indissolubilitatem matrimonii juribus uxoris vel ideo non excludendam, quia eadem uxori provisum fuit ab ipso Deo, ne a Viro temere exturbaretur matrimonio. Quapropter 3. observavi, Antagonistam meum minus recte indissolubilitatem illam juribus matrimonii accensuisse, in oppositione scilicet ad jura conjugum, quibus illa maxime conducat, ideoque hoc nomine ad eorum jura revocari omnino debeat. Quo ipso haudquaquam negavi, ad jura matrimonii illam pertinere; negavi autem eorum classi ita adscribendam esse, ut conjugum jus salutare illam non liceat, prout dissentiens jura matrimonii & conjugum simpliciter sibi opposuerat. *Deinde* distinctionem inter jura matrimonii & conjugum enucleatius exponit. Quorum summa est: posse utique jura matrimonii etiam conjugum fieri, contracto scilicet matrimonio: quo in casu conjuges illa habeant *ex re*, non vero *ex se*, quia non sint illorum arbitrii. Hinc non negare se, insolubilitatem posse jus esse conjugum, sed negare, hoc jus conjugum ex conjugibus esse, sed esse ex matrimonio, quod jus sibi id ineuntes acquirant. *Excipio:* Totum me in his *Dn. D. Willenbergius* suum habet. Adstipulor, dari jura matrimonii, quae ipsi statui annexa sint; dari etiam jura personarum statui non annexa. Largior & illud, jura matrimonii fieri conjugum societatem istam ineuntium, utroque tunc nomine insignienda: & *jurium matrimonii*, quia statui matrimoniali adhaerent; & *jurium conjugum*, quia eorum fiunt per electionem status. Cujus rei indissolubilitas manifestum sistit exemplum. Hoc vero pacto omnis corruit machina Willenbergiana, cujus ea est textura: Paulus, *uxori tribuendo plenariam potestatem in corpus mariti, intelligendus est de marito, qui jure suo polygamico uxori cessit.* Probatur:

tur: *quia plenariam poteſtatem in corpus mariti habere, pertinet ad jura uxoris, cujus omne jus ex pacto pendet.* Et hoc probatur: *quia jus uxoris ad jura Conjugum ſpectat. Jura Conjugum vero ſunt liberrimo contrahentium arbitrio relicta.* Poſtquam vero fateri ipſe cogitur: dari quaedam jura conjugum, quae non ſint ex conjugibus, axioma ejus: *omne jus uxoris ex pacto connubiali aeſtimari debet*, jacturam facit univerſalitatis, qua exſpirante omne ejus pondus perit. Parat medelam cauſae ſuae laboranti: quando ergo dixi *in Schediaſmate th. 7. omne jus uxoris ex pacto connubiali aeſtimandum eſſe*, jus conjugum in ſpecie tale ſuppono, quod ex illis omnem ſuam originem & valorem habet. *Excipio:* 1. Sic limitatur ſubjectum univerſalis Propoſitionis per ipſum praedicatum. Senſum enim ſi ſpectes: *omnem ſuam originem & valorem ex conjugibus habere*, de jure dictum, idem eſt, ac: *ex eorum arbitrio ac conventione fluere.* Sunt haec Synonyma grammatica. Habebis igitur denuo Propoſitionem identicam. Perinde, ac ſi dixeris: *omne conjugum jus ex arbitrio eorum & conventione fluens, fluit ex eorum arbitrio & conventione.* 2. Quod ſi vero, loco jocis illis conceſſo, argumentantem audiamus; *Minorem* negabimus; atque ſic regrediendum ad priora. Pergit: quoniam de prohibita pluralitate uxorum nullam univerſalem legem divinam reperio, dicere potui: uxorum jus in ſolidum erga maritum ex pacto connubiali dependere. Quia hic ex theſi ſua reſpondet, quam ab integro mihi opponit, non opus eſt exceptione; alias alte & a capite repetenda mihi eſſent, quibus theſin ejus impugnavi. *Tandem* me petitionis principii arguit: praeter haec adhuc repetit: communicationem corporis non niſi uni uxori

fa-

faciendam *specificum Esse* matrimonii ingredi, adeoque non humani arbitrii esse. *p. 126.* Sed hoc petit principium, & a me satis enervatum est supra, adeoque nullam amplius remoram injicit. *p. 49.* *Excipio:* Innoxium me sophisticationis accusari, rationes, quibus probavi: monogamiam ad specificum Esse matrimonii spectare, certissimum dabunt indicium. vid. *justit. causae p. 69.* & *bujus Apologiae Sect. 2. c. 3.* §. *7. p. 127.* Quas *Dn. D. Willenbergius* refutare prius tenetur, quam petitionis principii reum me agat. Argumentatio mea bene sibi constat: *Quicquid ad essentiam matrimonii pertinet, illud non est materia pactorum connubialium. Atqui, non nisi uni uxori corporis sui copiam facere, pertinet ad essentiam matrimonii; Ergo, non nisi uni uxori corporis sui copiam facere, non est materia pactorum connubialium. Minorem* stabiliunt rationes ll. cc. productae.

§. 18. At ne qua scintilla relinquatur, de prohibitione graduum addenda quaedam mihi erunt. Scripserat ille *in praesid. j. d.* §. *19. p. 26.* arbitrio nupturientium commissam etiam esse corporum communicationem, in quantum natura non resistat. Ad quae ego notaveram, libertati hominum eximenda in societate nuptiali non modo ea esse, quibus natura, sed etiam positiva Dei dispositio resistat. Deum enim jure fraudandum non esse pro liberrimo artrio disponendi communicationem corporum in matrimonio, ultra, quam jure Naturae factum. Dari igitur in Periodo Adversarii hiatum, hoc modo supplendum: in quantum nec natura, nec lex moralis positiva resistit. *justit. causae p. 126.* His ita obloquitur, in *iterat. praesid. j. d. c. 2.* §. *43. p. 49.* *Alterum*, ad quod respicio, est censura illa *D. Weickhmanni* §. 4. *p.* 125. *seq.* qua me perstringit, quod male posu-

erim, prohibitionem propinquitatis ad corporum communicationem juris naturalis esse, cum tamen pluribus gradibus prohibitis resistat jus positivum morale. Ego exercitii gratia defendam contrarium, & Patronum causae meae sisto Huberum *P.* 1. *Digress.* *l.* 2. *c.* 18. *&* 19. reservata libertate mihi dubium tollendi a potiori ratione.

§. 19. *Excipio*: 1. pro statu controversiae rite formando monendum est, me non improbasse, quod Adversarius prohibitionem propinquitatis juris naturalis esse docuerit; sed, quod juris illius tantum meminerit, neglecto prorsus jure divino positivo morali; quod ipse non modo admittit, sed & exemplo prohibiti matrimonii inter fratres & sorores illustrat in *Sicilimentis l. 1. c. 1. Quaest. 22. p. 20.* 2. Quam vero litem mihi intendit, ego, periculi licet securus, jure ac merito redimam: quia exercitii causa illam denunciat. Pro exercendis vero ingenii viribus cum ipso decertare, nec vacat, quod agam, affatim habenti, nec pium judico. Ne tamen veritati defuisse videar, dabo argumentum! *Nuptiae in primo gradu lineae collateralis aequalis divino jure positivo universali sunt probibitae. Nuptiae in primo gradu lineae collateralis jure naturali sunt permissae; Ergo quaedam nuptiae jure naturali permissae jure divino positivo universali sunt probibitae. Majorem* probo ex *Levit. XVIII. v. 11. Minorem:* quia Adami liberi matrimonium inierunt, & iniissent in ipso etiam integritatis statu, longiore tractu si durasset. Quod si nuptiae istae juri Naturae adversarentur, nec a Deo ipso concedi potuissent, propter immutabilitatem illius juris. Accedit, quod hoc pacto omnes eorum Posteri ex nuptiis incestuosis descendisse dicendi essent. Quod non admittendum.

§. 20.

§. 20. Quo in negotio non quidem, ut *Ille*, Patronos causae, testes tamen veritatis dabo illustres Trium-Viros. *Primus* eorum est *PUFENDORFIUS*, *quo minus tamen*, inquiens, *horum* (fratrum & sororum) *connubia per se contra jus naturae esse dicamus, id maxime scrupulum movet, quod, prout origines humani generis sacrae nos literae docent, inter protoplastorum liberos, fratres utique ac sorores, necessario matrimonium fuerit contrahendum. Non autem vero sit simile, Deum ejusmodi casum procurasse, ut omnino vis legi naturae esset inferenda; dum speciem humanam propagari jubet, & tamen non aliud ad eam rem praebet medium, quam isthaec connubia. Praesertim cum nulla necessitas Deum subigeret, unum duntaxat mortalium par creare. Nec video, quare nonnulli hanc rationem tanto cum supercilio petulantiae arguant; praesertim cum, quas ipsi in contrarium afferunt rationes, graviores non sint.* de J. N. & G. L. 6. c. 1. §. 34. p. 894. *Secundus* est *D. SAM. STRYKIUS*, de dissensu sponsalitio, Sect. 5. §. 16. p. 208. *Quis diceret, inter fratres & sorores matrimonium refragari juri naturae? Solo enim liberorum Adami exemplo contrarium demonstrari potest. Nam Deus contra jus naturae non dispensat, quia talis dispensatio, tanquam species mutatae voluntatis, imperfectionem contineret, quae in Deum non cadit, & non sit verosimile, voluisse eum, ut ex incestu contra jus naturae peracto universum genus humanum procreetur, praesertim cum nulla necessitas Deum subigeret, unum duntaxat mortalium par creare. Quid igitur dicendum, poteritne illa prohibitio moralis dici, cum tamen naturalis non sit? Ita omnino est. Placet enim distinctio Osiandri inter legem moralem naturalem & legem moralem positivam.* *Tertius* est *D. JOACH. HOPPIUS*, in Comment. ad Institut. Justin. L. 1. tit. 10. de nuptiis ad §. 2. *Matrimonium inter fratrem & sororem jure quoque naturali prohibitum esse,*

communiter volunt Doctores, cum unitas carnis, quae est inter fratres & sorores, naturalem inducat pudorem, qua sua sponte homines a tali connubio repelluntur; verum cum juri naturae perpetua stet immutabilitas, nec Deus ipse contra illud agat, aut dispensare possit, uti demonstratum, & nihilominus in liberis Adami tale connubium admiserit summum Numen, dicendum puto, illud non esse contra jus naturale, sed contra jus divinum morale.

§. 21. *Dn. HUBERUM* autem, juri naturae prohibitionem harum nuptiarum tribuentem, termino *juris naturae* non in strictiori suo significatu uti, quo *juri morali positivo universali* contradistingvitur, ex ipsismet illius verbis apparet: *utique cum sororum consvetudinem jure naturae dicimus prohibitam, intelligimus, aliter hoc interdictum non potuisse habere usum, quam cum per naturam fieri atque effectum habere potuit. Non potuit autem naturae Deus auctor neque voluit sororum vetare congressus, nisi postquam aliarum quam sororum copia fuit in mundo. Unde sequitur, primos mortales hac parte non peccasse, quia prohibitio nulla tunc erat, habilibus, ut loquimur, terminis deficientibus. L. 2. c. 18. §. 4. p. 145.* Cum enim jus naturae, in famosiori suo significatu, invariabilis sit necessitatis, ipsaque hominum natura eadem semper fuerit specie; nuptiae dicti gradus aut non refragabuntur juri naturae, aut, si refragantur, semper prohibitae fuerunt. Conf. B. Röhrensee/Praeceptor olim noster meritissimus, in *prudentia morali p. 227. 254. seqq.*

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT VI.

Vindicatio 1. Corinth. VII. 2.

§. 1. Quartus locus a corruptelis VVillenbergianis asserendus, legitur 1. Corinth. VII. 2.

§. 2. Autor repetit argumentum suum, ex eo formatum, idque

§. 3.

§. 3. eo ordine, quem Adversarius, quantumvis confuse admodum, praeivit, vindicaturum se promittit.

§. 4. D. VVillenbergius I. Majorem impugnat ratione ex textu petita; ad quam syllogismo inclusam

§. 5. Autor respondet, rejiciendo Majorem, &

§. 6. Minorem.

§. 7. II. Minorem aggreditur, probare conatus, vocabulum ἴδιος h. l. communionem non excludere; idque (a) ex Rom. XIV. 4.

§. 8. Respondet Autor.

§. 9. (b) ex Judic. XX. 4.

§. 10. Respondet Autor.

§. 11. III. Inquirit in rationes Autoris pro stabilienda Minore adductas; quarum primam *dicit generalem esse & explosam;*

§. 12. Respondet Autor:

§. 13. secundam *esse ex assumento;*

§. 14. Respondet Autor:

§. 15 tertiam *esse cerebrinam;*

§. 16. Respondet Autor:

§. 17. quartam *nihil momenti habere;*

§. 18. Respondet Autor, &

§. 19. nervum probandi syllogistice eruit.

§. 20. IV. Recurrit D. VVillenbergius ad Majorem, 1. exprobrando Autori, quod probaverit, quid proprietas stricte accepta significaret.

§. 21. Respondet Autor.

§. 22. 2. defendendo ἀκυρολογίαν: Deum, Patrem proprium hominis pii, & hunc Filium ejus proprium esse;

§. 23. Respondet Autor.

§. 24. 3. denuo ad Rom. XIV. 4. Matth. IX. 1. & L. 239. ff. de V. S. provocando;

§. 25. Respondet Autor.

§. 26. V. Respondet ad conclusionem argumenti;

§. 27. Excipit Autor.

§. 28. VI. Recurrit ad Majorem.

§. 29. Excipit Autor.

§. 30. VII. Thesin suam probat ex 1. Cor. VI. 16.

§. 31. Respondet Autor.

§. 32. VIII. Responsione priori correcta, proprium maritum idem, ac communem maritum, esse, negatur.

§. 33. Excipit Autor.

§. 1.

QVartum locum, quo orbis Christianus, a primis suis incunabulis ad hunc diem, in cladem polygamiae feliciter usus est, quique a *D. Willenbergio* variis detorsionibus ac cor-

corruptelis depravatur, in eodem *capite septimo prioris ad Corinthios Epistolae* legendum exhibet Paulus, Apostolus, qui *commate secundo:* διὰ δὲ τὰς πορνείας, inquit, ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. *Propter tamen scortationes* (vitandas) *quilibet suam ipsius uxorem habeto: & quaelibet proprium virum habeto.*

§. 2. Quo ex loco ego pro firmando monogamias jure ita sum argumentatus: *in quocunque statu quaelibet uxor proprium habere debet maritum, in illo prohibitum est marito, plures habere uxores. Atqui in statu matrimoniali quaelibet uxor proprium habere debet maritum; Ergo in statu matrimoniali prohibitum est marito, plures habere uxores. Majorem* probavi: quia, ex duabus aut plurimis unius mariti uxoribus, neutra vel nulla maritum sibi proprium asserere possit, utpote, qui utrique vel omnibus sit communis; sicut hortum, quem plures in communione possideant, proprium sibi vindicare nulli possessorum liceat. Jura autem matrimonialia multo esse strictiora, quam privati dominii in Bona: cum conjuges unam constituant carnem. *Minor* formaliter in textu Apostolico extat, nervum habente, quod Paulus de utroque conjugum sine discrimine scripserit: ἕκαστος; ἑκάστη: ita enim omni exceptioni via intercluditur. vid. *vindicias nostras p. 28. seqq.* & *justitiam causae p. 141. seqq.*

§. 3. In argumento meo tanta est extremorum connexio, ut ab altero alterum pendeat. Non niti me infirmis conjecturis, in *justitia causae* adeo luculenter exposui, ut, quod vel speciem haberet, pro obsepienda veritatis via, Adversarius in medium proferre ex universo apparatu polygamico potis non fuerit. Juvabit tamen cognoscere, quibus coloribus errores suos Lectori in *iteratis praesidiis* commendaverit. Perturbata adeo & confusa sunt omnia, ut incompositas hic quoque sistere cogar cohortes. Pertaesus sum operae molestissimae, qua in *justitia*

cau-

causae & usque adhuc perfunctus sum, ut, facta denuo homogeneorum ab heterogeneis separatione, ex congerie inordinata singula ad justos suos, quorsum pertinent, titulos redigam. Sequar igitur Antagonistam κατὰ πόδα, cujus strophae vel sola enarratione refutabuntur.

§. 4. Adoritur I. *majorem* Propositionem, probationes conquirendo: verba Apostoli polygamiae nihil adversentur: Ex eodem Apostoli loco adhuc aliud contra polygamiam argumentum profertur. Quando 1. *Cor. VII.* 2. dicitur: *sed propter scortationes*, seu ad scortationes vitandas, *suam quisque habeat uxorem & proprium unaquaeque virum habeto*, manifestum esse dicunt, polygamiam prohiberi, quia dum cuilibet uxori proprius vir assignatur, excluditur communis, qui in polygamia est. Admitti posset haec consequentia, nisi alium sensum dicti referret ipsa ratio ab Apostolo expressa. Cur proprium virum habere debeat uxor, dicit esse, ut evitetur fornicatio, quae ratio ipsi adeo magna visa, ut admittat, post corruptum hominum statum non amplius ex duplici illo fine, nempe sobolis procreatione & mutuo adjutorio, solummodo posse matrimonium iniri, sed & ex causa incontinentiae. Zeidler. *de Polyg.* §. 6. Quid ergo an fornicatio erit foeminae, quae utitur viro sibi & alii communi? hoc dici nequit, cum illa etiam suo viro utatur. Igitur Apostolus, qui proprium desiderat virum, illum non opponit viro communi,

ſed illi, qui maritus non eſt. Cum tali enim fornicatio tantum committitur, quam ibi ille prohibet, & ad eam vitandam ordinat, ut unaquaeque proprium virum habeat. *iterat. praeſid. c. 2. §. 44. p. 49. 50.* Quantum iſta valeant, formalis argumentatio docebit: *Quicquid mulieri cavere poteſt, ne ſcortetur cum eo, qui maritus ejus non eſt, illud in verbis Apoſtoli: propter ſcortationes vitandas quaelibet uxor proprium virum habeto, non prohibetur. Atqui mariti polygamia mulieri cavere poteſt, ne ſcortetur cum eo, qui maritus ejus non eſt; Ergo mariti polygamia in verbis Apoſtoli: propter ſcortationes vitandas quaelibet uxor proprium virum habeto, non prohibetur. Majorem* probat: quia ſenſus Apoſtoli ex ratione addita cognoſci debet, quae eſt, ne uxor ſcortetur. *Minorem:* quia uxor polygami utitur viro ſuo, qui etſi communis ſit plurimis, tamen vir manet ſingularum uxorum.

§. 5. *Reſpondeo*, negando & *Majorem* & *Minorem*. 1. Probatio Majoris principium petit. Falſum eſt, ſenſum Apoſtoli ex ſola, quae annexa legitur, ratione hauriendum eſſe. Ipſa lex conſulenda, ut ex verbis, quibus conſtat, mens Legislatoris percipiatur. Verba legis ſunt: *uxor proprium virum habeto;* ratio: *ne ſcortationibus ſe commaculet.* Error eſt, dixiſſe: quicquid fini iſti obtinendo aptum eſt, id, & nihil ultra, in lege prohibetur. Locum id haberet, ſi nude dixiſſet: *mulier caveat ſibi a ſcortationibus.* Cum vero ipſe medium praecautionis determinaverit expreſſum, forma legali, per imperativum ἐχέτω; primum & proximum cognoſcendi ſenſus principium ipſa ſunt legis verba: *habere proprium maritum.* Finge jam, dari quandam conſociationem aptam quidem proſpiciendo mulieri a ſcortationum periculo, legi vero ejusque verbis non reſponden-

dentem, admittenda illa minime erit; non ob defectum habitudinis ad finem, sed ob discrepantiam cum lege. Quam rem manifesto simili significantiorem reddam. Dixit Christus S. Coenam instituens: *edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, actionique demandatae finem definivit, memoriam nempe sui pie colendam: *facite hoc in meam commemorationem.* Argumentantur Sociniani, realem corporis & sanguinis Dominici praesentiam impugnantes, ex habitudine obtinendi finis, hoc modo: quia memoria Christi pie a nobis repeti potest, sola meditatione cordis, ope externae repraesentationis fractione panis vinique infusione factae; ideo verba institutionis realem corporis & sanguinis praesentiam non inferunt. Quo nomine ab Ecclesia nostra juste arguuntur. Mens Christi enim ex verbis ejus, haudquaquam ex solo fine judicanda venit. Ad horum imaginem totum se confert *D. Willenbergius*, concludendo: mulier viro polygamo utens scortationibus se non polluit; Ergo in verbis praecedaneis: *mulier proprium virum habeto*, polygamia non prohibetur. 2. Debilitas *Majoris* vel ex hoc manifesta evadit, quod, si ex solo illo fine, ne scortatio committatur cum eo, qui maritus non est, justitiam actionis metiri liceat, etiam nuptiis incestuosis locus concedendus fuerit. Filia enim Patri suo nubens utitur viro suo, quod solam legem nostram poscere, arbitratur *D. Willenbergius*, asserens, *tantum fornicationem committi cum eo, qui maritus non est.* Pater vero connubio se jungens filiae suae, maritus ejus evadit. Non fugit me, ejusmodi nuptias DEO abominationi esse; sed nec Adversarium lateat, dilucere hinc imperfectionem principii sui, quo pro medio termino utitur, quod etiam nuptiis, acerrime a DEO prohibitis, est applicabile. 3. *ZEIDLERI* testimonium res non desideravit. Inter fines enim conjugii secundarios, in statu corrupto, extinctionem libidinis esse, quis est,

qui in dubium vocet? Fucum igitur facere Lectori procul dubio voluit, quasi Zeidlerum a partibus suis stantem haberet, frustra ex hoc loco argumenta contra Polygamiam peti. Quod eo plus vitii habet, quo certius ipsi ex *justitia causae p. 213.* constare potuit, *D. ZEIDLERUM* non solum paria nobiscum facere, *de polygamia p. 99.: id sibi vult Apostolus, unumquemque suam propriam conjugem habere debere, qua honeste fruatur, eaque debere esse contentum. Suam, inquit, non alienam, uxorem, non uxores, scribit Sedulius in Comment. ad h. l.;* sed &, ordine prorsus inverso, ex fine matrimonii secundario pro monogamia concludere in paragrapho proxime sequente eam, quam Adversarius citavit, nempe septima, *p. 14.: Hi cum sint fines matrimonii, extra controversiam est positum, illud connubium juri naturae maxime esse conforme, quod ita comparatum est, ut fines isti* (procreatio sobolis; *p. 4.* mutuum adjutorium; *p. 7.* & *extinctio libidinis; p. 13.*) *quam optime & accommodatissime ad naturam hominis, sive, quod idem est, quam congruentissime rationi rectae obtineantur. Ita vero se habere nuptias unius cum una, vix posse negari arbitramur. p. 14.*

§. 6. *Minor* etiam multum fallit, neque probatio ejus conferre ipsi quicquam roboris potest. Utitur uxor polygami viro quidem suo, non tamen viro proprio, qualis ex instituto DEI esse debet. Momentum habet, quod Apostolus in plurali dixit: propter *scortationes* fugiendas. Ex quo intelligitur, quicquid ultra medium illud ab ipso DEO suggestum, pro declinanda scortatione homines tentaverint, peccatum esse & a DEO improbari. Nam, deficiente continentiae dono, una & sola propulsandi scortationum pericula ratio est, habere propriam uxorem & proprium maritum. Quod reliquum est, rejicitur. Bene Theologi Jenenses apud *DEDEKEN. in Volum. 2. fol. 130. b.* Die Polygamie ist / nachdem uns Christus ad primam conjugii in-

institutionem remittiret hat / nichts anders / als eine offentliche Hurerey.

§. 7. II. *Minorem* aggreditur omnes machinas adhibens, ad persvadendum nobis: vocabulum ἴδιον, *proprium* h. l. non excludere communionem. Pugnat duobus Scripturae locis, quorum singula investigabimus. *Primum* ejus receptaculum est *Rom. XIV. 4.* desumta haec interpretatio est ex ipsa ratione legis. Ad parem sensum accipiendum habemus vocem ἴδιος, quae in textu habetur. Falsum est, illam communioni opponi. Nam idem Apostolus *ad Rom. XIV. 4.* ad sensum communionis hanc vocem adhibet, dum dicit: *tu quis es, qui condemnas* ἀλλότριος (ἀλλότριον) *alium servum*, τῷ ἰδίῳ κυρίῳ (τῷ ἰδίῳ κυρίῳ) *proprio domino stat & cadit.* Ex hoc textu constat, proprium quidem & alienum sibi opponi, non vero sibi invicem opponi proprium & commune. Nam agitur de servo, cui proprius est dominus, quis vero est, qui diceret, eundem dominum non posse habere plures, quorum omnium respectu esset communis dominus, & tamen cuique proprius. *iter. praesid. c. 2. §. 45. p. 50.* Quam frigide haec dicta sint, argumentum inde formatum declarabit: *Quicunque terminus Rom. XIV. 4. non excludit communionem, ille nec 1. Cor. VII. 2. excludit communionem. Atqui terminus ἴδιος non excludit communionem Rom. XIV. 4.; Ergo terminus ἴδιος nec 1. Cor. VII. 2. excludit communionem.*

§. 8. *Respondeo.* 1. Vitium latet in *Majore*, ab uno Particulari ad aliud concludente. Eadem argumentationis ratio est,

ac si dixeris: *Jacobi II. 24. justificari*, est, post impetratam fide in Christum remissionem peccatorum, ex operibus legis approbatis justum declarari coram hominibus, vel etiam, ipso Deo, non vero in foro ejus exactorio, examinatorio & absolutorio, sed approbatorio, laudatorio & declaratorio, vid. *B. D. WALTHERUS* Fil. in *erudita disput. de justitia inhaerente* §. *38. seqq*; Ergo terminus ille idem significat *Rom. III. 28. IV. 5.* Porro: τὸ scrutari de hominibus usurpatum ignorantiae illos arguit, *Joh. V. 39.*; Ergo etiam Spiritum S. de quo idem ille terminus occurrit *1. Cor. II. 10.* 2. Cur non ita concludit: ἴδιος plurimis in locis excludit communionem, uti *Marc. XV. 20. Luc. VI. 44. Joh. X. 12. Act. IV. 32. Rom. VIII. 32.*; Ergo etiam hic? Non facio hanc meam argumentationem; ex methodo tamen Adversarii argumentari ita mihi liceret. 3. *Roman. XIV. 4.* ἴδιον non propriam, qua communi, sed synecdochicam, qua alieno opponitur, sustinere significationem, ipse Paulus innuit: quis es, qui judicas *alienum* servum? Proprius igitur dominus opponitur illi, qui nullo in servum gaudet dominio; non, cui plures sunt a servitiis. Quapropter etiam dixi, rectius verti seinem / quam dem eigenen Herrn. *justit. causae p. 150.* Verum nostro in textu multo aliter res habet, ubi proprius maritus cum propria uxore convertitur, quam non modo alienae, sed communi etiam opponi, Dissentientes concedunt & defendunt.

§. 9. *Alterum* sibi latibulum ex V. T. quaerit: confirmo hanc explicationem ulteriori ratione. Certum est in V. T. virum plures habuisse concubinas seu pellices, & tamen cujusque concubinae vir ille dicitur. Exemplum hac de re legitur *Judic. XX. 4.* ubi *Tum protestatus vir ille Levita, vir mulieris illius occisae.* Concludo igitur: Paulum in textu nostro,

ſtro, ubi jubet uxorem habere proprium virum, contra Polygamiam nullam legem intendere. *c. 2. §. 45. p. 50.*

§. 10. Si conſultiſſimus meus Adverſarius, quod concludere ſe gloriatur, ſyllogiſtice probatum fecerit, abjecto ſcuto datisque manibus cedam. Id vero nullis fidiculis praeſtabit. Non quaeritur de *Viro* in genere, ſed de *Viro proprio.* Non: utrum Polygamus ſingularum uxorum ſuarum Vir appellari poſſit: Sed: num ſingularum uxorum *proprius Vir* appellari queat? Mallem iſta, honori *Dn. Doctoris* conſulturus, diſſimulando praeterire, ſed verendum, ne ex ſilentio meo triumphum agens mihi inſultet. Judicent, quotquot vel qualicunque judicandi facultate pollent, quemadmodum haec cohaereant: *quia Polygamus quidam V. T. pellicis ſuae Vir appellatur; ego concludo: a Paulo proprium virum non opponi viro communi, nihilque contra polygamiam ſanciri?* Talia legens Deum oret, ne a ſe ipſo exeat, aut a mente ſua deſeratur.

§. 11. III. inquirit *D. Willenbergius* in rationes meas, quibus pro *Minore* ſteteram: vocabulum *proprius* h. l. ſtrictioris ſignificatus eſſe, & virum, cui annexum eſt, opponere marito multis uxoribus communi. Exhibet illas conjunctim *juſtit. cauſae, p. 152. Prima* ita habet: *quia ea ſignificatio Proprii, (qua communi contradiſtinguitur,) prima eſt, quae ſimplicioribus* εὐθέτοις *primo intuitu ſtatim in mentem venit, qualem ſemper premi par eſt, & deſeri nefas, usque dum urgens neceſſitas poſtulet.* Reſpondet *D. Willenbergius* in *iterat. praeſid. c. 2. §. 46. p. 50.* Adverſarius meus omnem contradicendi materiam ex voce *proprius* elicit, quam vult in ſtrictiori ſenſu, prout communi opponitur, ab Apoſtolo adhiberi, §. 6. & 7. *p.* 151. *ſeqq.* ſed rationibus ſatis

fri-

frigidis. *Prima*, quod ſignificatio *Proprii* prima & ſimplex ſit, quam nefas deſerere, generalis eſt, & per Pauli explicationem exploſa, quod uxor non cum alieno viro ſcortari debeat, ſed criminis hujus vitandi cauſa proprio viro uti debeat, qualis etiam poteſt eſſe maritus pluribus uxoribus communis.

§. 12. *Excipio:* 1. Quod contradictio mea termino *proprius* nititur; non meretur reprehenſionem. Latet in illo probandi nervus. Si frigida ſunt argumenta mea, miror *D. Willenbergium* ipſa ſole ſuo non regelaſſe. 2. Primam meam rationem generalem eſſe, nihil habet vitii. Oportet utique talem eſſe, ſi pollere debet virtute concludendi. Quae uni alterive loco, pro elicienda ex illo concluſione, applicantur, niſi univerſalia ſint, nihil efficient. Ipſe quidem a particulari ad particulare argumentabatur: *Roman. XIV. 4. proprium alieno opponitur; Ergo etiam 1. Cor. VII. 2.* Verum methodus illa dudum in exilium acta eſt ex foro eruditorum; & malo ego, culpa vacans, ab Adverſario reprehendi, quam veſtigia ejus ſequi. Facile eſſet, in locum generalis rationis ideo ab eo rejectae, quia generalis eſt, ſupponere particularem: *Rom. VIII. 32. τὸ proprium opponitur communi; Ergo etiam 1. Cor. VII. 2.;* Sed nec placet nec decet, a regula deflectendo, in gratiam alterius, Sophiſtam agere. 3. Hermeneutae ad unum omnes rationem meam calculo ſuo approbant, quorum commune eſt principium: *inhaerendum eſſe primae ac propriae vocabulorum ſignificationi.* 4. Adverſarius, rationem meam ob univerſalitatem aſpernando, concedit eo ipſo, primam propriamque ſignificationem τῦ *proprius* communionem excludere. Quam admittere & tenere hoc quoque in loco cogitur, usque dum neceſſitatem diſcedendi ab illa docuerit. 5. Reſponſionem ejus, qua exploſam eſſe ratio-

nem

nem meam vano ausu gloriatur, in §. 5. hujus capitis ita fregi ac debilitavi, ut enervata prorsus sit. Exspecto responsionem.

§. 13. Descendo ad *secundam* meam rationem ejusque examen. Observavi, Apostolum viro non *uxores*, sed *uxorem*, in singulari, tribuere. Non: *quilibet suas ipsius uxores habeat*; sed: *suam ipsius uxorem*, eademque phraseologia, cui, ratione numeri, aliis in negotiis multum ponderis tribuat Spiritus S., in memoriam nobis revocare creationis historiam, in qua non nisi unam sociam Adamo a Deo datam fuisse, referatur. *justit. causae p. 152.* Obstrepit *D. Willenbergius*: Secunda ratio, quod velit Apostolus marito in societate conjugali esse uxorem, non uxores, & cum eo conspiret creationis historia, quia ex assumento est: virum non posse plura matrimonia cum pluribus foeminis simul contrahere, jam refutata per superius dicta. *iter. praesid. c. 2. §. 46. p. 50.*

§. 14. *Excipio*: 1. ratio mea non est ex assumtione, quam assumentum appellare amat, sed ipso textu petita, in quo numerus singularis reperitur, tanto minus negligendus, quanto manifestius est, Apostolum, si licitam polygamiam credidisset, in plurali locuturum fuisse, & loqui debuisse. Exigebat hoc praesens negotium. Dixerat de scortationibus in plurali, commendato adversus illas medio divinitus ordinato: *propriam habere uxorem*. Quodsi polygamia, (quae sententia est *Excellentissimi Dn. D. Willenbergii*,) jure divino, non minus scortationis vitandae m[illegible]um positum esset, quam monogamia; praeteriri hoc a Paulo neutiquam potuisset, nisi ipsum, eo in loco, ubi, data opera, viris remedia frangendo libidinis aestui a Deo ordinata inculcat, alterutrum, & illud quidem, quod nec ipse Deus sine macula invidiae (recito hypothesin Willenbergianam,) interdicere potuit, tacitum reliquisse dicere velimus. Quod profecto vix

ſine piaculo de Viro Θεοπνεύςῳ cogitare licebit. 2. figmenta de cumulandis ab uno viro tot matrimoniis, quot mulieres in torum cooptare viſum ipſi fuerit, nos de praeſidio noſtro non dejicient, utpote quae ſuo vitio ruere demonſtravi *cap. 3. §. 47. ſeqq. c. 4. §. 22.* Ducitur Adverſarius errore ſecusque ſentit, atque rei veritas poſtulat.

§. 15. *Tertia*, qua militavi, ratio erat: quia ſi ab ea ſignificatione abieris, τὸ proprium otioſum & ſuperfluum foret. Satius fuiſſet, ſi virum multis communem intellexiſſet, dixiſſe: *habeat virum; matrimonium ineat; nubat:* quibus phraſibus plus ſimplici vice uſus eſt in hoc capite *v. 9. 28. 34. 36. 38.* Neque differentia erit, inter: *virum habere*, &: *virum proprium habere.* Reſpondet Noſter: Tertia, quod τὸ proprium in noſtro textu ſuperfluum eſſet, ſi non ſtrictum ſenſum contineret, cum verbo illo omiſſo potuiſſet Apoſtolus ſimpliciter dicere: uxor virum habeat, ſi ſoli fini obtinendo, ne uxor ſcortationibus indulgeat, & non ut vir ſolo in ſolidum gaudeat, (viro ſola in ſolidum gaudeat,) proprium virum eam habere juſſiſſet, cerebrina eſt, nam voluit Apoſtolus per verbum *proprium* explicare qualitatem viri, cum qua foemina non ſcortatur, qualis eſt, cujus corporis uſuram ex contracta ſocietate conjugali habere poteſt, talem vero uſuram impertit non ſolum, qui in ſolidum alicui proprius eſt maritus, ſed & qui pluribus uxoribus eſt communis. *iterat. praeſid. c. 2. §. 46. p. 51.*

§. 16. *Excipio.* Conjectura ſua Adverſarius meus multum fallit & fallitur. Dicit τὸ *proprium* viro ideo annexum eſſe, ut con-

constet, virum intelligi contracta societate conjugali uxori junctum. Quasi vero suspicio in Paulum caderet, ipsum, si simpliciter dixisset: *virum habeto*, Ganeonem aliquem vel Scortatorem uxori commendasse? Nuda haec phrasis: *uxor propter scortationes virum habeto*, nativa sua significatione qualitatem istam viri exprimit, cujus gratia vocabulum *proprius* viro additum esse *D. Willenbergius* fingit: scilicet, maritum denotari vinculo conjugali uxori junctum. Probo hoc: 1. quia stylo Scripturae, qui furtivis vel illicitis mulieri miscetur amplexibus, vir ejus non audit. Idcirco Christus Samaritanae dicebat: *quem nunc habes, non est* VIR TUUS. *Joh. IV. 18.* Non dicit: non est proprius; sed nude: *non vir tuus.* 2. quia in hoc ipso capite quindecies, nomine *viri*, maritus foedere connubiali uxori adhaerens designatur, nimirum *v. 3. 4. 11. 14. 16. 39.* bis in singulis, & semel *v. 10. 13. 34.* Quapropter non opus fuit, ad significandum, quod in appellatione viri sub relatione ad mulierem jam latet, *τὸ proprius* addi; quin potius terminus ille, nisi abundare illum ac nihil significare dixeris, viro subjunctus docebit, ejusmodi virum uxori assignari, quem non cum aliis habeat communem. Quae ea ipsa est significatio, pro qua dimicavi. Si phraseologiam Apostolicam studiosius Noster indagasset, Lectoris animum ambagibus illis fallacibus circumdare, vix ausus fuisset.

§. 17. Tandem de *quarta* ratione, qua probatum iveram *Minorem*, agendum. Legas illam in *justit. causae p. 153.*: *quia habere τὸν ἴδιον ἄνδρα convertitur cum habere τὴν ἑαυτȣ̃ γυναῖκα. Discrimen, quod D. VVillenbergius in his phrasibus quaerere videtur, commentus est ipse: uti suo loco probabo. Utrumque sexum aequaliter obligari, perspicuum est ex v. 4.* Reclamat Adversarius in *iterat. praesid. c. 2. §. 46. p. 51.*: Quarta ratio, quam fusius persequitur *p.* 155. §. 11. subsistente discrimine

 ad

ad habendam ſuam uxorem & proprium virum, quod in *praeſidiis meis p.* 26. propoſui, ad rem nihil momenti confert. Iſtud vero ſubſiſtere conſtat. Nam ſi maritus ipſo Adverſario meo conſentiente §. 11. *p.* 156. poteſtate potior eſt uxore, integrum erit illi, unine an pluribus uxoribus corporis ſui copiam facere velit, ut & fide ſua conjugali erga neminem illarum deſtituatur. Acta haec omnia ſunt ſupra, ut omnino faſtidium ſit toties dicta repetere.

§. 18. *Excipio :* 1. Rationem meam multum habere momenti, non inficiabitur, quisquis altius ſecum Idiotiſmos Graecae linguae expendens cogitaverit : vocem ἴδιος plus habere ponderis, quam genitivum ἑαυτȣ. Obſervat *Poſſelius in Syntaxi regul. 1. de Suus ; ejusque appendice 2. p. m. 180. & 182. Graecos exprimentes Reciprocum Suus, Sua, Suum, in ſingulari numero in genere maſculino & neutro uti genitivo* ἑαυτȣ *vel* αὐτȣ ; *in genere foeminino* ἑαυτῆς *vel* αὐτῆς ; *genitivo vero iſti nonnunquam adjectivum* ἴδιος *addere.* Oportet igitur ſignificationem τȣ ἴδιος ſtrictiorem eſſe genitivo ἑαυτȣ. Neque ἴδιος augeret hujus emphaſin, minus quid ſi denotaret. Quid? quod Chriſtus ſimili dictione de muliere utatur. Sicut enim Paulus h. l. virum jubet habere τὴν ἑαυτȣ γυναῖκα, ita Chriſtus *Marc. X. 12.* mulieri tribuit ἄνδρα αὐτῆς. Quae in aſſerenda noſtra ſententia haud leve pondus habent, indubitatumque dant argumentum, tantum abeſſe, ut *D. Willenbergius* ex diſtincta Apoſtolica phraſi quicquam lucretur, ut potius illa fidem faciat concludentibus: *Si viro ideo in ſolidum vindicatur uxor, quia jubetur habere* τὴν ἑαυτȣ γυναῖκα ; *utique etiam uxori ideo in ſolidum vindicandus eſt maritus, quia jubetur habere* ἴδιον ἄνδρα. 2. Quae de poteſtate

viri

viri in uxorem repetit, meo nixus consensu, temere ipsi exciderunt. Concessi omnino maritum uxori & potestate & dignitate anteire, ejusque in adornandis & administrandis rebus domum ac familiam concernentibus, dominum esse; sed & addidi, eundem, quoad fidem conjugalem, in paritate juris cum uxore versari. Quemadmodum enim dominium illud partes mariti, ratione indissolubilitatis, non reddat potiores mulieris partibus; ita nec ratione monogamias. Haec, mutilatis verbis meis, tacuit *D. Willenbergius*, quia recitatis integris non licuisset ipsi ex consensu meo contra me argumentari.

§. 19. Colligam terminos: *Quaecunque explicatio τȣ̃ proprius 1. recedit a prima vocabuli significatione; 2. contradicit phrasi Apostolicae numeri singularis; 3. ipsum vocabulum otiosum ac superfluum reddit; 4. non respondet phrasi, cum qua convertitur: illa explicatio est repudianda. Atqui explicatio τȣ̃ proprius Willenbergiana, qua adeo late capitur, ut non communi opponatur, recedit a prima vocabuli significatione &c.; Ergo explicatio τȣ̃ proprius Willenbergiana est repudianda.* Desidero responsionem.

§. 20. Redit IV. ad *Majorem* & ea, quae in gratiam ejus dicta a me sunt, facto a *justit. causae* pag. 156. ad 145. recursu. Negaverat *Majorem* meam: *In quocunque statu quaelibet uxor proprium habere debet maritum, in illo prohibitum est marito, plures habere uxores*, quam adversus oblocutiones ejus vindicavi, *in justit. caus. P. spec. Sect. 2. c. 4. § 5. p. 144. seqq.* Quae ille, animo iraeque suae obsecutus, ad judicium revocat *in iterat. praesid. c. 2. §. 47. p. 51.* Quia Paragraphus prolixior est, non integram una vice, sed per partes, nihil tamen praeteriturus, repetam. *Initio* statim animum ejus impetus subiit, ut non minus indigne quam inique dictis meis increpans, me imbelli certamine sudasse, nec unam solidam rationem attulisse scriberet: cum igi-

tur non unam ſolidam rationem attulerit *Adverſarius*, qua, quod deſideravi *in praeſidiis p.* 26. probaret, Apoſtolum vocabulum *proprius* in ſtricta ſignificatione adhibuiſſe, quo omnem communionem excluderet, imbelli certamine ſudat, mihi me & alios opponendo §. 5. *p.* 145. Non enim ille probare debuit, quid Proprietas ſit in ſtricto ſignificatu, de quo egi in Sicilimentis meis, ſed cum non neget, Proprietatem in latiori ſenſu non opponi communioni, debuit probare, Apoſtolum non in lata, ſed ſtricta ſignificatione vocem *Proprius* proferre, quod minime omnium *in* §. 5. praeſtitit.

§. 21. *Excipio :* 1. Quia ille in genere, ſine ulla reſtrictione, ſcripſerat: nego communionem naturam proprii excludere; *praeſid. j. d.* §. *24. p. 30.* neceſſitas me eo detruſit, ut probatum redderem: proprietatem communionem excludere, eamque primam & famoſiorem ejus ſignificationem eſſe. Quod vix efficacius praeſtari a me potuit, quam ex ipſiusmet *Sicilimentis*, in quibus *p. 116.* nulla facta mentione diſtinctionis, proprietatem *per qualitatem* deſcribit *moralem rei, ita ad aliquem pertinentis, ut eodem modo ad alium non pertineat.* Quod, recentiori ejus aſſerto contradicens, non ſine effectu ipſi oppoſui. Me vero 2. quod ſtrictus ille ſenſus, qui etiam primus eſt, omnium animis, vel ſola audita voce, ſuccurrens, ab Apoſtolo intendatur, non probaſſe; judicandum committo ingenuis Lectoribus. Familiare eſt *D. VVillenbergio* argumenta, quibus ſolvendis imparem ſe ſentit, autoritativa dictatura reſpuere.

§. 22. *Pergit:* imbelli certamine ſudat, negando ex ratione creationis & regenerationis Deum cuique Patrem proprium & unumquemque viciſſim filium ejus proprium appellari poſſe, qui omnium intuitu communis Pater & Deus eſt. Reperio enim non abſimili modo Theologos noſtros loqui. Ita B. Scriver *in Theognoſia Evangel. Chriſtian. Homil. in feſtum purific. p.* 353. Gleichwie ich ein gewiſſes Eigenthum GOttes und des HErrn JEſu bin / weil er mich erſchaffen / erlöſet und geheiliget / ꝛc. Alſo iſt GOtt mein Eigenthum / Theil / Beſitz und Eigenes / weil er ſich mir geſchencket und zugeeignet hat / ꝛc. & *p.364.* GOtt ſagt / daß gläubige Seelen ſein Eigenthum in der Welt ſind / Sachar. II. 12. und Er hingegen wieder unſer Eigenthum. Cum autem haec locutio inter Deum & homines valeat, & quoad dominum & ſervum expreſſis verbis *Rom. XIV.* 4. probata ſit, quin contra *Adverſarium meum* etiam inter Regem & diverſum populum obtineat, nullo ſufficienti diſcrimine oſtenditur. *p.149. iterat. praeſid. c. 2. §. 47. p. 51.*

§. 23. *Excipio:* Haec vix alium uſum habent, quam, ut *D. VVillenbergii* ingenium, artes & conatus arguant. Non acumen, optime Lector, ſed ſolam patientiam tuam talia poſtulant. 1. Pro corroboranda ſua opinione dixerat, DEum communem quidem omnium Mortalium Patrem & DEum, ſed & eundem mihi, ſibi & aliis *proprium DEum & Patrem* eſſe; viciſſim poſſe ſe & alios Dei amantes *proprium ejus filium* appellari, *praeſid. j. d. p.30.* Quae a ſtylo Scripturae aliena, ſine cenſura non dimiſi. Demonſtravi quatuor argumentis inexpugnabilibus, ſolum Chri-

Chriſtum *Filium DEI proprium*, primamque Perſonam *Patrem ejus proprium* audire. Ille, relictis argumentis, aſſerto ſuo inhaerens reſpondet: me imbelli certamine hoc ipſum negare. Quaſi vero talia autoritate dictatoria expediri poſſent. Deinde ex ſcripto homiletico *B. SCRIVERI* quaedam citat: ich bin ein gewiſſes Eigenthum GOttes / und GOtt iſt mein Eigenthum / ꝛc. Obſerva, quaeſo, ſtrophas atque fucos hujus Viri. Quae ille de *Patre proprio* & *Filio proprio* contra Scripturam fideique analogiam ſcripſerat, tueri debent verba Theologi, in quibus nec apex nec ſyllaba de *Patre* & *Filio* reperiuntur. Quae enim colligendi ratio: Scriverus dicit: GOtt iſt mein Eigenthum / und ich bin GOttes Eigenthum; Ergo ego ſum *proprius Dei FILIUS*, & DEus *proprius meus PATER?* 2. Scriverus optimus eſt verborum ſuorum interpres. Loquitur de jure omnibus in Chriſtum credentibus communi, termino: *proprium alicujus eſſe*, ita uſus, ut *improprio, metaphorico atque imaginario*, non vero *communi* opponatur. Quo ſenſu ſolam rei veritatem infert. Poterat id intelligi ex pagina proxime praecedente, 352.: Hieraus erhellet nun / daß es nicht eine phantaſtiſche Einbildung und ein ſüſſer Traum der Kinder GOttes ſey / wenn ſie ſagen: Der HErr iſt mein Gut und mein Theil! GOtt iſt mein und Alles; Ich habe GOtt und gnug; ſondern es iſt Wahrheit / Weſen und Krafft. 3. Quanquam ſinguli credentes dicere queant in ſenſu ſtrictiori: *ego ſum Proprium Dei:* quia nullum alium DEum agnoſcunt, neque ultimae fiduciae actu alii adhaerent; non tamen reciproce, eodem ſcilicet ſenſu, dicere fas eſt: *DEus eſt meum Proprium:* quia in communione juris cum aliis piis verſantur. 4. de *Rom. XIV. 4.* jam actum §. *8. hujus capitis.* 5. de Principe ejusque Subditis tam perſpicue egi, *in juſtit. cauſae p. 148. 149.* ut, niſi quis ſenſu communi deſtituatur, rem ipſam ejusque veritatem vel manibus palpare poſſit. Conceſſi, Principem multorum Ducatuum de ſingulis recte dicere ſenſu arctiſſimo:

mo:

mo: hic & ille Ducatus eſt mihi proprius; quia omnes illi alium non agnoſcunt Dominum. Pari ratione etiam viro polygamo de ſingulis uxoribus dicere licitum eſſe: haec, illa, iſta &c. eſt propria mea uxor; quia plures viros ignorant. Negavi vero vel uni tot Ducatuum integrum eſſe, eodem ſenſu, Principem proprium ſibi aſſerere: quia idem ille etiam reliquorum Ducatuum Dominus eſt. Unde nec in ſtatu bigamico alterutram uxorum dicere poſſe: Vir meus eſt mihi proprius; quia idem ille maritus communis eſt alteri, quam tori habet ſociam aeque ac priorem.

§. 24. Addam reliqua: Recte ille textum *Rom. XIV.* 4. *Matth. IX.* 1. explicat, quod *τὸ ἴδιον* alieno opponatur, non communi, ex quo tamen ita conſtrictum eundem habeo, ut fateri neceſſum habeat, communionem non opponi proprietati. Non effugio ſuo ad germanicam verſionem *p.* 150. lucratur aliquid, ſed eo ſeipſum redarguit, qui ſupra ſe vehementiorem contra me oſtentabat, quaſi fonte relicto germanicos rivulos in ſubſidium traxiſſem. Apud *Matth. IX.* 1. inveni vocabulum *ſuum. Chriſtus venit in ſuam civitatem*, cujus ſenſum exhibere, duxi neceſſarium eſſe, & exhibui eundem aſſentiente *L.* 139. (239.) §. *ult. ff. de V. S.* ac Commentatore ejus *Goeddeo*, quod *meum*, *ſuum* &c. non ſemper referat talem rei proprietatem, quae communi contraria. *praeſid.* §. 24. Ad haec reſpondet Adverſarius viliſſime, & non niſi per monoſyllabas (monoſyllaba) me ſusque deque habuiſſe, *ſuum* cum *proprio* ſynonymice paſſim conjungere. *p.* 150.

§. 25. *Excipio :* Tot mihi hic veniunt hallucinationes detegendae, ut pene dixerim, ipſum talia ſcribentem ſibi ipſi praeſentem non fuiſſe. 1. Quid eſt, quod conſtrictum me teneat, ut ex *Rom. XIV. 4. Matth. IX. 1.* fatear, communionem non opponi proprietati ? Priusquam loca illa attingeret, ſponte mea docui: *proprium vel improprio & peregrino, vel communi opponi. vindic. p. 16. §. 32.* Quo ipſo, nemine cogente, conceſſi: proprium non ſemper communi opponi. Numquid inde ſequitur, nunquam opponi: aut noſtro in loco non opponi? Adverſarium vero haec ipſa periodus conſtrictum tenet, ut fateri neceſſum habeat, ſe aut natura, aut ſtudio Sophiſtam eſſe, a particulari ad particulare argumentantem: *Rom. XIV. 4. Matth. IX. 1.* proprium non opponitur communi; Ergo nec *1. Cor. VII. 2.* Perinde, ac ſi quis dixerit: *D. VVillenbergius*, JCtus Athenaei Gedanenſis, publice docet: polygamiam nusquam a Deo prohibitam, quin potius evitandae ſcortationis medium aeque ac monogamiam ordinatam eſſe; Ergo idem etiam proximus ejus in munere Anteceſſor docuit. Quod de *Viro generoſiſſimo*, cui Deus optata quaeque larga manu conferat! dixiſſe, ſummum nefas. Multo rectius ille, pro inſigni, qua gaudet, pietate, Auditores ſuos olim inſtruxit. 2. Nullum refugium in verſione germanica quaero. Demonſtratum dedi ex utroque textu, ἴδιον ibidem alieno tantum opponi; quia Paulus dicat: *tu quis es, qui ALIENUM ſervum judicas? PROPRIO domino ſtat aut cadit;* Capernaum autem Chriſti urbs *propria* audiat, in oppoſitione ad regionem Gergeſenorum, ex qua venerat, *c. VIII. 34.* quod inhabitatione ſua munerisque functione prae aliis oppidis illam colluſtraſſet. Idque adeo evidens eſſe, ut Lutherum etiam commoverit, terminum ἴδιος non per eigen / ſed per ſein vertere: ſeinem Herrn; in ſeine Stadt. Eſtne hoc effugere ad germanicam verſionem & lucrum inde quaerere? Non peto ex verſione argumenta probantia, ſed confirmatam documentis textuali-

alibus ſententiam, conſenſu Lutheri, reddo illuſtriorem, quo conſtet, adeo manifeſtum eſſe, quod ἴδιος aliam notionem *Rom. XIV. 4. & Matth. IX. 1.* & aliam *1. Cor. VII. 2.* ſuſtineat, ut ipſe Lutherus etiam in verſione ſua, diverſa phraſi exprimendum illud vocabulum curaverit. Ibi: ſein; hic: eigen. *D. Willenbergius* autem mihi ex fonte argumentanti verſionem Lutheri oppoſuit. Cum enim *Deuter. XXI. 15.* textus originalis paſſivum habeat: אהובה שנואה *dilectam & exoſam*, quod etiam ſignificationem praeteriti admittit: *quam amavit, quam odio proſecutus eſt*, die er geliebet hat / und die er gehaſſet hat; vel etiam eine geliebte: eine gehaßte; ille e transverſo opponit: loqui Deum de viro, qui *habeat*, non *habuit* duas uxores, quod ipſum verſio idiomatis noſtri ipſi ſuggeſſit: die er lieb hat: die er haſſet. Quo nomine etiam miniſterio vulgatae & Junio-Tremellianae abutitur, ſed fruſtra: quia ab illis deſeritur. vid. *Sect. 2. c. 1. §. 10. p. 48.* Quid igitur vituperatione dignum commiſi, arguendo ipſum, quod fonte relicto germanicos rivulos in ſubſidium traxerit? 3. Non habet, quemadmodum ſe expediat, quantum ad legem ex Digeſtis & commentationem Goeddeanam. Citaverat nimirum in ſententiam ſuam: proprium non excludere communionem, praeter duo iſta S. Codicis loca, *Rom. XIV. 4. Matth. IX. 1.*, etiam *L. 239. §. ult. ff. de V. S.*: *Verbum ſuum ambiguum eſt, utrum de toto, an de parte ſignificet, & ideo qui jurat, ſuum non eſſe, adjicere debet, neque ſibi commune eſſe*; & commentationem *GOEDDEI: voces meum, tuum, ſuum ſignificant dominium in re, ſed an dominium ſolidae atque integrae rei, an vero pro parte indiviſa, ejus ſit, qui ſuum eſſe dicit, aeque incertum eſt, ac ſi ego meum vel tu tuum dicas. Nam & quod pro parte indiviſa noſtrum eſt, ſeu nobis cum aliis commune, noſtrum dicere poſſumus, cum nulla pars demonſtrari poſſit, quae noſtra quoque non ſit.* Quae vero prorſus peregrina & a ſcopo aliena ſunt, quia non de ſignificatione τοῦ *ſuus*, ſed *proprius* contendimus. Dicta

Scripturae probabilitatis aliquam ſpeciem habent: quia ἴδιος, quo Paulus eſt uſus, alio licet ſenſu, in illis occurrit. Lex vero ex Digeſtis citata & gloſſema Goeddeanum de *meo*, *tuo & ſuo* duntaxat agunt: Ille tamen nihil erubeſcit, hinc concludere: tam quod pluribus commune eſt, uni dici poſſe proprium, quam quod mihi proprium aut meum dicitur, cum aliis eſſe poſſe commune. *praeſid. j. d. p. 31.* Ego vero non potui non regerere: Legem citatam ejusque Commentatorem, *Goeddeum*, Adverſario non ſubvenire, de *meo, tuo, ſuo, noſtro*, agentes, non de *proprio:* quorum differentiam *CALVINUM* JCtum l. c. docere, a *Dn. D. Willenbergio* autem, *ſuum* cum *proprio* ſynonymice paſſim conjungente, prorſus negligi. *juſtit. cauſ. p. 150.* Ponderemus jam recentiora ejus reſponſa: Apud *Matth. IX.* 1. inveni vocabulum *ſuum. Chriſtus venit in ſuam civitatem*, cujus ſenſum exhibere, duxi neceſſarium eſſe, & exhibui eundem aſſentiente *L.* 239. §. *ult. ff. de V. S.* ac Commentatore ejus, G*oeddeo*, quod *meum*, *ſuum* &c. non ſemper referat talem rei proprietatem, quae communi contraria. *praeſid.* §. 24. Ad haec reſpondet Adverſarius viliſſime, & non niſi per monoſyllaba me ſusque deque habuiſſe, *ſuum* cum *proprio* ſynonymice paſſim conjungere. *p.* 150. *Excipio:* Vix tot lineae, quot falſitates & paroramata. Quis, quaeſo, de *meo* & *tuo* litem ipſi movit? Quis neceſſitatem ipſi impoſuit docendi: *meum* & *tuum* non ſemper opponi communioni? Fingenda talia erant, ne palliolum deeſſet tegendis abſurditatibus aptum. Quid eſt, per monoſyllaba me reſpondiſſe? Interprete haec indigent. Suntne *meus*, *tuus*, *ſuus* monoſyllaba? Numquid μόνος Graecis bi-

binarium notat? Ipſe vero, citatione legis huc prorſus non pertinentis, reſponſionem de *meo* & *tuo* mihi extorſit. Sed ad caput rei! Filo Dialectico opus erit, ut ex antro hoc ſinuoſo, quod Labyrinthum merito dixeris, evadamus. Reſolvatur textura inordinata. Argumentum erit tale: Quicquid per *ſuum* quandoque, interprete JCto in L. citat. ejusque Commentatore, ſignificari poteſt, illud etiam per *proprium* in verbis Pauli: *uxor habeat proprium maritum*, ſignificatur. Atqui id, quod *commune* eſt, per *ſuum* quandoque, interprete JCto in L. citat. ejusque Commentatore, ſignificari poteſt; Ergo etiam id, quod *commune* eſt, per *proprium* in verbis Pauli: *uxor habeat proprium maritum*, ſignificatur. *Excipio: Majorem* nullius pretii eſſe. Ut enim taceam, Hieroſolymas nihil commercii habere cum foro Romano; neque oracula divina ex praeſcripto legum civilium metienda eſſe; velim illud ſaltem expendi, quod a *meo* ad *proprium* male concludatur. Quam appoſite ad hanc legem provocaverit, ipſi jurium Interpretes judicent. In *Lexico juridico* ex antiquis & recentioribus JCtis conſtructo, ſub titulo: *proprium*, in rem meam obſervatur: *plus eſt proprium, quam meum vel noſtrum. Illud excludit communionem; hoc admittit. p. 934. Edit. Colon. 1615. in Octavo.* Probat *Majorem:* quia *Matth. IX.* 1. inveni vocabulum *ſuum.* Videat hic, num ſatis ſibi, ne dicam veritati, argumentetur? Quae, per veritatem obſecro, concludendi ratio: *Quia ego Matth. IX. 1. inveni vocabulum SUUM; Ergo ex Lege Digeſtorum citata probo, quod 1. Cor. VII. 2. proprium non opponatur communi?* Satyram ſi ſcripſiſſet, forte excuſari talia quodammodo poſſent.

§. 26. V. Reſpondet ad concluſionem argumenti, negando,

do, Paulum polygamiam virilem improbare: quia in V. T. prohibita non fuit. *iterat. praesid. c. 2. §. 48. p. 52.* Nisi ex V. T. melius, quam factum, probaverit, ibi a Deo prohibitam esse polygamiam, firmo stat talo, quod scripsi §. *25. & 26. praesid.* : Paulum in nostro textu non virilem, sed muliebrem polygamiam attingere, quia hanc lege naturae jam esse prohibitam agnoscebat, illam nulla. Haec sententia apud Orthodoxos recepta confirmantur, quod in N. T. novae leges non sint, sed leges per Mosen datae, tantum a Christo explicatae reperiuntur, (reperiantur) quia Christus non Legislatoris, sed Doctoris & Interpretis munere functus fuit. Contra corruunt plaustra rationum *Adversarii*, & quicquid ex centonibus artis contradictoriae conglomeravit. §. *9. p. 194.* (154.) *seq.* §. *13. p. 158.* §. *15. p. 160.* §. *17. 18. 20. 24. p. 162. seqq.*

§. 27. *Excipio :* 1. Idem est, ac si dixisset : quanquam interpretatio tua verbis Pauli conformis sit, ego tamen illam rejicio, quia contradicit hypothesi meae. 2. Muliebris polygamia in hemistichio priori prohibita est : *quisque habeat propriam suam uxorem.* Nunc vero disquiritur de posteriori : *quaeque habeat proprium maritum ;* quo diversum quid indicari oportet. 3. Non sequitur : aut Paulus non prohibet polygamiam virilem ; aut, si prohibet, novam legem Christus tulit. Datur enim tertium : aut Christus ejusque Apostolus leges V. T. rectius intellexerunt, ac *D. Willenbergius*. Ita etiam res habet. Copiosius hoc de negotio actum est supra *c. 4. m. 1.* §. *17. p. 189.* 4. Compendiaria tandem via incedit, ad ea, quae in plurimis paragraphis & pa-

paginis expendenda ipsi obtuli, nil respondendo aliud, nisi: quod plaustra rationum & quicquid ex centonibus artis contradictoriae conglomeraverim, corruant. Ita brevi cursu spatia satis ampla emetiri ipsi datur. In eo enim consilio victoriam posuit, ut mea aut mutila & quasi decurtata recitaret, aut, tanquam indigna, quae attingerentur, removeret. Nisi grave tibi fuerit, Lector benevole, mea evolvere, exploratum hoc habebis. 5. Sine exercitio artis contradictoriae conflictari cum Adversario; est, volare sine alis, & sylvas hercynias sine Duce pervagari. Cur igitur exprobrando mihi insultat?

§. 28. VI. Retro iterum abit ad *Majorem* argumenti mei: Momentum contradictionis, quo *D. Weickhmannus* assertam a me facultatem ad plura conjugia, ut domino ad plures servos adoptandos, & patri ad plures generandos liberos, cupit destructam, non aliud apparet, quam quod numerus personarum unius scilicet maris & unius foeminae societati conjugali praescriptus sit, & quod Paulus uxori virum non cum aliis communem, sed proprium designat. (designet.) §. *17. in f. p. 163.* §. *23. & 24. p. 172. seq.* Verum adversus haec omnia me explico ex actis supra §. 26. *seqq. h. c.* Polygamus societatem conjugalem non habet, nisi cum una, cum pluribus autem uxoribus plures ejusmodi societates init, quas contrahere eum posse, nec Paulus abnuit, quia per proprium virum communem quoque intelligit, ad quem ex pacto connubiali quaelibet uxor jus sibi quaerit. *iterat. praesid. c. 2.* §. *49. p. 53.* §.

§. 29. *Excipio :* In re explorata, cum, esse me multum, non attineat, dicenda contraham. *D. Willenbergius* in *Schediasmate* §. 8. pro infringenda Ecclesiae argumentatione ex termino proprius, dixerat : unum patrem pluribus liberis, unum dominum pluribus servis proprium esse. Quod adeo dilui, ut ad silentium redactus fuerit. vid. *Vindic. p. 32. §. 16. justit. c. p. 171. 172.* Quae vero de societatum differentia a me monita sunt, tacita non reliquit. Dixeram nimirum, in *berili* dominum cum ministris ut agens principale cum suo instrumentali; in *paterna*, Patrem cum liberis ut causam cum effectu conjungi; ast *in nuptiali* duos in unam carnem coadunari. Tendebant haec eo, ut constaret, vitiose ab una societate concludi ad aliam : Domino plures conducere servos licet; Ergo etiam marito, plures sibi adjungere uxores : idque hoc minus, quo manifestius sit, Deum nuptiali societati binarium fixisse : *DUO debent esse una caro :* quale quid de reliquis nusquam legatur. *Responsio Willenbergiana* erat : sint discrimina societatum talia, in facultate tamen & jure inter se non differunt, sed omnium par est ratio, cum nulla lex extet, qua connubialem societatem Deus ad binarium restringere voluerit: polygamo etiam tot sint matrimonia, quot habet uxores. *praesid. j. d. p 36.* Quibus principium peti, ipsamque thesin mihi opponi, observavi. *In iterat. praesid.* eadem repetiit. Ad quae *excipio :* 1. disconveniens & incongruum esse: discrimen societatum admittere, & tamen paritatem jurium omnibus tribuere. 2. Cum negare non possit, Deum nulli societati numerum posuisse, sicuti nuptiali posuit: *duo ;* fateatur oportet, vel hanc ipsam legem diversa inferre jura. 3. Utut millies dixerit: ego non legem agnosco; negotium non conficiet. Vindicavi ego legem. Respondeat, aut desinat repetitione hypotheseos latibula sibi formare. 4. Palladium, de tot matrimoniis, quot uxores sibi

as-

associat maritus, ereptum ipsi a me est supra *c. 3. §. 47. seqq. p. 162. seqq. c. 4. §. 22. p. 196. seq.*

§. 30. VII. Thesin suam probat ex *1. Cor. VI. 16.* meamque responsionem suggillat. Arbitratur nimirum, polygamum, non violata lege connubiali: *duo debent esse in unam carnem*, pluribus uxoribus communem fieri, quia de singulis ejusdem matrimoniis multo rectius dici queat: *duo esse in una carne*, ac de scortatore, sine intentione perpetuae cohabitationis, cum lupa se permiscente, idem asseratur *1. Cor. VI. 16.*: fit maritus cum uxore prima una caro, fit etiam una caro cum altera, quia tot sunt matrimonia diversa, quot uxores, de quibus singulis verum est, quod duo sint in una carne. Quod ob consensum in perpetuam cohabitationem tanto certius est, quanto illud est evidentius, scortatorem cum suis scortis, cum quibus se carnaliter commiscuit, unam carnem fieri sine ulla mentione & repromissione perpetuae cohabitationis. 1. *Cor. VI.* 16. *praesid. j. d. §. 29. p. 36. Respondi:* conjunctionem cum scorto illicitam esse, & de facto fieri, cum de jure non nisi duo indissolubiliter deberent una caro esse. Physice fieri cum scorto unam carnem, non vero moraliter. Quam distinctionem ab ipso Christo probari, Samaritanae dicente: *quem nunc habes, non est vir tuus*, scilicet morali aestimatione, etsi physice fuerit. *justit. c. p. 173.* His innocentissime & prorsus ad mentem Scripturae dictis Noster obvertit, in *iterat. praesid. c. 2. §. 49. p. 53. 54.*: Quod (nempe, polygamum plures societates matrimoniales contrahere posse,) argumento a scorto confirmatum dedi. Nam si scortator physice & de facto, ut iterum cum Ly-

ſcro *in polyg. triumph. th.* 18. §. 2. *p.* 120. (in numero & theſeos & paginae committitur error: eſt enim theſ. 28. p. 170.) Antagoniſta conſpirat *p.* 174. vid. ſupra §. 22. *h. c.* cum ſcorto fit una caro 1. *Cor. VI.* 16. quanto magis maritus cum tot uxoribus moraliter, quot ad perpetuam cohabitationem adſciſcit. Non puto, ipſum arbitraturum eſſe, eo momento, quo quis cum ſcorto fit una caro, ceſſare & deſinere unitatem carnis, quae ipſum inter & conjugem fuerat, a qua per adulterium ſe ſeparat, & ita non accidere, cum qualibet duarum foeminarum ex diverſis actibus unam aliquam carnem fieri. Nam promta eſt reſponſio: Deus arbitrio adulterorum ac ſcortatorum non commiſit unitatem carnis cum innocente conjuge per adulterium aut fornicationem ſolvere.

§. 31. Vel ex his luculenter apparet, *D. Willenbergium* per tenebras velle elabi. Auſibus ejus obicem ponam ſyllogiſtice omnia ponderando. Argumentum erit tale: *Quicquid ipſe Apoſtolus de ſcortatore aſſerit, illud multo verius de polygamo concedendum erit. Atqui: cum alia muliere unam carnem fieri, non laeſo vinculo conjugali cum legitima uxore, ipſe Apoſtolus de ſcortatore aſſerit; Ergo cum alia muliere unam carnem fieri, non laeſo vinculo conjugali cum legitima uxore, multo rectius de polygamo concedendum erit.* Quod termino minori: *unam carnem fieri*, addidi: *non laeſo vinculo conjugali cum legitima uxore*, ipſe Adverſarius in noviſſimis ſuis ſuggeſſit, aſſerendo: non ceſſare & deſinere unitatem carnis inter conjuges, eo momento, quo quis cum ſcorto fit una caro.

caro.

caro. *Respondeo: Minorem* fallere, neque ex *1. Cor. VI. 16.* probari. Dicit Paulus utique: qui scorto adhaereat, unum corpus cum eo esse; ast, idipsum sine laesione vinculi conjugalis cum legitima uxore fieri, non dicit. Criminis loco id habet, quo damnum facit homo impurus unionis mysticae. Instat: me non arbitraturum esse, eo momento, quo quis cum scorto una fit caro, cessare & desinere unitatem carnis, quae ipsum inter & conjugem fuerat, a qua per adulterium se separat. *Respondeo:* ne ambiguitas phraseos: *cessare & desinere unitatem carnis*, incautis imponat: dico, eo momento, quo maritus cum scorto una fit caro, rumpi utique vinculum conjugale. Quid enim adulterium est, nisi ruptura vinculi? Sane ipse Adversarius, cum ejusmodi maritum *se per adulterium separare a conjuge* fatetur, rupturam vinculi negare non potest. *Excipit:* Deus non commisit arbitrio adulterorum, ut unitatem carnis cum innocente conjuge solvant. *Respondeo:* Omnino non commisit Deus. Si enim commisisset, non peccaret adulter. Ille vero agit sine facultate agendi. Neque Deus foedifragi arbitrio commisit, fidem societatis cum detrimento partis innocentis violare, nihilosecius quotidianum hoc est, & a moribus Seculi non abhorret. Id volebam; id contendebam priori responso: fieri hoc de facto, non de jure; unam carnem scortatorem cum meretrice fieri physice, non moraliter. Quam distinctionem nihil vitii habere verba Christi documento erunt. *Joh. IV. 18.* Cum enim mulier jubenti ipsi: *abi, voca maritum tuum*, regereret: *non habeo maritum;* respondebat: *bene dixisti. Quinque maritos habuisti, sed quem nunc habes, non est maritus tuus.* Illa tandem culpam fatebatur: *Domine, video, quod Propheta sis tu.* Quomodo vero Servator dicit: *maritus,*

tus, quem nunc habes, non est maritus tuus? Apte ac rotunde. *Habebat maritum*, ratione commercii physici; *non habebat*, ratione aestimii moralis: quia in thalamos ejus non nupta iverat. Quid jam habet acerbus ille Censor meus, quod in data responsione justa vituperatione reprehendat? Cur argumentum ex testimonio Christi depromtum in praeteritis reliquit?

§. 32. Tandem VIII. ad responsionem suam in *Schediasmate* datam & in *praesid. j. d.* male defensam se confert. Illic §. 8. jusserat pro *proprium* in dicto Pauli, ex mente ejus, supponere *multiplicem: quaelibet habeat multiplicem maritum. Excipiebam:* Hac responsione nihil lucrari aliud Antagonistam, nisi, ut sibi ipsi bellum indicat. Ita enim polygamiam muliebrem stabiliri, quam tamen se abominari dixerat. *Multiplex* enim esse, non, quod multis sit commune, sed quod ex pluribus constet; atque sic uxorem multiplicis mariti eam fore, quae maritos multiplicet. *Vindic.* §. *24. p. 30.* Haec *D. Willenbergius*, vehementius adversus me inflammatus, convellere studuit detonando & fulminando: quae vero silentii sipario nunc tegam. Quae rem ipsam spectabant ad calculos vocavi. Excepit: se vocabulum multiplex eo in sensu usurpare, quo, quod ad pluralitatem auctum est, significat; & in gratiam Brunsmanni eam vocem retinuisse, quam ille sine ullo scrupulo protulerit. *praesid. jur. div. p. 35. 36.* Responsum a me fuit 1. hunc ipsum τȣ̃ *multiplex* sensum causam ejus plus plusque deformare. Si enim multiplex sit, quod ad pluralitatem augetur, uxorem lege divina obligari, ut maritum ad pluralitatem augeat, idque fieri non posse, nisi plurimis simul nupserit. *Brunsmannum* vero temere & injuriose in erroris communionem vocari: utpote qui 1. de priori hemistichio: *quilibet suam ipsius uxorem habeto;* & quidem 2. non thetice, sed antithetice egerit. *justit.*

caus.

cauſ. p. 170. Audiamus nunc ferociſſime his obloquentem *D. Willenbergium*, in *iterat. praeſid. c. 2.* §. *50. p. 54.* Video denique *D. Weickhmannum* ad puerorum gymnaſia deſcendere ac de nominis *multiplex* terminatione multis clamoribus litigare. Non diſſimulo, illud minus ſufficere ad exprimendam rem, & dixi quoque, me in gratiam Brunsmanni id retinuiſſe. §. *20. praeſid.* Litis decidendae gratia transigamus, & pro illo vocem *communis* adhibeamus, ac iſta declaratione minutiarum harum diſceptationi pauſam imponamus. Video enim me flagellari ab eo, qui ſyllabas magis & literas quam palmarium rei caput expendit, hinc praeſtat aliquid de jure ſuo remittere, quam pedanticas lites ſerere.

§. 33. Haec, vel data opera elate, vel pro ingenio horride dicta, inſuper habere poſſem, quia ſolis petulantiae vaframentis ſuperſtructa ſunt; ne tamen glorietur, me vel unam periodum intactam reliquiſſe, idoneis ſufficientibusque argumentis oſtendam, immerentem me premi. Tuam fidem, *D. Willenbergi*, teſtor, num haec ex conſcientia ſcripſeris? Nam 1. niſi ipſe in locum: *proprius*, ſubſtituiſſes: *multiplex*, nihil mihi cum hoc vocabulo commercii fuiſſet. Spiritus Sancti mens ex phraſibus & vocabulis addiſcenda eſt: *quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Luc. X. 26.* Cum tu igitur *τὸ proprium* in pronunciato Apoſtolico per *multiplex* interpretareris, qui potui aliter, ac in ſenſum vocabuli inquirere? Numquid eo ipſo inverecunda tua ludibria merui? me ad puerorum gymnaſia deſcendere, ſyllabasque ac literas magis, quam palmarium caput

put expendere, atque pedanticas lites ſerere. Nonne Chriſtus dicit: *ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis? Matth. XII. 37.* Tu vero 2. contra te ipſum venis. Si enim, quod ſponte fateris, τὸ *multiplex* minus ſufficit ad exprimendam rem, qui ſcribere audes: Te de jure tuo remittere? Poteſtne de jure ſuo remittere, qui fatetur ipſe, jura ſua minus ſufficere? Sunt haec indicia obluctantis conſcientiae. 3. *Brunsmannum* a te contra jus fasque in conſortium errorum tuorum trahi, ad oculum demonſtravi. Tu vero diſſimulatis illis (veritas enim ora tua obſerat,) onerare ipſum non deſinis, ne ſine Duce erraſſe videaris. Tandem 4. nihil vereris Spiritus S. verba nova temeritate depravare, fingendo: *proprium maritum* idem eſſe, ac *communem*. Quis unquam tale quid audivit? *Commune* quandoque certo reſpectu notionem *proprii*, in latiori ſignificatu, ſuſtinere, conceſſi, quo in caſu, quod proprium vocatur, *materialiter* commune quid eſt; verum proprium ſynonymum τῦ commune eſſe, atque formaliter illud exprimere, nemo ſanae mentis dixerit. Scias, haec ſummo cum coeleſtis doctrinae dedecore a te doceri. Adeſt Lex divina, teſte dictione imperativi: ἐχέτω: *ob ſcortationes quaelibet HABETO proprium maritum.* Quodſi *proprius maritus*, uti perſvadere hominibus ſatagis, *communem maritum* denotat, quaelibet uxor, a ſcortationibus cavere ſibi cupiens, juſſu divino virum polygamum habere tenetur. Cujus Pſeudhermenias niſi DEus in tremenda mortis hora rationem repoſcere debet, reſipiſces, &, quae in juventutem ſtudioſam aliosque ſcandala ex te exorta ſunt, mature redimes. Faxit hoc benigniſſimum Numen per Chriſtum, Dominum noſtrum!

SE-

SECTIO TERTIA,
De momento controversiae.
CAPUT I.
Doctrinam D. Willenbergii polygamicam in compendio sistens.

§. 1. Autor rationem instituti exponit, adductis

§. 2. causis, enarrationem doctrinarum Willenbergianarum exigentibus.

§. 3. Docet D. Willenbergius: I polygamiam nullo jure divino prohibitam esse, utpote in qua

§. 4. II. Bonum hominis consistat, quod

§. 5. III. DEum hominibus invidisse, procul absit. Quid? quod

§. 6. IV. medium sit vitandae scortationis divino jure positum, non minus ac monogamia.

§. 7. V. Ecclesiam Christianam polygamiam ex falso supposito prohibuisse.

§. 8. VI. Principem plures posse uxores ducere, si velit; idemque aliis, ex gravibus causis, concedere: quibus

§. 9. VII. etiam annumerat sterilitatem uxoris & incontinentiam viri.

§. 10. VIII. maritum cum soluta consvescentem, ex sententia Scripturae, adulterii reum non fieri.

§. 11. IX. D. Willenbergius Scripturam S. indigne tractat.

§. 1.

EGi causam legum divinarum, & ita egi, ut non modo nihil consilio omiserim eorum, quae pervertendae & labefactandae ipsi adducta deprehendi, sed & repetitis & ponderatis, quae dudum ante me alii in gratiam ejus dixerunt, non pauca, pro re nata, de meo addiderim, quo vires & strophae Adversarii in contrarium obtendentis tanto felicius infringerentur. Nunc, post errores veritatis radiis dispulsos, haud difficile mihi erit, momenta eorum justa lance ponderare.

§. 2. Quo quidem labore supersedere mallem, timens, ne

is

is invidiosior mihi evadat, acerbusque meus Adversarius, persvasus, omnia quaevis sibi contra me porro indultum iri, repetitis innovatisque contumeliis & maledictis me crudelissime sit discruciaturus. Sed non desunt mihi graves hujus consilii caussae. Instillare ille non veretur aliis sinistram de me opinionem, me non amore veritatis gloriaeque Dei tuendae, sed vana inclarescendi cupidine in arenam hanc descendisse, immemorem omnis christiani amoris, omnisque officii erga fidei socium, vid. *praefam. iterat. praesid.* it. *c. 1.* §. *9. p. 6.* Scio, tales fabellas etiam ab aliis malevolis, ad deformandam caussam meam minuendosque adversae partis errores, passim spargi. Cum enim doctrinam meam rationibus evertere non possint, decurrunt tandem ad ejusmodi querelas. Interest igitur innocentiae, interest causae Dei, tela ista repelli. DEus, cordium Scrutator, cognoscit, me simplici studio candidoque animo hoc opus aggressum esse. Provoco intrepidus causaeque bonitate fretus ad *vindicias meas*, in quibus duo inclyta Collegia Theologica totidemque juridica, quod legibus christianae charitatis, atque modestiae & humanitatis adversaretur, nihil repererunt, meque ab omni pruritus contradicendi insontemque laedendi suspicione immunem praestiterunt. Non de lana caprina inter nos disceptari, meque sine culpa tacere non potuisse, omnes extra partium studia positi ex sola dogmatum *D. Willenbergii* ejusdemque methodi tractandi Scripturas Sacras enarratione intelligent. Versabor bona fide hoc in negotio, nihil Adversario tribuens, nisi quod ipsismet ejus verbis probavero. Calumnias insecuturas nihil morabor, nec mentis asperioris tyrannidem. Satis animi & patientiae dabit DEUS.

§. 3. Docet *Dn. D. Willenbergius* I. nullo jure divino polygamiam prohiberi, sed omnibus & singulis liberam permitti.

Schediasm. §. *3.* Polygamiam in verbo divino reve-

velato permiſſam eſſe, ſatis evincit, quod nullo evidenti textu probari poſſit prohibita.

§. 4. Docet II. DEum polygamiam ideo non prohibuiſſe, quod viderit hominis Bonum non modo in monogamia, ſed etiam in polygamia conſiſtere.

Nam argumentum meum, pro aſſerenda legis exiſtentia in hiſtoria creationis, ita infringere conatur. Probandum, quod tantum in monogamia DEus Bonum hominis viderit. Probandum, quod ob hoc Bonum eam praeceperit homini. DEus in ſocietate conjugali hominis Bonum fore vidit, ſed illa ſocietas viro etiam eſt, ſi cum pluribus uxoribus conjugatus vivat. *praeſid. j. d. p. 18. 19.* Verum manet, quod dixi in *praeſidiis: Bonum etiam hominis in polygamia ponendum eſſe. iterat. praeſid. c. 2. §. 24. p. 33.*

§. 5. Docet III. tantum abeſſe, ut DEus polygamiam hominibus prohibuerit, ut etiam, ſi prohibuiſſet, Bonum hoc ipſis invidiſſe videri potuiſſet.

Praeſid. j. d. pag. 19. lin. 3. Hujus ſocietatis Bonum (quod vir cum pluribus uxoribus conjunctus vivat,) homini Deus nunquam *invidit*, abſit, ut ei prohibuerit & contrarium praeceperit.

§. 6. Docet IV. DEum polygamiam non modo non prohibuiſſe, ſed etiam eandem medium poſuiſſe vitandae ſcortationis, non minus ac monogamiam.

Praeſid. j. d. §. 27. p. 34. Eo vero (jure divino) polygamia non minus ſcortationis vitandae medium ponitur, ac monogamia. -- Eſt polygamia

medium pro vagis non tantum, ſed & omnibus ſcortationibus vitandis, ut in theſi mea adductum eſt.

§. 7. Docet V. Eccleſiam Chriſtianam polygamiam ex falſo praeſuppoſito prohibuiſſe.

Nam inſcriptio Exceptionis adverſus Meletium ita habet: De Polygamia a Chriſtiana Eccleſia ex ſuppoſita, ſed non probata lege divina monogamica, prohibita.

§. 8. Docet VI. Principi licere, eſſe bigamo, aliisque idem, ex gravibus cauſis, indulgere.

Praeſid. j. d. §. 31. p. 38. Eo omnis collimat ſcopus defenſae polygamiae, ut conſtet, ex reſervatis Principum eſſe, de ea diſpenſandi. (diſpenſare) Hinc ipſum poſſe, ſi velit, cum duabus uxoribus conjungi, exemplo Landgrafii Haſſiae. - - Poſſe eum privato quoque ex gravibus cauſis duabus ſimul nubendi gratiam facere.

§. 9. Docet VII. gravibus illis cauſis annumeranda eſſe: ſterilitatem uxoris & incontinentiam viri &c.

Schediaſm. theſ. 10. Caſus ejusmodi ſunto in eo, qui uxorem ſterilem, valetudinariam aut ad debitum conjugale praeſtandum inhabilem habet, nec dono continentiae gaudet, ſi uxor una mariti viribus abundantis frequentiorem cohabitationem perferre non valeat.

§. 10. Docet VIII. ex praeſcripto ſacrarum literarum adulterium, in latiori ſignificatu, eſſe, ſi uxor ex obſequio, quod viro

viro suo, & vir ex auxilio, quod uxori debet, quicquam detrahant; non vero, si maritus cum soluta femina, ceteroquin in nullo officio erga uxorem deficiens, consvescat. *Iterat. praesid. c. 2. §. 33. p. 39.* inquirit: quid pro adulterio in sacris literis habeatur? idque *p. 40.* committi dicit, late per quamcunque ruptionem vinculi conjugalis, quoties alteruter conjugum ab officio recedat. Ad officia illa §. *34.* refert, ex parte mariti, etiam auxilium; ex parte uxoris, obsequium. Pergit *p. 41.* Hinc quaeritur, num maritus consvescens cum soluta foemina, in nullo tamen officio exhibendo erga suam uxorem deficiat, adulter fiat & rumpat conjugale vinculum? Respondet: Sane hujusmodi adulterii in S. S. exemplum non occurrit. - - Itaque cum substantialia vinculi conjugalis a tali marito non tollantur, nec adulter dici poterit.

§. 11. IX. Scripturam sacram indigne tractat.

Nam 1. exclusivam, in gratiam hypotheseos suae, dictis Scripturae inserit, quam ipse textus non suppeditat. *1. Timoth. III. 6. Tit. I. 6. oportet Episcopum esse unius mulieris maritum.* Ille: oportet Episcopum (*solum*) esse unius mulieris maritum. *Schediasm. thes. 3.* 2. absolute posita a conventione hominum suspendit. *1. Cor. VII. 4. maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Ille limitat: maritus, qui, jure suo polygamico se exuens, uxori potestatem solidam in corpus suum sponte est pactus, non habet proprii corporis potestatem, sed uxor. *Schediasm. th. 7.* 3. in moralibus sensum, quem verba Christi & Apostolorum naturali sua usitataque significatione suggerunt, ideo negat, quia illi non ad legem provocant. Idcirco enim contendit, ex verbis Christi: *duo erunt in carnem unam*; & Pauli: *quaeque habeat*

proprium maritum, contra polygamiam concludi non posse: quia neuter ad legem provocat. vid. *praesid. j. d. p. 20. 21. 31. 32.* 4. vocabula hypothesi suae adversantia exterminat, suppositis eorum vice aliis plane contrarium significantibus. *1. Cor. VII. 2. quaeque habeat proprium maritum.* Ille in locum τȣ̃ *proprium* jubet subrogari: *multiplicem*; & tandem ad incitas redactus: *communem*, ut proprium habere maritum idem sit, ac: *communem habere maritum. Schediasm. th. 8. praesid. j. d. p. 30. 35. 36. iterat. praesid. p. 54.* Colligam terminos: Quicunque 1. exclusivam, in gratiam suae hypotheseos, dictis Scripturae inserit, quam ipsa non suppeditant; 2. absolute posita a conventione hominum suspendit; 3. in moralibus sensum, quem verba Christi & Apostolorum suggerunt, ideo rejicit, quia non ad legem provocant; 4. vocabula sibi adversa exterminat suppositis vice eorum aliis plane contrarium significantibus: ille indigne Scripturam S. tractat. Atqui *Dn. D. Willenbergius* hoc facit; Ergo Scripturam S. indigne tractat. Id quod demonstrandum erat.

CAPUT II.
in momenta errorum inquirens.

§. 1. *Ex quo momenta erroris constare possint?*
§. 2. *D. VVillenbergii errores polygamici graviores sunt, ratione* objecti;
§. 3. formae;
§. 4. finis, &
§. 5. effectus.
§. 6. *Methodus tractandi Scripturam periculosissima.*
§. 7. *Concludit hinc Autor, se de conatibus D. VVillenbergii sine noxa tacere non potuisse.*

§. 1.

QUi errores momentis suis judicio censorio ponderare cupiunt, animum referre tenentur ad *objectum*, quod attingant; nec non ad *formam*, quales sint; itemque ad *finem*, quo tendant; tandem & ad *effectum*, quid eniti aut effi-

cere

cere possint. Ad has rationes errores *D. Willenbergii* polygamicos si direxerimus, satis arduos ac spissos reperiemus.

§. 2. *Objectum*, circa quod occupantur, est status ille primus, a DEO, Creatore, in horto paradisiaco, antequam funesto lapsu Protoplasti imaginem Dei deperdidissent, institutus, quique fundamentum est omnium societatum, quotquot coire homines & colere, quoad vivunt, ex ordinatione divina possunt. Bene, & prorsus in rem nostram *KECKERMANNUS*, celeberrimus Gymnasii nostri Philosophus, in *cursu philosoph. Disput. 28. Q. 6. Oper. Tom. 2. fol. 730.* commendat, quae *Philosophus l. Oecon. c. 3.* monuit: *Inter ea omnia, quae ad homines pertinent, prima debet esse cura societatis inter uxorem & maritum: ab hac enim omnes aliae tum societates, tum possessiones domesticae pendent non tantum quoad esse, sed etiam quoad bene esse.* Unum atque idem sentit *Dn. D. BODINUS*, Antecessor Hallensis, qui in disput. de erroribus communibus circa matrimonialia *thes. 3. matrimonium talem esse societatem*, dicit, *ex qua omnis Reipublicae, imo & ipsorum contrahentium temporalis & aeterna salus dependeat.* Neque in circumstantias hujus status, sed in ipsam substantiam errores a nobis excussi irruunt, eamque impetu suo percellunt: utpote materiam & formam ejus labefactantes. vide supra *Sect. 2. c. 3.* §. *7. p. 127.* §. *19. p. 135. c. 4. membr. 1.* §. *21. 22. p. 194. 196. membr. 2.* §. *18. p. 224.*

§. 3. *Formam* si spectes, errores *cum* in abstracto vel ratione sui, *tum* in concreto, vel ratione subjecti eosdem in apertum referentis mordicusque defendentis, considerari oportet. *Abstractive*, vel ratione sui, non modo singuli separatim, sed omnes etiam in nexu atque complexu suo perspiciendi veniunt. Adversantur singuli verbo Dei; deformitas tamen unius, accessione reliquorum ingravescit multumque augetur. Multiplicat errores una & gravius errat, qui non solum, jure divino polygamiam prohibitam esse, negat, verum etiam Deum, si prohiberet,

ret, in ſuſpicionem adductum iri, putat, quod Bonum polygamicum hominibus inviderit; quid? polygamiam aeque ac monogamiam pro medio evitandae ſcortationis divinitus poſito habet & venditat. *Concretive* gravior habetur error, quando pertinacius ab Autore vel Propagatore ſuo defenditur. Pertinacia adeſſe in animo errantis colligitur, quando meliora edoctus veritati cedere detrectat, quin potius argumenta Diſſentientium vel ſilentio praeterit, vel pervertit, vel ſarcaſtice ſugillat; denique loca ſcripturae obtorto collo in partes ſuas pertrahit. Quae omnia de *Dn. D. Willenbergio*, in Sectione ſecunda, paſſim probavimus.

§. 4. *Finem* nemo rectius ipſo Adverſario nobis ediſſeret. Quem ſi audiamus, conſilia ejus id moliri, intelligemus, ut *tum*, quae hactenus de prohibita jure divino polygamia doctrina percrebuit, extingvatur funditus & deleatur; *tum*, Orbis Chriſtianus in eam adducatur ſententiam, ut credat, Principem, ſi voluerit, poſſe duas ſibi aſſociare uxores, privatis etiam idem faciendi, gravibus exiſtentibus cauſis, veniam dare. Nihil confingere videbor, ſi ipſius verba recitavero. Cum graviter me increpat, quod tritam opinionem de polygamiae ſimultaneae injuſtitia a teneris acceptam & in virili aetate nondum recte perpenſam, nunc non tantum infeliciter defendam, ſed & cum ingloria in vulgus blaterem; *praeſid. j. d.* §. *14. p. 21.* cum juſto meo dolori, quem teſtatus fueram, quod ſtudioſae juventuti, cujus potior pars Theologiae ſe conſecraverit, talia in lectionibus publicis inculcarentur ac ventilanda ex Cathedra ſubminiſtrarentur, ſuperbius illudit: futilis plane querela eſt, quod coram Studioſis, maxime Theologiae conſecraneis, ſententiam meam ediſſeram, quaſi veritas,

tas, quae tuta republica & sine infirmorum scandalo doceri potest, reticenda sit, *falsa vero & male cocta sententia retinenda & ad posteros propaganda*: *praesid. j. d.* §. *4. p. 7.* abunde prodit ipse, se obliterationem doctrinae antipolygamicae, qualis in Ecclesia hucusque viguit, nisu fortissimo machinari. Neque obscurum relinquere nobis voluit, se alterum illud animo suo volvere, ut publice svasu & inductu suo recipiatur: ad jura Principum pertinere, ut ipse, si voluerit, uxores suas multiplicet, aliisque privatis certas ob causas, quas graves appellat, idem illud indulgeat. Esse eum defensae polygamiae scopum, sponte professus est, ut constet, ex reservatis Principum esse, de ea dispensare. &c. *praesid. j. d.* §. *31. p. 38.*

§. 5. Quosnam inde *fructus* sperare liceat, judicatu etiam in proclivi est. *Primum* enim justae subnascentur querelae Seculi nostri, & siquod in posterum est futurum, hominibus, se inani quadam legis divinae imagine turbatos Boni tam excellentis, quod nec ipse Deus citra suspicionem invidiae prohibere potuit, spe & fruitione excludi prorsus atque expelli. *Deinde* contra jus fasque agere Ecclesia dicenda erit, homines ab usu remedii jure divino avertendis peccatis positi arcendo, idque ob mera incommoda oeconomico - politica, quae potius sufferenda vel alia ratione temperanda, quam prohibitis repagulis fraena molliter viventibus laxanda essent. Non satis est monogamiam concedi. Nam, quia Deus, ex mente Adversarii, polygamiam non minus ac illam fugiendae scortationi ordinavit, neutra humanis consiliis proscribenda erit. *Porro*, si Antagonista finem intentum, ad quem collimare se fatetur, assecutus fuerit, quod omnino metuendum, nisi fortiter ipsi contradicatur, mirabitur Orbis Christianus, se brevi polygamicum evasisse,

ſe. Principibus non deerit voluntas; privati autem aere (quid enim hodie non ſit venale?) vel aliis viis diſpenſationis gratiam impetrabunt. Conf. *B. D. SCHELGVIGII Reliqua de Polygamia c I.* §. *4. p. 7.* & noſtra *juſtit. cauſae p. 287. Tandem*, quid non expectandum, ſi aſſertis Willenbergianis ſubſcribatur, quod vir cum ſoluta conſveſcens, ſi modo in reliquis ab officio uxori debito non abierit, ſecundum literas ſacras, innoxius adulterii haberi debeat?

§. 6. Perverſa illa ſanctiſſimum Dei verbum tractandi methodus, utpote temeraria & periculoſiſſima, atro notari carbone meretur. Si fas eſt, textibus ſacris immiſcere, quae hypotheſis ſuggerit; ſi licet praeſcripta a Deo ſocietatibus jura non admittere, niſi humana conventione transactum de illis fuerit; ſi religio non eſt, verbis Chriſti & Apoſtolorum ſenſum auferre literalem, quia non ad legem provocarunt; tandem, ſi integrum relinquitur, terminos a Spiritu Sancto adhibitos cum aliis contrarium prorſus ſignificantibus commutare: omnis Scripturae certitudo & veritas perierit. Graviter monet Paulus Timotheum: *formam habe ſanorum verborum, quae a me audiviſti. 2. Tim. I. 13.*

§. 7. Poſtquam igitur erroribus pondera ſua adjeci, exiſtimo, hoc mihi ἐκ τῶν διδομένων fore: me tacere ad talia illaeſa conſcientia minime potuiſſe. Solent ejusmodi errores, neſcio qua arcana ſvavitate, in mentes hominum irrepere, noſtro imprimis aevo, in quo noxia lolii ſeges pingvius ſuccreſcit. Sola dogmatum recenſio me ſatis ſuperque ab omni purgabit calumnia. Gravius quidem ab inimiciſſimo Adverſario meo reprehendor; ſed credo, Lectores ingenuos tam aequos mihi fore, ut ex contumeliis ejus non ſint ſententiam de me laturi. Quam mihi ab omni rixandi pruritu alienus eſt animus, tam ſtudioſus eſt veritatis. Confido, nec Deo, nec poſteritati extra partium ſtudia poſitae, pietatem meam ejusque conamina improbatum iri.

CA-

CAPUT III.

De excusationibus Dn. D. Willenbergii, quibus causam suam emollire studet.

§. 1. *D. VVillenbergius excipit I. non mihi licere, sibi, Professori Gymnasii, contradicere.*
§. 2. *Respondet Autor.*
§. 3. *II. docere se, polygamiam inter Christianos recte prohiberi.*
§. 4. *Respondet Autor.*
§. 5. *III. Conscientias subditorum jure humano aeque obligari, ac divino.*
§. 6. *Respondet Autor.*
§. 7. *IV. Principem non posse jus Gentium temere violare.*
§. 8. *Respondet Autor.*
§. 9. *V. affingit Autori, quae nusquam scripsit.*
§. 10. *VI. speciales privatorum casus, sine responsione ad exceptionem Autoris, repetit.*
§. 11. *VII. in Antecessorum suorum consensu gloriatur.*
§. 12. *Respondet Autor 1. pro se stare universam Ecclesiam.*
§. 13. *2. neminem Antecessorum doctrinam polygamico-VVillenbergianam fuisse amplexum.*
§. 14. *De D. Petro Oelhasio.*
§. 15. *De L. Christiano Rosteuschero.*
§. 16. *De Dn. Joh. Godofr. à Diesseldorf.*
§. 17. *De D. Johanne Schulzio.*
§. 18. *De D. Joachimo Hoppio docet Autor, quod 1. cum D. VVillenbergio in doctrinalibus non consenserit;*
§. 19. *2. neque in causa non reducendae polygamiae;*
§. 20. *quod 3. alium finem intenderit; neque*
§. 21. *4. poenam capitalem abrogari voluerit; quodque*
§. 22. *5. non pertinax fuerit. Quod ipsum probatur,*
§. 23. *1. quia sibi contradici passus est; & quidem*
§. 24. *2. in scriptis publicis:*
§. 25. *3. alios a sententia ista dehortatus est;*
§. 26. *4. quam & ipse retracturum se non obscure indicavit.*
§. 27. *Respondet Autor ad objectionem.*
§. 28. *Epilogus.*

§. 1.

COngerendae jam mihi sunt variae sed inanes excusationes, quibus *Excellentissimus Dn. D. Willenbergius*, de delatis erroribus a me modestissime in *Vindiciis* meis

appellatus, ut honori suo velificaretur, uti consultum duxit. I. arbitratur, quicquid a me hoc in negotio actum est, id omne, vel hoc nomine, periniquum atque injustum esse, quod mihi in se, tanquam Professorem Gymnasii, nullum jus competat. *In praefamine iteratorum praesidiorum lit. a. fac. 2.* non procul a medio: vera causa (quod Vindicias Scripturae ediderim) est, cupido inclarescendi in foro contradictorio, in quo hactenus adhuc latuit ignotus, ut cum Plauto dici possit: *Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur*, & dicam mihi scribendi, quid ex suo arbitrio docerem in mea cathedra, quanquam praeter fiduciam vasti praesidii, quod a loquentiae suae gratia apud suos contra me inventurum sperat, nihil juris sibi in me imaginari possit. Et *cap. I.* §. *10. p. 7.* accusat me, quod me immiscuerim negotio ad me non pertinenti. Nam negotia Gymnasii ad meam censuram non pertinere.

§. 2. *Respondeo:* Ego neque in illos, qui munere Professorio in Athenaeo nostro funguntur, neque in alios quicquam jurisdictionis mihi arrogo, quae, in sensu strictiori prout ordini contradistingvitur vimque coactivam infert, Ministris Ecclesiae non competit. Nimius igitur est in reprehensione, tribuens mihi, quod dicam ipsi scripserim, quid ex meo arbitrio docere in cathedra sua debuerit. Jus tamen contradicendi falsa docentibus & vindicandi sacras literas adversus illos, nec mihi, nec cuiquam alii ordinis Ecclesiastici praecidet. Ad quod nulla jurisdictio politica requiritur. Mandatum atque imperatum hoc nobis est a Deo: *Hortor vos, fratres,*

tres, ut circumspiciatis eos, qui dissidia & scandala contra doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab iis. Rom. XVI. 17. Oportet Oeconomum Dei tenacem esse ejus, qui est secundum doctrinam, fidelis sermonis, ut potens sit, etiam adhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere. Tit. I. 9.

§. 3. Excipit II. docere se, quod polygamia rectissime inter Christianos prohibita fuerit, & prohibita manere debeat. *praefam. a. fac. 2.* Plane non facio cum illis, qui polygamiam Principibus svadere conantur, ut eam in terris suis (terras suas) introducant, velut remedium augendae Reipublicae. Mihi contrarium persvasum est, & statuo eam fore potius perniciem & ruinam florentissimarum Rerumpublicarum. *praesid. j. d. §. 30. p. 37.*

§. 4. *Respondeo:* 1. Polygamiam dissvadet ex solo metu incommodorum oeconomico-politicorum; minime vero ex capite moralitatis & decori, quo respectu ad justa & licita illam refert. *praesid. j. d. §. 30. p. 36.* 2. Nihil juvat, verbis prae se ferre fastidium polygamias, eamque execrari, si tales hypotheses substernantur, ex quibus contrarium non potest non sequi. Frustra exsiccare prata & campos conatur, qui non fontium scaturigines obturat. Eam in rem scite *Bertius in praefat. hymenaei desert. quisquis principia concedit, eum necesse est, illa omnia admittere, quae ex illis principiis fluunt: nisi aut ipse illiberaliter nobiscum agere cupiat, aut ita nos fungos arbitretur, ut non videamus, quid ex quo sit consequens.* citante *B. D. DANNHAUERO in Polemosoph. p. 73.* Quod ipsum Theologus exemplo Epicuri illustrat, quem injuria ab accusatoribus suis affici, frustra clamare quosdam docet, cum talia dogmatum portenta docuerit, ex quibus, quorum insimulatur, non potuerint non se-

ſequi. *p. 79. ſeqq.* Quamdiu igitur *Dn. D. Willenbergius* conſtanti animo perſeveraverit in ſententia ſua: *polygamiam tam inſigne Bonum eſſe, ut nec Deus illam ſine macula invidiae prohibere potuerit, quin potius illam jure ſuo medium laqueos laſciviae evadendi poſuerit;* incaſſum homines, formidine incommodorum oeconomico-politicorum, ab uſu juris divinitus ſibi conceſſi revocabit. Leges humanae ſi obſtiterint, recuſata a Superioribus diſpenſatione, clam ſibi jungent tot pellices, quot coërcendis libidinis aeſtibus ſuffecturas arbitrati fuerint.

§. 5. Dicit III. conſcientias ſubditorum prohibitione humana aeque obligari, ac divina: jus humanum conſcientias ſubditorum aeque ac jus divinum ad obſervantiam obligat, ne quid moliantur contra illud clandeſtinis nuptiis, ob Dei ordinationem, qui in his terris Reges & Principes Vicarios ſuos fecit, illisque media conceſſit, ad regendum populum, quae inter leges quoque ſunt. *iterat. praeſid. c. 1. §. 2. p. 1.* Paria habet *c. 2. §. 71. p. 70.* Habent namque leges humanae vim quoque in ſubditorum conſcientias non minorem quam leges divinae, quia proficiſcuntur ab eo, qui Dei Vicarius eſt, Principe nempe, cui jus imperandi a Deo, ut conceſſum, ita & media, inter quae ſunt quoque leges ejus. *ad Roman. XIII. SANDESSON* (Sanderſon) *de obligat. conſc. Praelect. 5. §. 2.*

§. 6. *Reſpondeo:* 1. Legibus humanis conſcientias *indirecte* obligari, *ſi juſtae fuerint*, Moralium Conſulti in Scholis ſuis conſtanter docent, neque negatum a me unquam fuit; habere autem *non minorem vim* in conſcientias Subditorum, quam

quam leges divinas, non dicere ausim. Ipseque *D. Willenbergius* a teste suo, *Sandersonio*, prorsus deseritur, quem si evolveris, alio habendum esse numero, animadvertes. *Praeter Dei legem*, inquit, *quae per se absolute & vi propria omnium hominum conscientias obligat, idque in summo gradu; sunt & alia non nulla, quae gradum quendam obligandi obtinent, sed summo illo inferiorem: ut quae non primario & per se, sed secundario & ex consequenti; non absolute, sed relative; non vi propria, sed virtute divini alicujus praecepti sive instituti, in quo fundantur, obligant conscientias. Quae tametsi in eo conveniant omnia, quod quamcunque habent obligandi vim, eam ex toto divinae legi acceptam debeant; differunt tamen inter se singula, quemadmodum specie, propter diversitatem materiae; sic & gradu, quantum ad obligandi vim.* Leguntur haec loco ab ipso Adversario citato *p. m. 196. Edit. Cothen. A. 1674.* Habes hic mi Lector, pugnam contradictoriam. *Sandersonius* docet: leges humanas habere *vim* in conscientias Subditorum inferiorem, h. e. *minorem*, quam divinas; *D. Willenbergius:* habere easdem *vim non minorem* in conscientias Subditorum, quam divinas. Nihilo tamen secius Noster testimonio *Sandersonii* placita sua communit: humanas leges non minorem inferre obligationem, quam divinas. 2. Quaero ex Consultissimo meo Antagonista: num Magistratus facultate polleat prohibendi ea, in quibus 1. Bonum hominum adeo eximium consistit, ut vel ipse DEus prohibitione illius invidiae suspicioni obnoxium se fecisset; 2. quae ad media pertinent divino jure ordinata, ut homines usu eorum a peccatis sibi caveant? Non arbitror! Dixerit forte: *relinqui illis medium alterutrum, monogamiam scilicet.* Verum respondeo: ex hypothesi ejus non sufficere illam, ut homines scortationis puros se servent. Non enim putandus DEus est, praeter necessitatem media ista multiplicasse, & quidem pa-

ritate gradus; quae mens est *Dn. Doctoris: polygamiam* NON MINUS *quam monogamiam posuit DEus in jure suo medium vitandae scortationis.* Ex quo sponte fluit, oportuisse DEum, pro infinita sua sapientia, cognovisse, unum illud medium obtinendo fini suo, ut vita hominum casta atque pura sit, non suffecturum. Quapropter, assertis Willenbergianis si standum est, non licebit Magistratui, legibus suis homines intercludere ab usu mediorum, quibus Deus obicem peccatis posuit. Neque ejusmodi leges, in casu indigentiae, ubi quis a peccato, citra usum hujus medii, servare se immunem nequit, in conscientia obligabunt. Concurrunt duo praecepta, quae servari simul nequeunt: divinum alterum, & alterum humanum. DIVINUM est: *qui monogamia temperare sibi a scortationibus non potest, ipsi alio remedio consultum cupio, nempe polygamia.* HUMANUM: *nemini licet esse polygamo.* Utri potiores tribuemus partes? Utique divino! Utrum cedet alteri? Dixerim: humanum divino. Inferius enim postponendum est superiori. 3. velim intelligere ex *Dn. D. Willenbergio,* quemadmodum haec inter se conciliaturus sit? Annumeratur hic ab eo lex polygamiam prohibens legibus, *quibus Reges & Principes populum regunt,* quas civiles appellant; ast *cap. 2. §. 69. p. 68.* eandem ad *jura Gentium* revolvit. Ne, ultra crepidam sapere me velle, denuo clamet, (vid. *iter. praesid. p. 85.*) provoco ad *Sicilimenta* ejus, ubi *L. 1. c. 1. Q. 29. 30. p. 24. Q. 38. p. 28.* jura illa, quae Superiores sanciunt, &, quae Gentes constituerunt, velut duas distinctas species juris humani describit. Quod ipsum etiam in confesso est, nec probatione indiget. Si igitur lex ista ad jura Gentium pertinet, male ad civilia refertur, quibus Reges & Principes populum regunt.

§. 7. Pergit IV. se, de Principe scribentem: posse eundem, si velit, de polygamia dispensare; nolle ad istam absurditatem trahi verba, ut liceat, si lubeat, sed

tunc

tunc demum, si extraordinarium casum urgeat gravissima causa. Obstare enim universalem in Orbe Christiano consvetudinem, quae Gentium quoddam jus sit, non temere violandum. *iter. praesid. c. 2. §. 69. p. 68.*

§. 8. *Respondeo*: 1. Confundit Adversarius duos distinctos casus, a se ipso olim distincte propositos: quorum *prior* de Principe agit, polygamo evasuro: *posterior* de Privato dispensationem desiderante. In posteriori graves quidem causas; non vero in priori, sed solam voluntatem postulavit. Agnoscat verba sua: *Principem* posse, *si velit*, cum duabus uxoribus conjungi. Posse eum *privato* quoque *ex gravibus* causis duabus simul nubendi gratiam facere. *praesid. j. d. §. 31. p. 38.* Non igitur ego verba ejus ad istam absurditatem, uti loquitur, traxi, ut liceat, si lubeat; sed sensum, quem sponte exhibent, servavi, qui, quicquid absurditatis fovet, id omne Autori suo debet. Non licuit mihi, quae Privatorum casui annexa sunt, ad Principum casus referre. 2. Si doctrinae suae satis memor esset Adversarius, non scriberet: Principi obstare universalem in Orbe Christiano consvetudinem, quae Gentium quoddam jus sit, non temere violandum. Ex principiis enim ejus Princeps nullo jure Gentium tenetur, nisi *primario*, quod ipsum est jus Naturae, cui polygamiam refragari recte negat; *secundarium* vero, quod Gentes usu & experientia edoctae sponte receperunt, nihil vinculi Principibus injicit. In *Sicilimentis* suis *L. 1. c. 1. p. 25.* ad Quaestionem 32. *An hoc jus* (Gentium) *summas potestates & liberos populus obligat?* respondet: Neg. quia nullum jus, nisi quod a superiore fertur, obligationem

nem & necessitatem inducere potest; at nemo in terris est superior gentibus & summis potestatibus, sed omnes illae inter se sunt aequales, quarum altera alteram legis vinculo adstringere non potest. Nunc vero absurditatibus hypothesin suam prementibus se liberaturus, nulla alia elabendi rima reperta, dicit: Principem non pro lubitu polygamum evadere posse: quia consvetudini Christianorum hoc repugnet, quae sit quoddam jus Gentium non temere violandum. Potestne legem violare, qui eadem non tenetur? Utrobi credemus *D. Willenbergio*, in Sicilimentis, an in iteratis praesidiis? Quod hic posuit, ibi destruxit. Committatur secum ipso: *Quaecunque lex ad jura Gentium pertinet, illa nec Principem, nec liberos populos obligat. Atqui lex polygamiam prohibens pertinet ad jura Gentium; Ergo lex polygamiam prohibens nec Principem, nec liberos populos obligat.* Utramque Praemissarum sentiet suam esse: illam in *Sicilimentis, p. 25.*; hanc in *iteratis praesidiis, p. 68.* Conclusione tamen, quia causae suae deformitatem detegit, non vult teneri. Quamdiu vero Praemissas, aut saltem alterutram earum non retexuerit; conclusione premetur, justeque accusabitur, quod hypothesibus suis polygamiae portas bipatentes aperiat. Cur igitur ego ipsi ista tribuens vapulo? 3. Princeps lege Christiani Orbis universali contineri se non patietur, quamprimum intellexerit, niti illam crasso errore de putatitia prohibitione divina, nusquam existente. Loquor ex mente Adversarii non erubescentis Ecclesiam Christianam insimulare, quod ex supposita, sed non probata, lege divina monogamica, polygamiam prohibuerit; *in titulo Exceptionis adversus Meletium.* Quid hoc est aliud, quam Orbem fallere? Legentes talia Principes non sinent animos suos formidine Chimaerae percuti.

§. 9.

§. 9. Ad polygamiam privatorum descendens V. somnia sua loquitur, quando scribit: Circa haec suspicax Contradictor, quando nihil aliud, quo sese opponat, habet, attamen, inquit, si duorum fratrum liberi, vidua privigni mei, defunctae uxoris soror mihi matrimonio per dispensationem conjungi permittuntur, portae bipatentes aperientur incestuosis conjugiis, ibi maxime, ubi pingvioris dotationis spes arridet &c. *iter. praesid. c. 2.* §. *68. p. 68.* Haec nunquam in mentem mihi venerunt. Neque paginam neque paragraphum, ubi talia scripserim, indicavit: nec indicare potuit. Miror, quo vultu, qua confidentia, scribere ista ausus fuerit? Crederem, cum peregrino quodam rem ipsi esse; sed sine interruptione mecum agit; neque quisquis ista legerit: suspicax Contradictor, quando nihil aliud, quo sese opponat, habet, attamen, inquit, si duorum fratrum liberi &c. praeter me quenquam alium cogitare poterit. Mille lucernas si accenderis, ne syllabam vel apicem de *duorum fratrum liberis matrimonio non jungendis &c.* in omnibus meis scriptis reperies. Si ista confinxit, ut invidiosum me Lectori redderet, tanquam qui nuptias in secundo gradu lineae collateralis aequalis ignominia incestus notarem, quas jure divino licitas esse una mecum omnes Theologi docent; grande nefas commisit.

§. 10. De singulis casibus, in quibus privatis veniam polygamias vult faciendam esse, sigillatim egi in *justit. causae P. spec. Sect. 4. c. 2.* §. *4. 5. 6. 7. 8. p. 281. seqq.* Ad quae, cum VI. nihil regerat aliud, nisi: quod calculum non ferant, ob infirmitatem suam per antecedentia satis detectam &

dilutam; *iter. praesid.* §. 70. p. 70. ipsos tamen casus singulos repetat: operam respondendi minorem mihi fecit. Nolo enim acta agere. Respondeat ad mea, & quae partium mearum sunt impigre exequar. Lectorum vero desiderio cumulate satis facient, quae in *justit. causae* l. c. responsa a nobis sunt.

§. 11. VII. Autoritate aliorum, velut scuto, se tegit, conatus se defendere ex eo, quod Antecessores ejus eadem olim docuerint: in *praesid. j. d.* §. 1. p. 3. nec aliter ante me propugnarunt eam (sententiam) Domini Antecessores mei, quibus obstrepere aut saltem hiscere contra eos nemo ausus fuit. Quibus in Erratis jubet addi: Dn. Joachimus Hoppius in Comment. Instit. tit. de nupt. §. 6. Dn. Joh. Schultz. in disp. de eo, quod non vet. lex, vetat fieri pud. in matrim. const. c. 2. §. 3. Repetiit ista in *iteratis praesidiis c. 1.* §. 5. p. 3.

§. 12. *Respondeo:* 1. Si ab exemplis lumen ac praesidium causae suae foeneratur; cur mihi, quod doctrinam inde a temporibus Christi & Apostolorum per tot Seculorum tractum ad hunc diem constanter in Ecclesia propagatam defenderim, adeo succensuit, ut parum absit, quin omnia humanitatis jura vel ignorasse vel oblitus videatur. Ille Ecclesiae litem movens tuetur se autoritate duorum Antecessorum, eadem, tanquam munimento, adeo tutum se esse ratus, ut piaculum & scelus sit, sumpto calamo thesibus ejus polygamicis contradixisse; mihi vero partes Ecclesiae ex verbo Dei agenti, arroganter insultat: quod tritam opinionem a teneris acceptam & in virili aetate nondum recte perpensam, nunc non tantum infeliciter defendam, sed & cum ingloria in vulgus blaterem, male coctamque sententiam re-

ti-

tineam & ad posteros propagem. *praesid. j. d. §. 4. p. 7. §. 14. p. 21.* Si autoritati aliorum locus concedendus est, crediderim, Ecclesiam tantum mihi tutelae adversus lingvae & calami flagellum, quam duos Antecessores ipsi adversus nudam, eamque modestam, ac, ex sententia ipsorummet JCtorum, vacuam conviciis contradictionem, praestituram esse. Sed seculum est calumniari, & convicia victoriarum trophaea ponere!

§. 13. 2. Quod si lubet, ad Antecessores Adversarii mei adscendere, confidenter dico, doctrinam *polygamico-VVillenbergianam* complexive sumtam, qualem in capite Sectionis hujus primo recensui, Gymnasium Gedanense, a primis ejus incunabulis ad nostram aetatem usque, non pervagatam esse, neque, excepto Nostro, ullo tempore quenquam exstitisse, qui docendo talia ipsi anteiverit. Ordiar ab illis, qui in universo hoc negotio per omnia ab eo discrepant.

§. 14. *D. PETRUS OELHAFIUS* in prima Exercitationum justinianearum repetitarum *A. 1643. d. 26. Mart. habita* §. *49.* docet, *polygamiam primae matrimonii institutioni repugnare ac formam conjugii destruere. v. Matth. cap. 19. 1. ad Cor. c. 7.* Idem etiam dispensationem, quo nomine ego Censori meo absurdus & insipiens videor, strenue defendit in §. *50. Sicuti absolutus aliquis Monarcha, in legibus pure civilibus, universaliter & rigorosissime latis, pro arbitrio, in speciali casu dispensare, ac citra justitiae violationem, huic vel illi Privilegium speciale, generali constitutioni derogans, vi absolutae suae potestatis concedere potest; ita Deus noster in legibus a se latis; siquidem is relaxare legem, & circa eam dispensare potest, qui eam condidit, l. fin. C. de ll. Verum dubium, an hoc in casu, & cur divina sapientia relaxarit? primum assero ob rationes supra adductas. Addo; probabile esse, dispensationem S. Patribus a DEO, cum quo saepe colloquebantur, immediate revelatam esse.*

 Quod

Quod secundum attinet, nostrae fatuitatis non est, inquirere, sed exclamare oportet, O profunditatem! Rom. XI. Si in jure nostro, de Principis facto disputare, sacrilegium est, pol de facto DEI singulari, gravius nefas erit. - - Quandoquidem autem haec dispensationis causa in N. T. cessavit, ac Christus, divinae voluntatis interpres certissimus, singulos ad primam DEI ordinationem Matth. 19. reduxit, omnino in novo Testamento a polygamia abstinendum.

§. 15. *Oelbasio* rude donato jungebatur *L. CHRISTIANUS ROSTEUSCHERUS*, qui etiam in locum pariter ac doctrinam defuncti successit. Posterius constat ex disputatione ejus *de publicis judiciis*, in cujus *thesi quinta* de adulterio agens fatetur quidem, jure civili adulterium non esse, si maritus cum femina soluta rem habuerit, quia cessante ratione legis, nempe importatione foetus alieni in familiam, ipsa etiam lex cesset; sed nec dissimulat, calculum suum ut his addat, prohibere jus divinum. Quapropter totus dissensione distat a *D. Willenbergio*, dignus, quem audiamus: *Quae quidem rationes seu ratiocinationes speciosae videntur, verum cum civiles sint, & contra jus divinum, vix apud nos attenduntur. Jus autem divinum in casu nostro tale est: uxor proprii corporis jus non habet, sed maritus: similiter & maritus proprii corporis jus non habet, sed uxor, 1. Cor. VII. 4. Hic Apostolus paritatem inter conjuges esse voluit, nec solum viro (ut jus civile) in corpus uxoris, sed & uxori vicissim in corpus mariti jus dedit. Eadem igitur a viro, quae ab uxore praestanda est castimonia, nec viro in hoc casu licet, quod uxori non licet. vid. Matth. V. 7. 32. XIX. 9.* In thesi 17. dicit: *polygamiam non modo jure civili, sed & divino prohibitam esse, Genes. II. 24. Matth. XIX. 9.* appellatque illam *crimen publicum, quo persona conjugata nuptias cum alia adhuc persona celebrat.* Velim hic observari, quod *B. L. Rosteuscherus* 1. jure divino statuat polygamiam prohiberi: idque 2. Genes. II. 24. Matth. XIX. 9.

9. quibus de locis *Dn. D. Willenbergius* ſcribit: non ibi monogamiam praeceptam aut polygamiam ſimultaneam prohibitam eſſe invenio. *praeſid. j. d.* §. *9. p. 14.* & in *iteratis praeſid.* §. *32. p. 39.* dicit me, urgendo haec loca, prodere ignorantiam meam. 3. paritatem juris inter conjuges aſſerat, vi cujus marito non liceat, quod uxori non licet, derivatam 4. ex jure divino *1. Cor. VII. 4.* nulla 5. facta mentione conventionis mutuae, cui ſanctiones divinas *D. Willenbergius* ſubſternere non erubeſcit.

§. 16. Ne forte, remotiores hos a ſe exſtitiſſe, excipiat, teſtem veritatis dedi, qui gubernaculis Reipublicae, in cujus ſolatium natus eſt, feliciter nunc, & utinam diu! aſſidens, olim proxime ipſum in functione anteceſſit, generoſum *DOMINUM JOHANNEM GODOFREDUM à DIESSELDORF*, in *Exercit. juſtinianea III.* §. *11. dum polygamiam*, inquientem, *juri divino ſimpliciter ac indiſtincte contrariam reperimus, non diſcedimus in illorum ſententiam, qui eandem, invita uxore, quidem illicitam, hac tamen conſentiente omnino licitam nuncupant, tantum enim abeſt, ut uxoris conſenſus detrahere aliquid poſſit autoritati & voluntati divinae.*

§. 17. Deducor nunc ad illos, quos ex Anteceſſoribus ſecum facere gloriatur. Nonne gaudet veſtigiis *D. JOHANNIS SCHULTZII?* Gaudet omnino & laetatur, ſed vana inductus perſvaſione. Equidem commune hoc illi cum ipſo eſſe, largior, quod formalem legem prohibitivam in Sacris extare inficietur; diverſis tamen frontibus inter ſe concurrunt. Docet etenim *SCHULTZIUS* 1. polygamiam naturali pudori contrariam eſſe; (Phraſis: naturali pudori contrarium eſſe, ipſo Interprete, praeter reliqua, haec quoque importat, ut ejusmodi res vel actio (a) *conſiliis repugnet honeſtis etſi vim legis non habentibus. p. 1.* §. *1.* (b) *naturali rationi incongrua eaque indigna ſit. p. 2.* §. *2.* (c) *inter-*

ternam animi & conscientiae tranquillitatem turbet. p. 11. §. 10.) 2. juris divini institutionem majorem convenientiam monogamias quam polygamias cum voluntate divina notare: adeoque 3. sequi illam semper fuisse laudabile & egregium h. e. pudoris, non tamen, ut aliter facere nefas esset: quae ultima ex Grotio sua fecit; 4. neminem polygamiam expetere, nisi libidinis caussa. Quae profecto dissona sunt Willenbergianis, neque persvaderi nobis sinunt: Bonum hominis in polygamia consistere; ideoque Deo periculum invidiae obstitisse, quo minus hoc Bono homines prohibuerit; quin potius illud non minus ac monogamiam vitandae scortationis medium, in jure suo, posuerit. O! quam ista a Schultzianis abeunt, quam longeque sunt disjuncta! Si *D. SCHULTZIUS* eadem, quae noster, propugnavit; oportet ipsum docuisse: 1. quod Bonum hominis in eo consistat, quod consiliis honestis repugnat, naturalique rationi non congruit, eaque indignum est, tandem & internam animi & conscientiae tranquillitatem turbat; 2. quod prohibitio talium, quae consiliis honestis repugnant, & naturali ratione indigna sunt conscientiaeque tranquillitatem turbant, suspicione invidiae Deum aspergeret; 3. quod Deo, quae minorem convenientiam cum voluntate sua habent, paria sint cum illis, quae majorem habent: quia non minus illa quam haec medium vitandae scortationis, in jure suo, posuisse dicitur. Nonne pugnant ista invicem, velut lux cum tenebris?

§. 18. De *JOACHIMO HOPPIO* pietas, qua post fata Virum prosequor, prolixiorem me esse jubet. Constat apertissime, ipsum, quantumvis nullam prohibitivam legem in Sacris reperiri autumaverit, a placitis tamen Willenbergianis alienissimum fuisse. Dictis faciam fidem. Dissentit a *Dn. D. Willenbergio* 1. *in ipsa doctrina.* In quatuor illis paginis, quibus ad *I. L. 1. Tit. 10. §. 6.* commentatus est, nullum indicium ostendi poterit, ipsum animo suo & aliis persvasisse, (*a*) Bonum hominis in polygamia

con-

consistere; ideoque (*b*) prohibitionem ejus suspicionem invidiae importaturam fuisse; (*c*) Deum polygamiam non minus ac monogamiam in jure suo posuisse vitandae scortationis medium; (*d*) *1.Cor. VII. 2.* pro: *proprium* supponendum esse *communem*, adeoque mulierem juberi, ut, si a scortationibus cavere sibi velit, communi Viro, h. e. polygamo nubat.

§. 19. Dissentiunt 2. in causa non reducendae polygamiae. Quae *D. Willenbergio* incommoda sunt oeconomico-politica; *Schediasm.* §. *9. praesid. j. d.* §. *30. p. 37.* de quibus vero sperat, polygamum, si ex sontica causa praeferenda fuerit polygamia, moderatione dispensaturum ejus onera, ne mergant aut sibi intolerabilia fiant. *p. 39. in iterat. praesid.* addidit consvetudinem orbis Christiani, quae quoddam jus sit Gentium; *p. 68.* quod tamen, ad principia ejus, Principem liberumque populum non obligare, demonstravi §. *8. p. 319.* Antecessor ejus, *DN. HOPPIUS* reductionem ideo dissvadet, quod indicium sit *intemperatae libidinis pessimorum hominum. p. 97. Edit. 1693.*

§. 20. In diversas 3. feruntur partes, quantum ad finem attinet. De quo excellentissimus *Dn. D. Willenbergius* nos instruxit, se, in universo hoc negotio, cogitationes suas atque consilia eo conferre, ut constet, ex reservatis Principum esse, de polygamia dispensare. Hinc eum posse, si velit, cum duabus uxoribus conjungi, exemplo Landgrafii Hassiae &c. Posse eum privato quoque ex gravibus causis duabus simul nubendi gratiam facere. *praesid. jur. div.* §. *31. p. 38.* Eo, dicit, NB. omnem collimare scopum defensae polygamiae. Ideo igitur vota sua hypothesi isti nuncupavit; ideo juvenes ita docuit; ideo publicis Scriptis militat; ideo infensior est contra-

tradicentibus ſibi : ne fine ſuo excidat, qui eſt, Orbem in eam adducere opinionem, ut credat, facultatem diſpenſandi circa polygamiam reſervatum Principis eſſe, ipſumque, ſi velit, poſſe polygamum fieri, poſſe etiam privatis, ex gravibus cauſis, idem concedere. Remotiorem ab his optimum *HOPPIUM* deprehendas. Quo collineet, ſignificavit ipſe. Diſpenſationem intendit Principi vindicandam, non eam quidem ipſius polygamias, ſed poenae polygamo irrogandae. *Id*, inquit, *disquiri meretur: an, ſi tandem commiſſa polygamia, Princeps ex praegnante quadam cauſa diſpenſandi, & gladium remittendi licentiam habeat? p.m.68.* tandem concludit *p. 71: ut adeo omnino hic diſpenſationi locum eſſe, putemus, uti & reſponſum fuiſſe ab ampliſſ. Facult. Jurid. Francof. relatum accepimus a Dn. Stryk in not. ad B. Brunem. jus Eccleſ. l.2.c.16.§.1.* Interrogata vero *Facultas Francofurtenſis* fuerat, non, de concedenda polygamia, ſed de mitiganda poena: num ex gratia Principis ultimi ſupplicii poena bigamo remitti poſſit? Reſpondebatur : Weil nun allhier dergleichen delictum, über deſſen Beſtraffung die hohe Obrigkeit zu diſpenſiren gnugſam berechtiget iſt/ die Umſtände auch in dieſem Fall alſo beſchaffen/ daß ſie die hohe Landes-Obrigkeit zur Begnadigung bewegen können/ (non enim certo conſtabat, uxorem priorem, cum Inquiſitus ad nova vota deſcenderet, in vivis adhuc fuiſſe, quam ille etiam mortuam crediderat,) auch dieſes Laſter nicht allerdings ungeſtrafft bleibet/ wenn über ſo langwieriges Gefängniß/ welches an ſich eine Straffe iſt/ dennoch eine Geldbuſſe hinzugethan wird; So halten wir davor/ daß Se. Chur-Fürſtl. Durchl. unſer gnädigſter Herr/ mit gutem Fug Rechtens/ und alſo mit unverletztem Gewiſſen/ euch der Lebens-Straffe überheben und mit einer wilkührlichen Geldbuſſe belegen können / V. R. W. Quae idcirco a me adducuntur, ut omnibus conſtet, *B. HOPPIUM*, finem ſi ſpectes, non eandem cum *D. VVillenbergio* tibiam inflaſſe. Probe hoc obſervavit

Au-

Autor disputationis Giessensis, infra §. 24. citandae, de Hoppio scribens, quod negationem prohibitionis divinae defenderit, *tantum, ut probaret, Principem quoad poenam hoc in delicto posse dispensare.*

§. 21. Quae commemorans vix possum, quin & illud simul tangam: *B. HOPPIUM* 4. non abrogationem legis de infligenda polygamis poena capitali; sed tantum jus circa illam dispensandi, & quidem existente causa praegnante, intendisse; *Dn. D. VVillenbergium* autem simpliciter illam abrogatam velle: poenam polygamiae capitalem non tantum duram, sed nec Protestantibus observandam putamus - - cessare hinc merito NB. debet ei illigata poena. *Schediasm.* §. 12. Cum ego, conclamationis ab eo & proclivitatis ad movendas turbas insimulatus, declarata innocentia mea, modeste monerem, me ipsi pari ratione, & multo forte rectius, tribuere potuisse, quod Magistratus ipsumque nobilissimum hujus loci Dicasterium injustitiae accusaverit: utpote ex cujus sententia, ad leges receptas, polygamus ante paucos annos capitis poenam dederat; ille iniquiore hoc animo ferens respondet: distingui debet inter Judicem & JCtum. Ille, quia minister legum est, praecise secundum eas pronuntiare debet, nec mitior aut durior lege esse potest. Hujus officium est, leges ex rationibus suis examinare, earumque valorem juxta rationes expendere. Observabit hanc distinctionem *Nugator* meus, ne in posterum ultra crepidam sapere sibi sumat. *iterat. praesid. c. 3.* §. *18. p. 85.* Quam vellem, ipsum irae suae potentiorem fuisse. Nugas agere forte is videtur, qui distinctione ceteroquin bona utitur, sed ad praesens negotium prorsus non pertinente. Si culpam datae

polygamo cuidam veniae in ipſum transtuliſſem, recte reſpondiſſet: *eſſe ſe non Judicem, ſed JCtum.* Mihi vero nihil horum in mentem venit, probe gnaro, quod in formandis ſententiis atque decretis ſuffragia ejus non requirantur. Non igitur fuit, quod ſe diſtinctione iſta impediret. Illud vero durius mihi videbatur, quod de legibus in Rempubl. receptis noſtroque tempore ac loco vigentibus, tribunitia quaſi autoritate pronunciare auſus fuerat: non ſunt obſervandae: ceſſare debent. Haec enim vox *Legislatorem*, non *JCtum* ſapit. In quo ſi erravero, meliora docenti facile concedam. Sed pergamus ad inſtitutum.

§. 22. Oſtendam 5. animo quoque *Dn. D. VVillenbergium* a *B. HOPPIO* in hoc negotio diſcrepare. Perſtat ille in errore contumax ac refractarius, animumque ita obfirmavit, ut nec a probris in contradicentes ſibi temperet. Nihil ego commiſi, niſi quod, ruinoſis quibus nititur ſophiſticationibus in apricum protractis, erroris ipſum convicerim; ille vero quam acerbum, quam gravem ſe mihi dederit, ingenuus Lector judicabit. Sunt haec pertinaciae argumenta certiſſima. Leniorem *B. HOPPIUM* atque pertinaciae purum fuiſſe, indiciis non obſcuris docebo.

§. 23. Scilicet 1. contradicentes ſine indignatione audiebat. Interfuit explicationibus meis biblicis hebdomalibus, mihique, ex *Matth. XIX.* tribus vicibus de hoc themate diſſerenti, & argumenta ac reſponſiones *ex Commentatione ejus ad Inſtitutiones* evolventi, animo perattento auſcultavit. Quae deinde in Vindiciis meis *D. Willenbergio* oppoſui, ea ipſa vivo tunc, ex cathedra ſacra, ſermone protuli, prolataque ipſe audivit. Tantum vero abeſt, ipſum hoc nomine mihi ſuccenſuiſſe, ut potius eodem aliquando die ſe viſitantem benigniſſimo vultu & animo exceperit. Idem erga me ſemper manſit, nihil de favore &

amo-

amore mei, quoad vixit, remittens. Me quoque moribundus, licet a confeſſionibus ipſi non eſſem, praeſentem ſibi poſtulavit, ſuumque Spiritum ſub manibus meis Creatori optimo devote reddidit. Ridebit iſta Adverſarius, ſicut *B. D. SCHELGVIGIUM* quaedam de his referentem dignum ludibrio habuit atque eluſit; ſed ridendi & calumniandi veniam ipſi lubens dabo, neque tamen cachinnis ſuis impediet, quin indiciis haudquaquam ambiguis exploratum habeam, obſervationes meas qualescunque B. Viro non ingratas fuiſſe. Quod vero non mihi, ſed veritati tribui velim. Apparet etiam inde, Adverſarium meum juſto liberalius ſcripſiſſe: neminem hiſcere aut ſaltem obſtrepere contra eos auſum fuiſſe.

§. 24. Dicam 2. amplius. Bis, quantum ego novi, in Diſputationibus Academicis refutatus eſt. *Dn. D. Michaël Henricus Griebnerus*, JCtus & Profeſſor Academiae Wittenbergenſis celeberrimus, A. 1711. d. 9. Januarii, *de interceſſione conjugum in delictis carnis, inprimis in crimine Bigamiae* publice diſputavit. Qui poſtquam demonſtraſſet, polygamiam juri naturali non refragari, ſequentia ſubjunxit: *Neque tamen propterea DAPHNAEO, aut quibuscunque polygamiae Patronis concedo, nonniſi humana lege hujusmodi conjugia illicita haberi, licet noviſſime BRUCKNER, Dec. matrim. c. 14. atque HOPPIUS cauſam hanc tuendam ſibi ſumſerit in Comm. ad §. 6. I. de nupt. Nam vel unum illud Servatoris monitum, quod apud Matth. 19. v. 9. extat, omnem nobis cauſam dubitandi de voluntate Dei ademiſſe videtur, ſiquidem non alia apparet ratio, cur, aut qui divortio facto aliam uxorem ducit, aut qui dimiſſam ſibi jungit, adulter habeatur, quam, quod bigamiam committat.* Idem *p. 43.* ſapienter monet, non confundendas eſſe Quaeſtiones: num Deus polygamiam prohibuerit? &: num idem capitalem animadverſionem ſanciverit? Multa enim prohibuit Deus, quorum poenam Magiſtratus arbitrio relictam voluit: *Ceterum, quod ad poenam*

bigamiae capitalem attinet, eam jure divino universali non constitutam esse, adeoque Principis dispensatione tolli, remitti & mitigari posse, utraque manu dederim, quam quaestionem ab altera de probibitione bigamiae diversissimam non satis distinxit is, quem modo nominavi, celeb. HOPPIUS d. l. p. 93. Alter est generosus *DN. CAROLUS ERNESTUS de SCHOENLEBEN*, Aulae Servestanae Consiliarius, Fautor & Amicus meus singularis, qui Praeside JCto Giessensi, *DN. D. IMMANUELE VVEBERO, de legibus divinae positionis universalibus* Disputationem, cui illustris *Bergerus* laudem eruditionis plus simplici vice tribuit, scripsit & publice *A. 1705. d. 20. Augusti* defendit, in cujus *Sect. 2. §. 2. p. 46.* haec legas: *novissime etiam conatus est ostendere, polygamiam divino jure non prohiberi, JOACHIMUS HOPPIUS, Comment. ad instit. de nuptiis §. 6. p. 109. tantum, ut probet, Principem quoad poenam hoc in delicto posse dispensare.* Certo novi *B. HOPPIUM* posteriorem disputationem vidisse ac refutationem argumentorum suorum inibi legisse, sed nihil ad illam respondens, testatum fecit, se vi veritatis convictum fuisse.

§. 25. Me conjectura mea non falli, cumulatius probabo. Suspectam sibi sententiam suam factam fuisse, haud difficile intellectu est, quia 3. alios ab eadem revocavit. Testem habeo nepotem ejus ex Fratre, plur. reverendum *Dn. M. Samuelem Joachimum Hoppium, Diaconum ad D. Catharinae in urbe nostra vigilantissimum, Collegam meum & in Christo Fratrem carissimum,* qui Domesticus olim atque Commensalis ejus fuit. Hunc aliquando, ex Scholis Willenbergianis domum redeuntem, inter prandendum laudatissimus Patruus interrogabat: qua de re Professorem suum disserentem audivisset? Qui vero hanc ipsam de polygamia jure divino licita doctrinam Auditoribus tunc proposuerat. Referentem audita fidelissime percontabatur Noster, quid sibi de hoc negotio videretur? Quaesitus modeste reponebat: Theologos in explicatione dictorum Scripturae

cum

cum *D. Willenbergio* non conſpirare, & ab ipſa etiam doctrina polygamica infinito ſpatio diſcedere. Ad quae tandem *HOPPIUS: tu, velim, perſiſtito in his, quae ex Theologis didiciſti!* Habes hic, *Dn. Doctor, mutandae ſententiae ſignum*, cujus defectum *B. D. Schelgvigio* praeter rem exprobraſti. p. 15.

§. 26. Accipe 4. ſignificantius ſignum. Idem enim longius coeptum ſermonem inſecutus addidit: *Ipſe quidem eandem ſententiam in Comment. ad Inſtit. meam feci, ſed & animo meo jam volvi, & porro mecum deliberabo, quid facturus ſim, ſi nova Operis editio procuranda forte veniat.*

§. 27. Fruſtra hinc metuit Adverſarius meus honori ac dignitati officii, quo *HOPPIUS* Commentationem ſuam divulgans fungebatur. Quae ſibi adeo non reſpondent, ut merito dubitem, quin Lectores fidem mihi ſint habituri, niſi ipſa ejus verba dedero: Concepit eam (commentationem in Inſtit.) fatente Meletio, ut civitatis Syndicus, quem munus requirit virum ſtabilis judicii. §. *11. p. 15.* Argumentatio illa: *Hoppius, opinioni de polygamia jure divino licita publico ſcripto ſe addicens, Syndicatu fulgebat; Syndicatus virum requirit ſtabilis judicii; Ergo Hoppius ab opinione de polygamia jure divino licita non potuit diſcedere*, rationis lumen quidem deſiderat, Autorem tamen ſuum non poteſt non confundere. Credemusne, ullum in univerſo mundo officium homines opinionibus ſuis ita adſtringere, ut non integrum illis maneat, agnito errori etiam putatitio nuntium mittere? Adderem plura, ſed praeſtat me continere. Averſus ille a vero praecipitisque ingenii ſit, qui labe quadam officium Syndicatus deformari putet, quoties, qui illud gerit, e diverticulo in viam reducitur. Dicat: negari tamen non poſſe, *HOPPIUM* doctrinae ipſi, de non exiſtente lege prohibitiva, olim nomen dediſſe! Fac vero ita ſenſiſſe; veritas ideo exoſa non fiet. Ego, uti in aliis illum

veneror, in hoc tamen negotio minime ſequor. Sicubi haeſit aut lapſus eſt, tanto promtius ipſum excuſabo, quanto certior ſum, animum ejus pertinacia fuiſſe vacuum. Quapropter in *juſtit. cauſae p. 286.* ſcripſi: *aberrare poteſt mens humana a veritate, rebus non ſatis exploratis. Abſit, ut uni cenſurae omnes diſſentientes includamus.* Adhaec, quia utrumque diſpar prorſus ſtudium incesſit, in ſocietatem errorum Willenbergianorum injuſte pertrahitur.

§. 28. Tantum hac vice. Nullus dubito, quin *Dn. D. Willenbergius* percuſſiones conſcientiae ſit ſenſurus. Dicit, ſe reducendae polygamiae maxime adverſari, quin etiam fatetur, theſin ſuam inter Chriſtianos exiguum uſum habere. *iter. praeſid. c. 1. §. 3. p. 2.* Cur igitur non blandiſſimis B. Confeſſionarii monitis audiens ſe ſuſtinuit? Non latuit ipſum, polygamiam ſemper haud leves dediſſe turbas; atque nunc ipſe ſibi domeſticum exemplum eſſe poteſt. Cur juventuti ſtudioſae iſta inculcavit, quae & aetatis & ſeculi pruritu in praecipitia pronior eſſe ſolet? Scripturam ſi conſuluerit, Schediaſma ejus ad verba otioſa, ut leniſſime loquar, referendum erit, de quibus ratio reddenda eſt Deo. *Matth. XII. 36.* Sed nolo monitorum impatientem ſollicitare, ne crabrones irritentur. Deus aberrantem gratioſe corrigat! Ut incipiendi ratio fuit, ita & deſinendi ſit modus in precibus. *Tibi, optime Deus, gratias perſolvo devotas & immortales. Tua manus ſuffulſit me, ut inter tot diſtractiones & avocationes, quae exorſus tecum fueram, pertexere quoque mihi licuerit. Benedictus Deus, qui non rejecit preces meas, aut miſericordiam ſuam a mecum. Date Deo robur, ſuper Iſraële, elatio ipſius, & robur Ejus ſuper nubibus. Formidabilis Deus, e Sanctuariis ſuis, Deus Iſraëlis:*

Ipſe

Ipse dans robur & vires populo. Benedictus Deus! Ne deseras servum tuum. Libera me ab hoste meo forti & ab osoribus meis. Tu esto fulcimentum meum, ut Tecum contundam turmam, & cum Deo meo transiliam murum. Da mihi scutum salutis tuae & Dextera tua sustentet me. Sancte Pater, serva nos in veritate tua: verbum tuum est veritas! Amen!

SOLI DEO!

APPENDIX.

OBstupescit animus cogitatione probrorum, quae nobilissimus *Dn.D.Willenbergius* pervicacioris irae impetu mihi dixit. Profecto confutatio mea errorum, quibus illaqueatus tenetur, talia non merebatur. Fruatur per me sua indole, ac videat, qua ratione Deo omnibusque Bonis se probaverit. Cum vero tot contumeliis excandescentiae suae nondum satisfactum esse arbitraretur, tandem, me officio meo maculae ac dedecori esse, inustis nomini meo plurimis ignominiae notis, finxit ac commentus est. Improbe me in crimen vocat, quod beneficia civitatis in meram voluptatem convertam, reusque existam eorum, quae omnem elenchum enervant, & non tantum contra luxum, fastum ac alia peccata concionantem a propria culpa redarguunt, sed & his vitiis magis ac magis fenestram aperiunt. *iter.praesid.p.87.* Horrenda! Scio, me non ἀναμάρτητον, sed miserum hominem veniaeque coram Deo omni momento indigum esse, at horum scelerum innoxium me esse, testis est conscientia, testis est Deus, cursum & voluntatem meam per-

perſpiciens, cujus beneficio tot criminationibus adeo non ſum fractus, ut veritatem deſerere ſit animus. Neque recuſo judicia ſubire honeſtorum virorum. Non defuerunt afflicto incluti civitatis Ordines, qui receptae in fidem ſuam innocentiae publico teſtimonio opem tulerunt. Quod mihi omnibusque cordatis pluris erit, ac mille chartae ſceleſtae, quas mens pia ac bene morata averſatur. Exhibebo illud legendum:

Demnach der Herr D. Joachim Weickhmann/ Paſtor an der S. Marien-Kirchen und E. Ehrw. Miniſterii Senior/ aus Gelegenheit einer wider Ihn von Herrn D. Samuel Friedrich Willenberg/ Jur. & Hiſt. Prof. und des Gymnaſii Inſpectore, ausgegebenen Schrifft/ Iterata Praeſidia Juris Divini genannt/ in welcher er mit einigen ungegründeten Imputationen unſchuldiger weiſe angegriffen worden/ eines offentlichen Zeugniſſes benöthiget iſt/ wie er ſein Ambt ſeithero an dieſem Ort geführet habe/ ingleichen aus was Urſachen es mit der Anno 1708. an ihn gelangeten auswärtigen Vocation nicht zum Stande gekommen; Als hat E. Raht im Nahmen und aus Schluß ſämtl. Löbl. Ordnungen der Warheit zu Steur hiemit declariren wollen/ daß/ gleichwie wohlgemeldter Herr D. Joachim Weickhmann in währendem ſeinem Ambte/ in welchem er nunmehro durch GOttes Gnade biß in das zehende Jahr allhier ſtehet/ nicht allein durch reinen Vortrag des göttlichen Wortes die Gemeine mit beſonderem Fleiß erbauet; ſondern auch derſelben mit einem Chriſtlichem/ exemplariſchem/ und vom Luxu, von einer Pompa und andern Laſtern und Aergerniſſen entferneten Wandel fürgegangen/ und dadurch ſeine Straff-Predigten nicht unkräfftig gemachet; Alſo ſey oberwehnte Vocation dadurch rückgängig worden/ weil/ nachdem damahls dieſe Sache/ damit der Herr D. Weickhmann des

gött-

göttlichen Rathes in derselben gewiß werden möchte/ zu der Löblichen Ordnungen genauer und gewissenhaffter Uberlegung/ mit Hindansetzung aller privat-Zuneigung ist gestellet worden/ ein einmüthiger Schluß bestanden/ daß Selbige in Ihrem Gewissen Sich verbunden erkenneten/ vieler erheblicher Ursachen wegen/ in die gesuchte Dimißion nicht zu willigen/ auch bey solchem einmahl gefaßtem Vorsatze beständig zu verharren. Dannenhero in allen obigen Stücken wider mehrwolgedachten Herrn D. Weickhmann einiger Vorwurff nicht anders als mit Unfug und zu sämtl. Löbl. Ordnungen sonderbarem Mißfallen hat gemachet werden können; Welche vielmehr von Hertzen wünschen/ daß GOtt mit dem Seegen/ welchen er bißhero auf desselben Ambt geleget/ auch ferner über selbiges und seine Person zu der Kirchen Aufnehmen walten wolle! Gegeben auf Unserm Rahthause am 19den Monats-Tage Octobr. Anno 1714.

Bürgermeistere und Rath
der Stadt Dantzig.

Quoniam idem ille Adversarius meus responsum nobilissimae Facultatis Juridicae Regiomontanae inimicum causae meae atque infestum esse, gloriatur, meque hoc nomine interrogat: cur vero, Domine Adversarie, Facultatis Juridicae Regiomontanae Responsum non exhibuisti, de quo, quod tibi datum fuerit, per literas a jam laudato celeberrimorum JCtorum Collegio ad me datas certior factus sum. Dicam, quia id ad palatum tuum non fuit, quod celare quam publicare maluisti; *iter. praesid. j.d.c.3.§.23.p.88.* typis illud pu-

blice exſcribendum promtus curavi. Ex quo Lectores intelligent ipſum opinione ſua non leviter decipi: conſpirat enim per omnia cum Roſtochienſi. Non ad palatum meum fuiſſe, fallax eſt conjectura. Quia vero Ampliſſima Collegia juridica non de capite doctrinae, ſed innocentia mea conſulueram, exiſtimabam, alterutrum Reſponſorum declarandae illi ſuffecturum. Nunc vero provocatum juvabit integrum illud adſcripſiſſe.

Wir Decanus, Senior und andere Doctores der Juriſten-Facultät auf hieſiger Königl. Preuß. Univerſität / geben auf die an uns / vom Herrn D. Joachim Weickhmann / Paſtore ad D. Mar. in Dantzig / und des Miniſterii daſelbſt Seniore, gebrachte Fragen / nachdem wir dieſelbe mit Fleiß durchgeleſen und collegialiter wohl erwogen / unſere in denen Rechten cum rationibus decidendi erforderte und gegründete Antwort folgender Geſtalt:

Quaeſt. I.

Ob der Autor vindiciarum, weñ er p.7. ſchreibet: non pudet me vel nominis, vel doctrinae: cauſas tamen occultati nominis innocuas eſſe poſſe, jam dudum ante me demonſtrarunt eruditi, auch künfftig ſeinen Nahmen bekañt zu machen / verſpricht: neque ego, ſi neceſſitas me eo detruſerit, nomen meum profiteri dedignabor, ſich nicht dadurch gnugſam verwahret / daß die Verſchweigung ſeines Nahmens ihm nicht nachtheilig ſeyn könne? Und / ob man ihn wohl mit Recht beſchuldigen könne / ipſum, inſtar clancularii pugillatoris, Sacram Scripturam tractare, ex qua conſtare potuit, neminem diſpudere debere profeſſionis ſuae de numine divino coram hominibus faciendae?

Ob es zwar ſcheinet / daß keiner mit Zulaſſung der Rechten ſeinen Nahmen verſchweigen ſoll.

Nam nomina ſignificandorum hominum gratia reperta ſunt,

§. 29.

§. 29. *J. de Legatis.*

ad recognoſcendos ſingulos,

L. un. C. de mutatione nom.

& diſtingvenda individua.

Daherő die Chaldäer/ Aegyptier / Phrygier/ davor gehalten/ nominibus impoſitis non ſolum diſcretivam, ſed & ſignificativam vim ineſſe.

Rivet. *exerc. 39. in Gen.*

So lieſet man doch eben nirgends/ daß ſolches etwa verbothen.

Prohibita vero, quae non inveniuntur, per legem permiſſa cenſentur.

L. 28. ff. ex quib. cauſ. maj.

L. 1. ff. de Teſtibus.

Man findet expreſſe, daß den Nahmen gar zu verändern frey ſtehe/ inſonderheit/ wenn es ohne ſchädliche Abſicht geſchiehet.

L. un. C. de mutatione nom.

Vitioſum eſt intendere controverſiam propter nominis mutationem.

Cic. *Lib. 2. ad Herenn.*

Die tägliche Erfahrung auch lehret / daß ungeſcholtene wackere Männer ohne Abbruch ihrer Reputation ihren Nahmen verſchwiegen/ wie man auch vom Johanne Evangeliſta lieſet;

Quod non ſolitus fuerit in ſcriptis ſuis nomen ſuum praefari, uti ex

Euſeb. *Hiſtoria refert Volater. Lib. 16.*

Anthropol. c. 3.

Kan alſo dem Auctori Vindiciarum die Verſchweigung ſeines Nahmens nicht nachtheilig ſeyn/ noch derſelbe mit Recht beſchuldiget werden / ipſum inſtar clancularii pugillatoris ſacram Scripturam tractare.

Quaeſt. II.

Ob Autor Vindiciarum darum/ weil er p. 3. ſeqq. hiſtorice

die fata Ochini & Lyſeri anführet/ beſchuldiget werden könne/ quod adverſario ſuo ominetur, ſi non & imprecetur Ochini & Lyſeri infelicia fata, & forte illi acceleraturus eſſet, ſi a viribus ſuis ſtaret? Da er doch p. 5. geſtehet/ daß ſein Adverſarius nicht rathe/ Polygamiam einzuführen/ ihn auch mit jenen nicht weiter vergleicht/ als daß Er/ wie ſie/ kein göttliches Verboth zugeben will/ und die Argumenta braucht/ welche ſie gebraucht haben; wie der Augenſchein lehret.

Was dieſe Quaeſtion betrifft / ſo könte die hiſtorica relatio fatorum, welche der Ochinus und Lyſerus, ehemahlige Defenſores polygamiae, gehabt/ bey einigen die Muthmaſſung erwecken / als wenn der Auctor vindiciarum dem Adverſario ſolche zur Erinnerung angeführet/ daß/ im Fall er von ſeiner Meinung nicht ablaſſen wolte / er gleichfalls alſo geſtraffet werden könte; Zumahlen ſolche Relatio nicht eben ad vindicias Sacrae Scripturae gehöret/ und ohne Urſach ſo weitläufftig nicht allegiret worden. Weil aber dieſelbe nicht per modum imprecandi hinzugeſetzet / danebenſt quilibet verborum ſuorum optimus interpres iſt; und ferner in eccleſiae miniſtris animus injuriandi evidentiſſime probandus. Berl. *L. 1. Dec. 66. n. 8.*

Als kan der Auctor vindiciarum nicht ehe beſchuldiget werden/ quod adverſario ſuo ominetur, ſi non & imprecetur Ochini & Lyſeri infelicia fata, & forte illi ea acceleraturus eſſet, ſi a viribus ſuis ſtaret, biß er deſſen mit beſſerm Grunde überführet worden.

Quaeſt. III.

Ob Autor vindiciarum, wenn er p. 9. 10. lehret / Deum Deuter. XXI. 15. ſeq. Polygamiam eventualiter tantum poſuiſſe, recenſendo caſum, qui vel petulantia hominum praecepta ſancte habenda migrantium, vel intercedente ipſius Legislatoris relaxatione, quam diſpenſationem vocamus, contingere poteſt, mit Recht könne beſchuldiget wer-

werden / ipſum Patriarchas Sanctosque alios petulantes vocare, und deswegen der Vermahnung bedürffe / ne in Patriarchas Deo gratiſſimos, ipſumque Deum exiſtat injurius; da er doch disjunctive geredet / der Meynung / daß nicht alle Polygami ex petulantia, ſondern etliche derſelben / ex diſpenſatione divina, ſolche geweſen?

Was dieſe Frage anlanget: Ob Auctor vindiciarum beſchuldiget werden könne / ipſum Patriarchas Sanctosque alios petulantes vocare, wenn er p. 9. 10. lehret / Deum Deuter. XXI. 15. Polygamiam eventualiter tantum poſuiſſe, recenſendo caſum, qui vel petulantia hominum praecepta ſancte habenda migrantium, vel intercedente ipſius Legislatoris relaxatione, quam diſpenſationem vocamus, contingere poteſt, ſo folgete zwar ſolches / wenn man ſchlüſſen wolte: petulantibus hominibus relaxatione legis gratiam factam eſſe; Weil aber der Auctor vindiciarum disjunctive redet / daß nicht alle Polygami ex petulantia, ſondern etliche derſelben ex diſpenſatione divina geweſen / zu der letzteren Claſs er ſonder Zweiffel die Patriarchas & alios Sanctos referiren wird / kan er deſſen weder mit Fug beſchuldiget werden / noch bedarff er der Vermahnung / ne in Patriarchas & Deo gratiſſimos & ipſum Deum exiſtat injurius.

Quaeſt. IV.

Ob die Phraſis, welche Autor vindiciarum p. 24. §. 11. braucht: Dominum Doctorem videri opinione ſua admodum ſvaviter delectari, für ein Scomma und convicium könne ausgegeben / Er aber beſchuldiget werden / quod ſe proſtituat ſcriptionis ſuae proluvie, qua adverſarium, quem ſtramineis ſuis argumentis movere non potuit, aſpergere conatur; it. quod ineptiens ſit Theologus, qui conviciis ſe extricare ſatagat, cum in ſacro Codice invenire non poterit, quo cauſam ſuam ageret?

Wenn hie gefraget wird: ob die Phraſis, welche Auctor vindi-

diciarum p. 24. §. 11. braucht: Dominum Doctorem videri opinione sua svaviter delectari, für ein Scomma und convicium könne ausgegeben werden? so könte sich jemand leicht einbilden/ daß derjenige / so einem andern / dessen opinion er wider das geoffenbahrete Wort GOttes / wider Zucht und Ehrbarkeit zu lauffen meinet / dennoch imputiret / quod opinione sua svaviter delectetur, ohne ihn anzustechen nicht scheine zu reden;

quia verba intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem & intentionem proferentis.

L. scire oportet §. *aliud ff. de excus. Tut.*

L. 69. ff. de Legat. 3.

Weil aber convicium injuria ist/

L. 15. §. *3. ff. de injur.*

injuria vero nunquam est sine voluntate injuriandi,

L. 3. §. *1. L. 4 ff. de injur.*

quae voluntas adfuisse non praesumitur,

L. 51. pr. ff. pro soc.

L. 6. C. de dol. mal.

C. f. X. de praesumpt.

fürnemlich da

verba per se & in sua natura non sunt injuriosa.

Hopp. *Comm. ad pr. I. de injur.*

So kan solcher Phrasis eigentlich für kein convicium ausgegeben werden.

Quaest. V.

Ob Autor vindiciarum, weil er in plurali spricht p. 15. lin. 18. nos censura & reprehensione sua pungit; p. 17. §. 7. male Theologos carpi, it. gloriam dubiam nobis reddi, imo eripi posse arbitratur Autor p. 19. argumentum nostrum; p. 29. §. 16. existimat ille argumentum inverti, nosque gladio nostro jugulari posse, mit Recht könne beschuldiget werden/ipsum dissentientes contra adversarium concla-

ma-

mare, eumque conatum indicium esse mordacis animi & viri in turbas proclivis, qui, cum virum se praestare nescit, conglobata sodalium manu classicum intentet. Esse ex eorum numero, quos vexat alte concepta opinio, quibus sola sua virtus nimium blanditur, quique in pares cum despectu aestuant, & quos flectere nequeunt, ut lambant ambitionem suam, velut intractabiles torvis oculis aspiciunt, inque eos aperte inimico spiritu fremunt? Da doch der Adversarius selbst/ in plurali zu reden/ Gelegenheit gegeben/ wenn er §. 6. seines Schediasmatis p. 38. schreibet: exinde satis constat, non tanti roboris esse argumentum, ut viri docti putant?

Ob die Redens-Arten in plurali, zur Auffwiegelung Anlaß geben können; so scheinet zwar/ daß Auctor vindiciarum die andere Theologos mit in diesen Streit ziehen und wider den Adversarium anhetzen wolle/ fürnemlich wenn er saget: Nos censura & reprehensione sua pungit, male Theologos carpi &c. Weil aber die Redens-Art bey denen Gelahrten durchgehends gebräuchlich ist:

& verba intelligi debent secundum communem usum loquendi.

Arg. L. liborum §. quod tamen ff. de Legat. 3.
L. Labeo §. ult. ff. de supell. leg.

Der Auctor vindiciarum auch auff gleiche Art vom Gegentheil p. 7. redet: So kan er mit Bestand Rechtens mordacis animi & viri in turbas proclivis nicht beschuldiget werden.

Quaest. VI.

Ob die Vindiciae sonst mit conviciis angefüllt seyn/ und derselben Autor beschuldiget werden könne/ quod rem rationibus & solidis argumentis unice tractandam indignitatibus in personam & verbis aculeatis tueatur; in acerbo modo disputandi majorem fiduciam habeat, quam rerum pro-

proferendarum pondere: in naevis suis inventis majus pretium, quam in regula Christi de vitando omni verbo otioso?

Wir finden keine injuriosa und convicia in denen vindiciis, welche einem Anlaß geben könten/ den Auctorem derselben hart anzufahren/vielweniger zu beschuldigen/ qui rem rationibus & solidis argumentis unice tractandam, indignitatibus in personam & verbis aculeatis tueatur &c.

Quaest. VII.

Ob und wie/wenn jemand den Autorem der Vindiciarum, um solcher seiner Schrifft willen/mit/in sämtlich vorhergehenden Fragen / vorkommenden Beschuldigungen beschweren solte/derselbige seiner Begünstigungen wegen/insonderheit/daß er ihm injurias wider GOtt und die Patriarchen/Auffwiegelung/und proclivitatem in turbas in öffentlicher Schrifft auffgebürdet / nach den Rechten angeklagt und bestrafft werden könte?

Was endlich diese Frage anlanget: ob Auctor Vindiciarum seinen Adversarium, daß er ihm injurias wider GOtt und die Patriarchen / Auffwiegelung und proclivitäten in turbas auffbürdet / nach den Rechten anklagen/ und derselbe bestraffet werden könte? So möchte solches zwar der bißherigen Observantz nicht zuwider seyn / ein jeder auch seinen ungescholtenen Nahmen zu defendiren schuldig.

Nam fama & vita pari passu ambulant.

(1) Weil aber der Adversarius allhie in defensione ist/ und also ein geringer excessus ihm so hoch nicht imputiret werden kan.

(2) Contra incertum auctorem streitet/ dessen Respect er vielleicht/wenn er ihn gewust/nicht so hindan würde gesetzet haben. & si incertae personae convicium fiat, nulla est executio.

(3) Auch viel Redens-Arten gut erkläret werden können.

(4) Uns

(4) Uns aber seine Schrifft nicht communiciret/ daß man aus der Connexion seinen animum schliessen können.

Als halten wir davor / daß die actio injuriarum bey so gestalten Sachen noch zur Zeit nicht angestrenget werden könne.

Daß dieses unsere rechtliche Meynung sey / haben wir mit unserer gewöhnlichen Unterschrifft und Beydrückung unseres Facultäten-Insiegels bekräfftigen wollen. Königsberg in Preussen den 16. Septembr. 1713.

(L.S.) Decanus, Senior und andere Doctores der Juristen-Facultät hieselbst. mpr.

INDEX PRIMUS,

Summam Sectionum & Capitum in compendio sistens.

PRAEFATIO AD LECTOREM. pag. 3.

SECTIO I.

CAP. I. 11

§. *1. D. VVillenbergius ad nova confugit Scripturae loca* ibid.

2. Quo ipso de effectu argumentorum, quibus usus hactenus est, desperare videtur ib.

3. Praetextus ejus evolvitur, &, 12

4. notata fallacia, exploditur, ib.

5. Autor respondere ad illa non tenetur: quia 13

6. PRIMO ipse D. VVillenbergius loca hactenus ventilata, tanquam omnium ponderosissima selegit & dissentientibus opposuit ib.

7. DEINDE Autor testatus est, se ad alia non descensurum. 14

8. POSTREMO, hoc pacto, disputatio in infinitum protrahi potest. ib.

9. Lector admonetur, ne ideo de justitia causae ambigat. D. VVillenbergius Sophisticationis convincitur. 15

10. Autor, sub conditione, Vindicias novorum locorum promittit. 16

CAP. II. ib.

§. *1. Autor in utroque Scripto syllogistice egit,* 17

2. Pedantismi hoc nomine a D. VVillenbergio incusatus. 18

§. 3. *Quod exaggerat, suumque* p. 19
4. *modum procedendi defendit, &* 20
5. *testimoniis JCtorum tuetur.* ib.
6. *D. Willenbergii anomaliae logicae sistuntur in compendio.* 21
7. *Respondetur ad rationes ejus, cur methodum Syllogisticam aversetur. Falsum est, illam pedanticam esse.* 23
8. *Falsum est, illam rationum momenta negligere.* 24
9. *Falsum est, extra cathedram licitam non esse; quin potius quandoque necessaria fieri potest, quam* 25
10. *doctissimi etiam viri sectati fuerunt.* 26
11. *Grotius, magnus Dialecticae aestimator, Legato Regis Galliae, consilium formandorum studiorum desideranti, Logicam figurasque syllogisticas commendavit.* ib.
12. *Ad quem etiam celeberrimi JCti syllogistice sunt commentati.* 27
13. *Falsum est, Lutherum illam improbasse. De quo notandum:* 28
14. 1. *Ipsum etiam in utrumque Jus quandoque durius dixisse.* 29
15. 2. *Philosophiae solum abusum accusasse;* 30
16. 3. *Dialecticam commendasse; ejusdemque* ib.
17. 4. *Professorem publicum egisse; & in praxi integros Syllogismos, modis suis logicis notatos, disputationi publicae subjecisse;* 31
18. 5. *etiam extra cathedram syllogistice egisse.* 32
19. 6. *Locus, a D. VVillenbergio in vituperium methodi Syllogisticae adductus, ex ipso Luthero explicatur.* ib.
20. *Methodus, a D. VVillenbergio observata, & commendata, non sufficere semper potest.* 35
21. *Autor rationem reddit, cur prolixior hac in re fuerit, &* ib.
22. *juste conqueritur de D. VVillenbergio, quod nec rationes suas logice, nec phrases grammatice examinari patiatur, eundem* 36
23. *per DEum obtestatus, ut, aut syllogistice agat, aut obstrepere desinat.* 37

SECTIO II.

CAP. I. 38

§. 1. *Locus controversus ex Deut. XXI. 15. 16. 17. ponitur.* 41
2. *Argumentum inde formatum repetitur, cujus Majorem & Minorem Autor negavit.* ib.
3. *D. VVillenbergius Minorem, vel: textum de polygamia simultanea age-*

agere, probavit 1. quia odium & amor Viro tribuuntur. Autor negavit consequentiam, quam p. 41
§. 4. *D. VVillenbergius denuo probare conatur.* 42
5. *Respondet Autor ad singula, & deinde* 43
6. *negat, textum non nisi de odio & amore praesentis temporis explicandum esse.* 45
7. *Exceptiones D. VVillenbergii, ad quas Autor respondet:* ib.
8. *Frustra ab eo l. 7. C. de LL. adduci;* 46
9. *textui vim inferri;* 47
10. *versionem vulgatam, & Junii ac Tremellii, sententiae suae non adversari.* ib.
11. 2. *probavit Minorem D. VVillenbergius, quia alias polygamo successivo semper primam uxorem oportuit exosam fuisse. Quae Consequentia ab Autore negata fuit.* 48
12. *Exceptiones D. VVillenbergii repetuntur, quas* 49
13. *Autor examinat & refellit.* 50
14. 3. *probavit D. VVillenbergius Minorem autoritate Lutheri; quam Autor modeste est deprecatus.* 54
15. *Exceptiones D. VVillenbergii, ad quas* 55
16. *Autor respondet tum in genere, tum in specie* ib.
17. 1. *Ecclesiam nostram Lutheranam, & cumprimis* 56
18. 2. *R. Ministerium Gedanense, in scripto publico, reservasse sibi facultatem discedendi ab opinione Lutheri; qua etiam* ib.
19. 3. *multi Theologi sunt usi,* 57
20. 4. *ipseque Lutherus in scriptis Patrum, qui & a se scripta quandoque retractavit, aliisque* ib.
21. *dissensum indulsit.* ib.
22. *Quibus Autor se tuetur &* 58
23. *concludit disputationem de Minore, conquestus de confusa D. VVillenbergii, dissimilia permiscentis, scriptione* ib.
24. *Repetitur Major propositio argumenti pro polygamia, cum Responsione Autoris.* 59
25. *D. VVillenbergius probare illam tentat ex Deut. XX. 10. cui* 60
26. *respondetur ab Autore.* ib.
27. *Repetitur PRIMA D. VVillenbergii exceptio: nutare Autorem, cum responsione; ad quam ille siluit.* 62

§. 28. *SECUNDA ejus exceptio, instantias rejiciens, cum responsione Autoris, ad quam* p. 62
29. *ille siluit, exceptionem tamen recrudescere fecit.* 63
30. *Respondet Autor* ib.
31. *TERTIA ejus exceptio: limitandam esse Majorem, cum responsione Autoris* 65
32. *D. VVillenbergius hic quoque siluit, & priora iteravit.* ib.
33. *QUARTA ejus exceptio: filios polygamorum legitimos haeredes declarari, cum responsione Autoris.* 66
34. *D. VVillenbergius, praeterita ratione Autoris, vetera incrustat.* ib.
35. *Respondet Autor.* 67
36. *QUINTA ejus exceptio: Deum formam polygamiae in lege posuisse, cum responsione Autoris.* 70
37. *D. VVillenbergius responsionem ultimam ne tangere quidem est ausus; urget tamen priora.* ib.
38. *Autor statum controversiae in hac exceptione format, &* 71
39. *ad rationes Adversarii respondet.* 72
40. *SEXTA exceptio, polygamiam Patriarcharum aliorumque V. T. concernens, qua D. VVillenbergius I. Autorem injuriarum in Patriarchas accusat, qui de illis se purgavit.* 74
41. *D. VVillenbergius injuriarum actionem, quoad Patriarchas, Autori intendere pergit; quem* 75
42. *JCti Regiomontani ac Rostochienses plane atque omnino eadem solverunt.* 76
43. *Autor ipse ad acrem accusationem respondet.* 78
44. *De Lamecho, polygamo.* 80
45. *II. impugnat dispensationem V. Testamenti, circa quam Autor quatuor notavit:* 84
46. *1. facta hominum leges divinas non evertere. D. VVillenbergius tacet.* ib.
47. *2. nunquam in Republ. judaica universaliter receptam fuisse. Contradicit D. VVillenbergius, crassissime in Logicam impingens: cui respondetur.* 85
48. *3. perquam verosimile videri, quod dispensatio intercesserit. Negat D. VVillenbergius, cujus argumenta solvuntur.* 88
49. *4. nec dispensationem omnibus contigisse, nec omnes polygamos ex*

dispensatione tales fuisse. p. 90
§. 50. *Consilium & sponsio Autoris, de suspendendo judicio quoad polygamiam Patriarcharum, usque ad finem controversiae.* 92
51. *de Exod. XXII. 16. 17.* ib.
CAP. II. 94
§. 1. *Ex N. T. urget D. VVillenbergius 1. Tim. III. 2. coll. Tit. I. 6. Repetitur argumentum pro polygamia inde formatum.* 95
2. *Responsio Autoris ad utramque Praemissarum.* 96
3. *D. VVillenbergius sophistice finxit, Autorem ex h. l. contra polygamiam argumentari, reprehensus ab eo; qui tamen* 97
4. *pergit probationem postulare ab Autore, juste hoc* ib.
5. *Ipsi exprobrante.* 98
6. *Exceptio D. Willenbergii ad instantiam Autoris ex Exod. XVIII. 21.* 99
7. *Responsio Autoris.* ib.
8. *D. VVillenbergius Minorem tum probare, tum a responsionibus Autoris vindicare tentat.* 101
9. *Probatio ejus 1. quia clericis h. l. lex datur. Respondet Autor.* ib.
10. 2. *Quia tempore Pauli in usu erat polygamia.* ib.
11. *Responsio Autoris.* 102
12. *De loco Hieronymi Epistol. 83. ad Oceanum.* 103
13. 3. *Quia haec lex Episcopo data est, ut eo melius Ecclesiam curet. Respondet Autor.* 104
14. 4. *Quia v. 2. ad Episcopum requiritur aptitudo ad docendum. Respondet Autor.* 105
15. *Repetitur exceptio D. VVillenbergii prima pro Minore: in Decalogo non prohiberi polygamiam. Respondit Autor; ille silet.* 106
16. *Secunda ejus exceptio: legem producendam esse contra polygamiam. Respondit Autor; ille silet.* 107
17. *Tertia exceptio D. VVillenbergii, rationes producens pro exclusiva. Autor respondit a) in genere; ille silet.* ib.
18. *b) In specie, ad rationem PRIMAM: polygamiam abstrahere ab officio. Nova D. VVillenbergii exceptio, cum Autoris responsione.* ib.
19. *Ad SECUNDAM rationem D. VVillenbergii, de castimonia vitae.* 109
20. *Nova D. VVillenbergii exceptio, cui* ib.
21. *Autor respondet tum in genere, fallacias ejus detegendo;* 110

§. 22. *tum in specie. 1. Num exclusiva textui sit inferenda, quia a clericis major castitatis gradus requiritur? Neg.* p. 110
23. *De loco Josephi* 112
24. 2. *Num ex asserto VVillenbergiano sequatur: polygamiam legibus castitatis repugnare? Aff.* 113
25. *D. VVillenbergius sophistice pro se citat Paulum 1. Cor. VI. 26. & D. Spenerum, ministros Ecclesiae ad caelibatum hortantes.* 114
26. 3. *Num caelibatus, ratione majoris castitatis, dignior sit conjugio? Neg.* 116
27. 4. *Num castitas recte ad Decorum referatur? Neg.* 117
28. *Ad TERTIAM rationem D. VVillenbergii: non legi, quod Apostoli polygamos corripuerint.* 118
29. *D. VVillenbergius, ad primariam responsionem silens,* ib.
30. *Testimoniis Autorum sibi oppositis nova exceptione obsistit. Cui Autor,* 119
31. *Detectis ejus fallaciis, respondet.* ib.
32. *De Johanne Leidensi, vanaque D. Willenbergii jactatione.* 120
CAP. III. 121
§. 1. *D. Willenbergius in examine argumentorum contra polygamiam initium facit a Gen. I. 27.* 123
2. *Et in* iter. praef. *tum responsa priora tuetur, tum novis insurgit. Autor singula seorsim examinaturus I inquirit in prius responsa. Ideoq;* ib.
3. *repetit (a) argumentum suum ex* vindiciis. *Sequitur* 124
4. *PRIMA D. Willenbergii responsio in* praesidiis j. d. *data, cum exceptione Autoris in* justit. causae. 125
5. *Quid D. Willenbergius responderit in* iteratis praesidiis? ib.
6. *Excipit Autor.* ib.
7. *SECUNDA D. Willenbergii responsio in* praesidiis j. d. *cum exceptione Autoris; ad quam* 127
8. *D. Willenbergius, ex parte, respondet in* iterat.. praesid. *infra confutandus.* 128
9. *(b) exceptionem suam, responsioni D. Willenbergii in* Schediasmate *datae, oppositam.* ib.
10. *PRIMA D. Willenbergii responsio in* praesidiis j. d. ib.
11. *Quid Autor in* justit. causae *exceperit?* 129
12. *Inseritur responsio D. Willenbergii ad Matth. XII. 3. 4. in* praesid. *cum exceptione Autoris, cui* ib.

§. 13.

§. 13. *D. VVillenbergius respondit in* iteratis praesidiis. p. 130
14. *Excipit Autor* (1) *Adversarium nunc concedere, quod olim negavit*; 131
15. (2) *plura de loco Matth. XII. 3. 4. largiri, quam opus est*; ib.
16. (3) *frustra gloriari, satisfactum sibi non esse, qua Joh. II.*; ib.
17. (4) ἀσυλλογίστως Majorem *argumenti rejicere, quia* Minor *displicet*; 132
18. (5) *falsa ipsi affingere.* 133
19. *SECUNDA responsio D. VVillenbergii in* praesidiis *cum exceptione Autoris in* justit. caus. 135
20. *Duplex D. VVillenbergii, in* iteratis praesidiis, *responsio.* 136
21. *Excipit Autor ad primam*; ib.
22. *ad secundam.* 138
23. *TERTIA responsio D. VVillenbergii in* praesidiis j. d. ib.
24. *PRIMA exceptio Autoris in* justit. caus. *ad quam D. VVillenbergius in* iteratis praesidiis *respondit NIHIL.* 139
25. *SECUNDA exceptio Autoris in* justitia causae; ib.
26. *ad quam respondit D. VVillenbergius in* iteratis praesid. ib.
27. *Excipit Autor.* 140
28. *Repetitur ex* just. c. *quomodo D. VVill. se ipsum h. l. redarguerit.* 141
29. *Responsio VVillenbergiana in* iteratis praesidiis. 142
30. *Excipit Autor.* 143
31. *QUARTA responsio D. VVillenbergii in* praesid. j. d. *cum exceptione Autoris in* justit. c. 144
32. *Resp. D. Willenbergii in* iterat. praesid. *cum exceptione Autoris.* ib.
33. *II. digreditur Autor ad resp. D. Willenb. recentissime data; quorum* 145
34. *PRIMUM est: Adamum ideo monogamum extitisse, quia Deus ex uno pari universum genus humanum prodire voluerit. Act. XVII. 26.* 146
35. *Excipit Autor* tum *in genere: D. Willenbergium in* praesid. *aliter sensisse*; tum 147
36. *in specie, formato ex mente Advers. syllogismo 1. negando* Majorem; ib.
37. *2. negando* Minorem, *in qua pro uno sanguine, substituit: uno pari* 150
38. *SECUND. est: Gen. I. 27. non agi de institutione matrimonii.* 151
39. *Autor syllogismum inde format, atque* 152
40. *excipit, respondendo 1. ad* Majorem, *quae falsissima.* 153
41. *2. ad* Minorem, *quae etiam negatur.* 154
42. *3. ad* rationes, *quibus D. Willenbergius pro Minore pugnat.* 155
43. *Probat Autor testimonio Ecclesiae, Gen. I. 27. 28. institutum esse matrimonium.* 157

§.44. *Vindicatur* Johannes Meyerus, *quem D. VVillenbergius testem suae opinionis, invita veritate, produxit, atque probatur, eundem Autoris sententiam amplecti, &* p. 158
45. *negare duntaxat, in solo capite primo integram matrimonii institutionem contineri.* 159
46. *TERTIUM est: distinguendum esse inter conjugium & polygamiam.* 160
47. *Autor, evoluta D. VVillenbergii mente, excipit, eundem distinctione ista* 162
48. *1. prius asserta destruere, sibique ipsi contradicere;* 163
49. *2. principium petere;* 164
50. *3. in primam matrimonii institutionem impingere;* 165
51. *4. in absurda prolabi.* 166
52. *Vindicatur locus Mal. II. 14. 15.* ib.

CAPIT. IV.

Membr. I. 174

§.1. *D. VVillenbergius in Schediasmate enervare ausus est argumenta Ecclesiae, ex Gen. II. 24. collatis Matth. XIX. 5. 9. Marc. X. 7. 8. petita; quibus* 176
2. *probari solet, polygamiam & prohibitam & adulterium esse. Formantur duo capitis membra, de polygamiae tum prohibitione, tum ratione adulterina;* ib.
3. *D. Willenbergius, prohiberi hic polygamiam, in Schediasmate negavit, responsisque suis prioribus cum ex parte insistit; tum novas subjungit in* iteratis praesidiis. 177
4. *Autor I. inquirit in defensionem responsionum priorum; ideoque (a) repetit argumentum suum ex* vindiciis. ib.
5. *PRIMA D. Willenbergii responsio in* praesidiis j. d. *data.* 178
6. *PRIMA Autoris exceptio in* justit. c. *ad quam D. Willenbergius in* iteratis praesidiis *respondit NIHIL.* ib.
7. *SECUNDA exceptio Autoris in* justitia c. 179
8. *Responsio D. Willenbergii in* iteratis praesid. *quam* ib.
9. *Autor exceptionibus diluit.* 180
10. *SECUNDA Willenbergii responsio in* praesid. j. d. 182
11. *Autoris exceptio in* justitia causae. 183
12. *Responsio D. Willenbergii in* iteratis praesid. *Quae* ib.

§. 13.

§. 13. *examini subjicitur.* p. 184
14. (*b*) *exceptionem suam, responsioni D. VVillenbergii, in Schediasmate datae, oppositam repetit.* 186
15. *PRIMA D. VVillenbergii responsio in* iterat. praesid. *frustra probari matrimonium ex duabus tantum personis constare. Exceptio Autoris.* 187
16. *SECUNDA D Willenbergii responsio, cum exceptione Autoris: ex verbis Christi recte adversus polygamiam concludi.* 188
17. *Examinatur responsio Willenbergiana in* iteratis praesid. *Christus interpretando legem connubialem non evasit novus Legislator.* 189
18. *TERTIA D. VVillenbergii responsio, cum exceptione Autoris, ex cujus hypothesi non sequitur, unum tantum in mundo matrimonium tolerandum esse.* 191
19. *Examinatur responsio D. VVillenbergii in* iterat. praesid. *de cujus sophisticatione Autor queritur.* 192
20. *QUARTA D. VVillenbergii responsio, cum exceptione Autoris.* 193
21. *Examinatur responsio VVillenbergiana in* iterat. praesid. 194
22. *II. Digreditur Autor ad nova responsa D. VVillenbergii, quorum PRIMUM est, a matrimonio ad polygamiam non debere concludi. Excipit Autor.* 196
23. *SECUNDUM: si in institutione polygamia prohibita fuit, omnia conjugia polygamica, & simultanea & successiva, damnanda esse. Excipit Autor.* 198
24. *TERTIUM probationem exhibet theseos suae, a fine matrimonii petitam.* 200
25. *Respondet Autor.* 201
26. *QUARTUM enervare debet verba Legis: duo erunt in carnem unam.* 202
27. *Excipit Autor* in genere, *confusam D. VVillenbergii Disputationem aegre ferens.* 204
28. *Excipit* in specie: *D. VVillenbergium* (*1*) *textum mutilare.* ib.
29. (*2*) *soli praedicato inhaerere.* ib.
30. (3) *bis sibi contradicere.* 205
31. (*4*) *formam conjugii cum fine conjungere.* 206
32. (5) *male, ex indissolubilitate vinculi & generatione liberorum cum secunda uxore, pro polygamia concludere.* 207

§. 33. (6) *communitatem mariti cum communitate uxoris confundere.* p. 207
34. (7) *colligendo asserta sua, principium petere.* 208

CAPIT. IV.

Membr. II. ib.

§. 1. *Quaestio: num polygamia species sit adulterii? ex Matth. V. 32. XIX. 9. decidenda est.* 209
2. *Cum Matth. XIX. 9. polygamus adulter appelletur, quaeritur: num id ratione dimissionis, an novarum nuptiarum fiat? D. Willenbergius prius, Autor posterius statuit.* ib.
3. *I. Repetuntur, quae D. VVillenbergius, in* iterat. praesid. *de adulterio in genere disseruit. Subjicit Autor, D. VVillenbergium* 210
4. (*a*) *confictam a se adulterii significationem autoritate Scripturae Sacrae infucare.* 212
5. (*b*) *Christo affingere, quod Virum ob repudium uxoris adulterii accusaverit; item,* 213
6. (*c*) *quod adulterium viro Matth. XIX. 9. impactum pro eodem specie habuerit, ac si quis conjugum aliud qualecunque officium neglexerit;* ib.
7. (*d*) *in enarrandis mariti officiis primarium praetermittere;* 214
8. (*e*) *male negare: maritum cum soluta consvescentem adulterium, stylo Scripturae, committere. Quod Autor defendendum recipit, cum quo* 215
9. *celeberrimi JCti consentiunt*, Stryckius, Klockius, Brouwerus, Carpzovius, Zieglerus. ib.
10. *Quid sit adulterium?* 217
11. *Adulterium repugnat formae matrimonii.* 218
12. *Commercium mariti cum soluta adulterium esse, probatur: quia 1. repugnat formae matrimonii.* 219
13. *2. violat fidem conjugalem mutuo datam;* 220
14. *3. quia Christus in eo rationem adulterii ponit.* ib.
15. *Ex doctrina D. VVillenbergii fluit, concubitum mariti cum soluta levius delictum esse, quam si aliud quodcunque officium neglexerit.* 221
16. *Examinantur rationes VVillenbergianae, & respondetur ad primam;* ib.

§. 17.

§. 17. *ad secundam*; p. 223
18. *ad tertiam*; 224
19. *ad quartam.* ib.
20. *II. urget Autor argumentum suum, quo probatum dedit: polygamiam a Christo non ob dimissionem uxoris, sed novas nuptias adulterii postulari.* 226
21. *Testimonium Melanchthonis.* 228
22. *Excipit Autor ad primam D. VVillenbergii responsionem in* iterat. praesid. ib.
23. *ad secundam*; 230
24. *ad tertiam*; 231
25. *ad quartam*; 232
26. *ad quintam*; 235
27. *ad Matth. V. 32.* 236

CAP. V. 241

§. 1. *Tertius locus ab impugnatione D. VVillenbergii vindicandus, est 1. Corinth. VII. 4.* 242
2. *Repetitur argumentum Autoris, ex mente Ecclesiae pro invadenda polygamia formatum.* 243
3. *D. VVillenbergio formaliter ad illud responsuro aqua haesit. Qui tamen* ib.
4. *in* iterat. praesid. *I. probare molitur: polygamiam h. l. non prohiberi, idque (a) ex contextu.* ib.
5. *Respondet Autor.* 245
6. *(b) ex dominio mariti in uxorem.* 249
7. *Respondet Autor.* 250
8. *(c) ex possibili officii conjugalis praestatione, in statu polygamico.* 252
9. *Respondet Autor.* 253
10. *II. Responsiones conquirit ad argumentum Autoris. Quarum* prima *est: Particulam* ὁμοίως *in qualitate, non in quantitate paritatem inferre; exemplo locorum 1. Petr. III. 1. V. 5.* ib.
11. *Excipit Autor, argumentum suum defendendo, & Adversarium contradictionis convincendo, denique loca Petri vindicando.* 254
12. Secunda: *Autorem jus uxoris in maritum non probasse.* ib.

§. 13. *Excipit Autor, 1. notando inanem Adversarii jactantiam;* p. 257
14. 2. *probando: jus plenarium in corpus mariti uxori ex lege divina deberi.* 258
15. III. *vindicare conatur responsionem suam, (a) quod omne jus uxoris ex pactis connubialibus fluat.* 260
16. *Autor utrinque de hoc negotio acta repetit, &* 262
17. *examinat, quae D. VVillenbergius in* iterat. praesid. *in medium profert.* 264
18. *(b) quod omnis nuptiarum prohibitio, ratione consanguinitatis, sit juris naturae. Quo nomine, exercitii gratia, litem Autori indicit; qui illam* 267
19. *hoc pacto declinat, veritatem tamen tuetur, oppositis* 268
20. *Hubero, quem Patronum causae suae constituit D. VVillenbergius, testibus veritatis.* 269
21. *Inquiritur in sententiam Huberi.* 270

CAP. VI. ib.

§. 1. *Quartus locus a corruptelis VVillenbergianis asserendus legitur 1. Corinth. VII. 2.* 271
2. *Autor repetit argumentum suum, ex eo formatum, idque* 272
3. *eo ordine, quem Adversarius, quantumvis confuse admodum, praeivit, vindicaturum se promittit.* ib.
4. *D. VVillenbergius I. Majorem impugnat ratione ex textu petita; ad quam syllogismo inclusam* 273
5. *Autor respondet, rejiciendo majorem, &* 274
6. *Minorem.* 276
7. *II. Minorem aggreditur, probare conatus, vocabulum* ἴδιος *h. l. communionem non excludere; idque (a) ex Rom. XIV. 4.* 277
8. *Respondet Autor.* ib.
9. *(b) ex Judic. XX. 4.* 278
10. *Respondet Autor.* 279
11. *III. Inquirit in rationes Autoris pro stabilienda Minore adductas; quarum* primam *dicit generalem esse & explosam;* ib.
12. *Respondet Autor:* 280
13. Secundam *esse ex assumento;* 281
14. *Respondet Autor:* ib.
15. Tertiam *esse cerebrinam;* 282

§.16. *Respondet Autor:* p. 282
17. Quartam *nihil momenti habere.* 283
18. *Respondet Autor, &* 284
19. *nervum probandi syllogistice eruit.* 285
20. *IV. Recurrit D. VVillenbergius ad Majorem, 1. exprobrando Autori, quod probaverit, quid proprietas stricte accepta significaret.* ib.
21. *Respondet Autor.* 286
22. *2. defendendo* ἀκυρολογίαν: *DEum, Patrem proprium hominis pii, & hunc Filium ejus proprium esse;* 287
23. *Respondet Autor.* ib.
24. *3. denuo ad Rom. XIV. 4. Matth. IX. 1. & . L. 293. ff. de V. S. provocando;* 289
25. *Respondet Autor.* 290
26. V. *Respondet ad conclusionem argumenti;* 293
27. *Excipit Autor.* 294
28. VI. *Recurrit ad Majorem.* 295
29. *Excipit Autor.* 296
30. VII. *Thesin suam probat ex 1. Cor.* VI. *16.* 297
31. *Respondet Autor.* 298
32. VIII. *Responsione priori correcta, proprium maritum, idem ac communem maritum, esse, nugatur.* 300
33. *Excipit Autor.* 301

SECTIO III.

CAP. I. 303
§. 1. *Autor rationem instituti exponit, adductis* ib.
2. *Causis, enarrationem doctrinarum* Willenbergianarum *exigentibus.* ib.
3. *Docet D.* Willenbergius *I. polygamiam nullo jure divino prohibitam esse, utpote in qua* 304
4. *II. Bonum hominis consistat, quod* 305
5. *III. Deum hominibus invidisse, procul absit. Quid? quod* ib.
6. IV. *medium sit vitandae scortationis divino jure positum, non minus ac monogamia.* ib.
7. V. *Ecclesiam Christianam polygamiam ex falso supposito prohibuisse.* 306
8. VI. *Principem plures posse uxores ducere, si velit, idemque aliis, ex gra-*

 gra-

gravibus causis, concedere: quibus p. 306
§. 9. *VII. etiam annumerat sterilitatem uxoris & incontinentiam viri.* ib.
10. *VIII. maritum cum soluta consvescentem, ex sententia Scripturae, adulterii reum non fieri.* ib.
11. *IX. D. VVillenbergius Scripturam S. indigne tractat.* 307
CAP. II. 308
§. 1. *Ex quo momenta erroris constare possint?* ib.
2. *D. VVillenbergii errores polygamici graviores sunt, ratione* objecti; 309
3. formae; ib.
4. finis, & 310
5. effectus. 311
6. *Methodus tractandi Scripturam periculosissima.* 312
7. *Concludit hinc Autor, se de conatibus D. VVillenbergii sine noxa tacere non potuisse.* ib.
CAP. III. 313
§. 1. *D. VVillenbergius excipit I. non mihi licere, sibi, Professori Gymnasii, contradicere.* ib.
2. *Respondet Autor.* 314
3. *II. Docere se, polygamiam inter Christianos recte prohiberi.* 315
4. *Respondet Autor.* ib.
5. *III. Conscientias subditorum jure humano aeque obligari, ac divino.* 316
6. *Respondet Autor.* ib.
7. *IV. Principem non posse jus Gentium temere violare.* 318
8. *Respondet Autor.* 319
9. *V. affingit Autori, quae nusquam scripsit.* 321
10. *VI. speciales privatorum casus, sine responsione ad exceptionem Autoris, repetit.* ib.
11. *VII. in Antecessorum suorum consensu gloriatur.* 322
12. *Respondet Autor 1. pro se stare universam Ecclesiam.* 322
13. *2. neminem Antecessorum doctrinam polygamico-VVillenbergianam fuisse amplexum.* 323
14. *de D. Petro Oelhafio.* ib.
15. *de L. Christiano Rosteuschero.* 324

§. 16.

§. 16. *de Dn. Joh. Godofr. a Diesseldorf.* p. 325
17. *de D. Johanne Schulzio.* ib.
18. *de D. Joachimo Hoppio docet Autor, quod 1. cum D. VVillenbergio in doctrinalibus non consenserit;* 326
19. 2. *neque in causa non reducendae polygamiae;* 327
20. *quod 3. alium finem intenderit; neque* ib.
21. 4. *poenam capitalem abrogari voluerit; quodque* 329
22. 5. *non pertinax fuerit. Quod ipsum probatur,* 330
23. 1. *quia sibi contradici passus est; & quidem* ib.
24. 2. *in scriptis publicis;* 331
25. 3. *alios a sententia ista dehortatus est;* 332
26. 4. *quam & ipse retracturum se non obscure indicavit.* 333
27. *Respondet Autor ad Objectionem.* ib.
28. *Epilogus.* 334
APPENDIX. 335
Inclutorum civitatis Gedanensis Ordinum declaratio innocentiae Autoris injuste laesae. 336
Responsum juridicum Regiomontanum. 338

INDEX SECUNDUS
Dictorum Scripturae vel explicatorum, vel vindicatorum, vel illustratorum.

	GENES.	
I.	27.	pag. 121. seqq.
II.	24.	174. seqq.
IV.	15.	81
	19.	80
	23.	80
	EXOD.	
XVIII.	21.	99. seq.
XXII.	16. 17.	62. 69. 92
	DEUTER.	
XVII.	14. 15.	66. 69
XX.	10.	60
XXI.	15. 16. 17.	41
XXIII.	18.	60. 62

	JUDIC.	
XX.	4.	278
	I. SAM.	
XII.	17.	66. 69
	JESA.	
LI.	2.	169
LXIV.	6.	57
	HOS.	
I.	2.	224
	MALACH.	
II.	14. 15.	14. 166. seqq.
	MATTH.	
V.	31. 32.	209. 226. 236
IX.	1.	289. seqq.

XI.

XI.	5.	p. 57
XII.	3. 4.	129. 131
XIX.	4.	153
	5.	174. seqq.
	9.	174. seqq. 209. 220. 226.
	MARCI	
X.	7. 8.	174. seqq.
	11.	213. 230. seq.
	LUC.	
XII.	29.	57
XVI.	18.	213
XXI.	25. 26. 27.	57
	JOHAN.	
II.	9. 10.	129. 131
IV.	18.	283. 299
	ACTOR.	
XVII.	26.	146. 150

	ROMAN.	
XIV.	4.	277. 289. seqq.
	I. CORINTH.	
VI.	16.	297. seqq.
VII.	1.	144
	2.	270. seqq.
	4.	241. seqq.
	7.	116
	26.	114. seq. 144.
	I. TIMOTH.	
III.	2.	94. seqq. 105. seq.
	5.	105
	TITUM	
I.	6.	94. seqq.
	I. PETR.	
III.	1.	256
V.	5.	ib.
	JACOB.	
II.	24.	278

INDEX TERTIUS

Rerum & verborum.

A.

Adamo cur Deus non nisi unam uxorem junxerit? p. *125. seq. 148. seq.*
 matrimonium ejus regula est omnium, quoad essentialia. *127*

Adulterium aliter in foro poli, aliter in foro soli consideratur. *217. seqq.*
 non pendet a conditione personae peregrinae, sed commercio cum illa. *220*
 non consistit in repudio uxoris. *226. seqq.*
 committitur etiam a marito cum soluta ex sententia Ziegleri, Strykii, Klockii, Brouweri, Carpzovii. 215. seqq. Rosteuscheri. *324*
 cum soluta committi, probatur argumentis. *219. seqq.*
 quid sit formaliter? *218. 219*

Adversarius sibi contradicit. 111. 114. 131. 135. 141. 147. 153. 163. 164. 170. 185. 189. 197. 205. 250. 251. 256. 300. 302. 318. 319.
 Autori falsa tribuit. 64. 75. 93. 97. 99. 113. 145. 168. 180. 184. 233.

Au-

Autorem provocat exercitii gratia. p. 268
pleraque sibi objecta silentio praeterit. 62. 63. 65. 66. 70. 72. 84. 89. 107. 118. 138. 139. 143. 149. 154. 179. 190. 233. 243. 246. 296. 298. 321
Agenda Ecclesiastica Gedanensia. 157
illis contradicit D. Willenbergius. 157
Allegoria, quid sit? 181
ἁγνεύω, ἁγνίζω, ἁγνεία 113
Amor, quomodo in defunctos continuetur? 43
Anonymus Autor Scripti: Kurtzer Beweiß/ daß unnütze Fragen dem Christenthum schädlich seyn/ *contradicit D. Willenbergio.* 102
Anonymi Autores relationum nundinalium notantur. 14. 99
Apostoli non semper eodem ordine locantur. 51
Augustinus dialectice disputavit. 23
Autor non tenetur, lite nondum perorata, ad nova Scripturae loca respondere. 13
spondet tamen sub conditione, se ad ea responsurum esse. 16
adjurat D. VVillenbergium, ut syllogistice agat, aut obluctari desinat. 38
non affectat jus in Professores Gymnasii. 314
svadet, ut usque adeo abstrahatur a Patriarcharum polygamia, donec lis de lege prohibitiva perorata fuerit. 92. 173. 223
Vindiciae ejus a duobus Collegiis theologicis & juridicis conviciorum vacuae pronunciantur. 304

B.

Baptismus quando institutus fuerit? 156
Brouwerus (Henricus, JCtus) formale adulterii in violatione non tori alieni, sed fidei conjugalis per fornicationem ponit. 216

C.

Carpzovius (Benedictus, JCtus) formale adulterii in violatione non tori alieni, sed fidei conjugalis per fornicationem ponit. 217
Castitas est vel moralis, vel Levitico-ceremonialis. 113
Castitatis lege omnes in universum aequaliter tenentur. 111
Certitudo Parentum non liberat a culpa adulterii. 225
Coelibatus quomodo a Paulo commendetur? 115
non est aptior castitati quam conjugium. 117
Coena dominica; Sensus verborum institutionis non ex fine Sacramen-

 men-

menti, sed ipsis verbis hauriendus. p. 275
Comparatio duorum non infert eorum coëxistentiam. 52
Conjugium non repugnat castitati. 116
& polygamia non sunt duae societatis nuptialis species a Deo ordinatae. 126. seqq. 196. seq.
institutio ejus continet legem monogamicam. 135. 165. 197
in capite Geneseos primo aeque ac secundo institutio ejus describitur. 154. 155
in V. T. duplicis generis erat, vel cum, vel sine pactis dotalibus. 223
forma ejus. 206. 212
finis secundarius. 275
cum uxoris defunctae sorore. 5
Contradictoriae propositiones nec simul verae, nec simul falsae esse possunt. 132
Contrariarum Propositionum utraque potest esse falsa. 132
Controversiae polygamicae pondus. 308
Conventio humana locum non habet in illis, quae legibus divinis sunt sancita. 258
Credere & philosophice scire differunt. 34

D.

Decorum, quot modis accipiatur. 117. seq.
a Diesseldorf (Johannes Godofredus) proximus Antecessor D. VVillenbergii, docet polygamiam jure divino esse probibitam. 325
Directio non infert approbationem ejus, quod dirigitur. 72
Dispensatio divina in V. T. qua polygamiam. 84
Disputatio κατ' ἄνθρωπον. 145
Distinctio D. Willenbergii inter conjugium & polygamiam, tanquam duas a Deo ordinatas societatis nuptialis species, exploditur. 161. seqq. 196. seq.
inter jura matrimonii & Conjugum. 263. seq.
Divortiorum permissio. 89
Dominium mariti in uxorem, quale sit? 252
non confert marito jus polygamicum. 250. 285
Donum continentiae neminem obligat ad coelibatum. 117

E.

Enunciatio exceptiva. 234

Er-

Error vel abstractive vel concretive considerari potest. p. 309
momentum ejus unde cognoscatur? 308
Essentia rei non dependet ab introductione ejus. 157

F.

Falsum, neglecta forma, ex vero concludi potest. 25. 170
Fechtius (Johannes, D.) conqueritur de novitatibus. 6
mavult calumnias pati, quam veritati deesse. 8
adjurat Adversarium suum, ut syllogistice agat. 38
Felden (Johannes, D.) syllogistice commentatur ad Grotium. 28
Filius Dei proprius nemo praeter Christum est appellandus. 287. seq.
Finis vel ultimus vel intermedius. 148
ab unius positione ad alterius destructionem N. V. C. 148
monogamias Protoplastorum. 148
Forma actionis poni potest in lege vel legaliter, vel eventualiter. 70. 71

G.

Galantismus. 24
Geneseos caput secundum est ἐξηγητικὸν primi. 157. 160
Grotius (Hugo) magnifecit Aristotelem. 26
Legato Galliae, Maurerio, commendat Logicam. 26

H.

Henniges (Henricus, JCtus) syllogistice commentatur ad Grotium. 27
Hieronymus docuit, polygamiam a Deo esse prohibitam. 104
Historicus textus argumenta moralitatis continere potest. 128
ex quo constet, ipsum talia continere? 128. 133
Hoppius (Joachimus, D.) legem divinam polygamiae adversantem negavit quidem, alienissimus tamen a D. VVillenbergio fuit
1. in reliquis doctrinae capitibus. 326. seq.
2. in causa non reducendae polygamiae. 327
3. in fine per hypothesin intento. 327. seqq.
4. in defensione hypotheseos. 330
5. neque contradicentibus sibi indignatus est. 330. seqq.
6. alios ab hypothesi est dehortatus. 332. seq.
7. ipse de palinodia deliberavit. 333

I.

ἴδιος. 277. seqq.
plus significat, quam genitivus ἑαυτοῦ. 284

 In-

Interpretatio legis divinae a Christo facta. p. 190
Judaei non descendunt ex nuptiis Abrahami polygamicis. 174
Juris-Consulti Rostochienses improbant matrimonium cum uxoris defunctae sorore, & contractum volunt dissolvi. 7
Logica ipsis est pernecessaria. 20. 21
Logicam scripserunt. 20. 21
Jus Gentium. 319

K.

Klockius (JCtus) formale adulterii ponit in violatione non tori alieni, sed fidei conjugalis per fornicationem. 216

L.

Lamechus primus polygamus. 80. 82
peccavit polygamia. 81
Lex etiam personis favorabilis actioni bonitatem non confert. 60. 66. 67. 69
formam rei ponit vel legaliter, vel eventualiter. 70. 71
l. 6. §. 1. ff. ad l. jul. de adult. 217
l. 239. § ult. ff. de V. S. 291
l. 3. ff. de cond. ob turp. 69
l. 53 ff. de acquir. possess. 69
l. 3. ff. de off. Praet. 69
l. 1. §. 5. ff. quando appell. sit. 73
l. 7. C. de LL. 46. 87
Lege non prohibentur, quae per naturam rei fieri nequeunt. 166. 200
Legis sensus non ex sola ratione ejus cognoscitur. 274
Leges humanae prohibere non possunt, quod Deus pro evitandis peccatis posuit, medium. 143. 317
quomodo conscientias hominum obligent? 317
Logica est Dei beneficium hominibus concessum. 19. 20
instrumentum est omnibus disciplinis aptum. 24
Lutherus durius dixit in utrumque jus. 29
abusum non usum Philosophiae reprehendit. 31
Dialecticam commendat. 81
ejusdemque Professorem egit. 31
quo sensu scripserit: nulla forma syllogistica tenet in terminis divinis? 33

it. Theologus non sit nisi sine Aristotele? p.34
cum eo dissentire licet. 56
in scriptis suis syllogistice agit. 32
ipse quandoque sententiam retractavit. 57
aliis dissentiendi facultatem concessit. 57
sententia ejus de Lamecho. 82

M.

Martini (Jacobus, D.) scripsit pro Luthero, quod Philosophiam non contemserit. 30
Masculina apud Hebraeos pro Neutro ponuntur. 172
Matrimonium, vide Conjugium.
Mejero (Johanni D.) falsa tribuit D. VVillenbergius. 158
Meisnerus (Balthasar, D.) docet, Deum Genes. II. 24. monogamiam instituisse. 78
Moses non fuit polygamus. 90
Ministerium Gedanense facultatem sibi reservat doctrinam Lutheri conferendi cum Scriptura S. 56
Multiplex quid significet? 300

N.

Negatio destruit, quicquid post se invenit. 247
Noachus ejusque Filii fuerunt monogami. 149
Numeralia non semper exclusive usurpantur. 185
Numerus personarum ad essentiam matrimonii pertinet. 195
Nuptiae inter fratres & sorores non jure Naturae, sed divino positivo universali sunt probibitae. 268

O.

Obligatio legis non recipit magis & minus. 111
Obrechtus (Ulricus, D.) monogamiam syllogistice probat contra Grotium. 27
Oelhafius (Petrus, D) jurium Professor in Gymnasio Gedanensi, docuit polygamiam primaevae matrimonii institutioni adversari. 323
it. Deum Patriarchis dispensasse. 323
it. dispensationem in N. T. cessare. 324
Odium quomodo in defunctos continuetur? 43. 44
quomodo a jurgio differat? 44

ὁμοίως quomodo paritatem juris inferat? p. 255
Oppositio vel contraria est, vel contradictoria. 131
Ordo textus in Scriptura S. ab ordine rerum saepe differt. 51

P.

Paralogismus. 85
Pater; ex Patre posteritas censeri solet. 151
Patriarchis Deus in V. T. qua polygamiam dispensavit. 84
de polygamia eorum abstrahendum, usque dum lis de existentia legis prohibitivae perorata fuerit. 92. 173
Pedantismus. 24
Pellices Patriarcharum verae uxores, non meretrices fuerunt. 223
Pertinacia animi unde cognoscatur? 310
Polygamia nunquam in Republ. judaica universaliter recepta & introducta fuit. 85
num tempore Christi in usu fuerit? 102
inter Christianos nunquam fuit tolerata. 118
& conjugium non sunt distinctae societatis nuptialis species a Deo ordinatae. 162. seqq.
successiva & simultanea differunt essentialiter. 199
Praecepta moralia universalia quandoque uni ordini vel individuo applicantur. 97. 101
Primogeniturae jus, qua duplicem haereditatis portionem, quando coeperit? 88
Principia quisquis concedit, tenetur etiam conclusionibus inde fluentibus. 315
Proprium quid significet? 279
quomodo differat a τῷ meus, tuus, suus. 291. seq.
inter Deum & homines reciproce converti non potest. 288

R.

Repudium inter Judaeos quale usitatum fuerit? 235
Rosteuscherus (Christianus, L.) jurium Professor in Gymnasio Gedanensi, docuit, jure divino adulterium esse, si maritus cum soluta se conjunxerit. 324
paritatem jurium inter Conjuges probat ex 1. Cor. VII. 4. ib.
polygamiae prohibitionem asserit ex Gen. II. 24. Matth. XIX. 9. ib.
Rungius (David, D.) commendat studium philosophicum. 31

San-

S.

Sangvis unus non denotat unum par. p.150

Schulzius (Johannes, D.) jurium Professor in Gymnasio Gedanensi, docuit, non quidem legi divinae, decoro tamen adversari polygamiam, in reliquis discedens a D. VVillenbergio. 325. seq.

Scire philosophice & credere differunt. 34

Scriptura sacra de rebus & negotiis agit ante eorum institutionem. 154

Societates herilis, paterna & nuptialis differunt etiam juribus. 296

Spenerus (Phil. Jac. D.) quibus & quomodo coelibatum commendet? 115

Status, qualis a Deo institutus, talis in essentialibus semper esse debet. 194. 195

Strykius (Samuel, D.) formale adulterii in violatione ponit non tori alieni, sed fidei conjugalis per fornicationem. 216. 219

Syllogistica methodus etiam in scriptis adhiberi potest. 25

quandoque est pernecessaria. 25. 26. 35

V.

Velthem (Valent. D.) ob syllogismos Grotio oppositos vapulat a D. VVillenbergio. 26

Verum ex vero, observata forma, semper concluditur. 24

Unitas carnis Conjugum quid? 206. 212

Universalis Propositio, quid ad illam requiratur? 86

Unum & individuum non sunt Synonyma. 170

Z.

Zieglerus (Caspar, D.) formale adulterii ponit in violatione non tori alieni, sed fidei conjugalis per fornicationem. 217

ERRATA.

Pag. 24. lin. 6. invanum, lege: inſanum. p. 38. l. 9. a fin. turpiſſimi leg. turpiſſimo. p. 45. l. 16. quod leg. in quo. p. 49. l. 2. uſum leg. uſurum. p. 52. l. 19. poſt ponuntur poni debet punctum. p. 55. l. 2. piacula leg. piaculo. p. 59. l. 3. poſt depromunt ponatur pro puncto comma. l. 9. poſt tertiam deleatur punctum. p. 64. l. 12. imcumbit leg. incumbit. p. 71. l. 5. a f. praeciptur leg. praecipitur. p. 72. l. 15. poſt Ergo inſerantur : Majorem probat : quia a directrice virtute legis perfectio conſtat. p. 79. l. 1. minime deleatur. l. 7. probatum leg. probatam. p. 87. l. 2. a f. §. 9. leg. §. 8. p. 90. l. 9. a f. Joſephum leg. Joſephus. p. 95. l. 4. Neg. leg. Aff. p. 113. l. 18. ἀγνείαν leg. ἁγνείαν. l. 20. ἀγνεύω leg. ἁγνεύω. l. 22. ἀγνίζω leg. ἁγνίζω. p. 145. l. 16. fraudulenter leg. injuſte. p. 196. l. 2. a f. §. 27. leg. §. 47. p. 197. l. 5. a f. non leg. cum. p. 201. l. 10. deleatur parentheſis cum incluſo ſuo. p. 214. l. 10. tum adulterium leg. adulterium tum. p. 243. l. 3. a f. poſt jubet ponatur nos. p. 256. l. 16. pro nam pon. verum enim vero. p. 259. l. 4. a f. mentiio leg. mentio. p. 260. l. 8. poſt ex pon. textu. p. 263. l. 1. pro recenſes leg. recenſeat.

ERRATA.

Pag. 24. lin. 6. invanum, lege: inſanum. p. 38. l. 9. a fin. turpiſſimi leg. turpiſſimo. p. 45. l. 16. quod leg. in quo. p. 49. l. 2. uſum leg. uſurum. p. 52. l. 19. poſt ponuntur poni debet punctum. p. 55. l. 2. piacula leg. piaculo. p. 59. l. 3. poſt depromunt ponatur pro puncto comma. l. 9. poſt tertiam deleatur punctum. p. 64. l. 12. imcumbit leg. incumbit. p. 71. l. 5. a f. praeciptur leg. praecipitur. p. 72. l. 15. poſt Ergo inſerantur: Majorem probat: quia a directrice virtute legis perfectio conſtat. p. 79. l. 1. minime deleatur. l. 7. probatum leg. probatam. p. 87. l. 2. a f. §. 9. leg. §. 8. p. 90. l. 9. a f. Joſephum leg. Joſephus. p. 95. l. 4. Neg. leg. Aff. p. 113. l. 18. ἀγνείαν leg. ἁγνείαν. l. 20. ἀγνεύω leg. ἁγνεύω. l. 22. ἀγνίζω leg. ἁγνίζω. p. 145. l. 16. fraudulenter leg. injuſte. p. 196. l. 2. a f. §. 27. leg. §. 47. p. 197. l. 5. a f. non leg. cum. p. 201. l. 10. deleatur parentheſis cum incluſo ſuo. p. 214. l. 10. tum adulterium leg. adulterium tum. p. 243. l. 3. a f. poſt jubet ponatur nos. p. 256. l. 16. pro nam pon. verum enim vero. p. 259. l. 4. a f. mentiio leg. mentio. p. 260. l. 8. poſt ex pon. textu. p. 263. l. 1. pro recenſet leg. recenſeat.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Weickhmann, Joachim,

D. Joachimi Weickhmanni, ... Apologiae, Qua Justitiam Causae Suae, In Controversia De Polygamia Simultanea quod nomine Sam. Frider. Willenbergii et titulo iterata praesidia juris ... luxuriatur modeste ...
Bd.: 1

Lipsiae 1715

Bamberg, Staatsbibliothek -- .22 D 7#1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11403663-6
VD18 1553653X-001